Ex=Bibliotheca
Medica


Dr. N. León.
México.

28514/C/2
v. 2

95700.

FRANCISCI HERNANDI,

MEDICI ATQUE HISTORICI

PHILIPPI II. HISP. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS ARCHIATRI,

OPERA,

CUM EDITA, TUM INEDITA,

AD AUTOGRAPHI FIDEM ET INTEGRITATEM EXPRESSA,

IMPENSA ET JUSSU REGIO.

VOLUMEN SECUNDUM.

MATRITI.

EX TYPOGRAPHIA IBARRAE HEREDUM.

ANNO M.DCC.LXXXX.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER QUINTUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De TOMATL, *seu planta acinosa.*

Praeter ceteras Solani species, de quibus, cum de nostri Orbis plantis ageremus, loquuti sumus, inveniuntur in hoc aliae, quarum fructus, quoniam orbiculares sunt, vocatae Tomatl, membrana includuntur, ſicca frigidaque ordine primo constant natura, nonnullumque participant acorem. Verùm majores ex his *Xitomame* nuncupantur, quod est *Tomame Cucurbitae forma rugosique*; minores vero *Miltomame*, idest *sementini*, qui cum *Tlaolli* seu Frumento Indico seri consuevere. Ex prioribus quidam jucundi sunt

A mas de las especies de Solano, ó yerba mora, de q. hablamos, tratando de las plantas del antiguo mundo, se hallan otras en este, cuyos frutos se llaman en la lengua del pais Tomatl, por ser redondos. Encierranse en una membrana, ó pellejo, constan de naturaleza frigida y seca en el orden primero, y participan de alguna acidez. Los mayores se llaman Xitomate, el que viene á ser un tomatl, al modo de una calabaza arrugada: los menores se nombran Miltomates, esto es de siembra, por q.e se acostumbra sembrarlos con el Tlaole, ó trigo de las indias. Entre los primeros hai algunos de agradable aspecto, y poco mas

tes q.e las nueces del nogal, y apareciendo verdes primeram.te despues degeneran en un color amarillo, y les dicen Coatomame, cuia planta es serpentaria, ó de las q.e se enredan. Otros son de la propia forma y grandeza, pero de color rojo: otros cambian el verde en amarillo, y quasi son del tamaño de una naranja, comprimido levem.te el uno y el otro lado, y arrugado ácia la parte,

por donde se une al pie, hasta la mitad de su redondez; aun~~que por las arrugas sin orden~~ otros son [illegible], despues de haber madurado bien, y pasan á este color, en seguida del verde, amarillo y blanco q.e han tenido, y constan de la misma grandeza y figura, aunq.e por las arrugas sin orden que en ciertas prominencias se levantan, no solam.te representan las partes vergonzosas de la muger, sino tambien las almorranas, y lo mas horroroso y obceno, que en las hembras puede registrarse. Los menores de estos igualan en tamaño á las nueces del nogal, y son de color verde. Otros llamados Yzhoatomatl, son mayores q.e las nueces del ponto, menores que las del nogal, y encerrados

aspectus, et nucibus juglandibus paulo majores, cumque virides primò appareant, in pallidum tandem colorem degenerant, dicunturque *Coatomame*, quod est *anguini*. Alii eadem forma et magnitudine constant, sed in rubeum demum mutantur colorem: alii e viridibus fiunt lutei, et mali aurantii vocati circiter aequant magnitudinem, utroque latere leviter compresso, et a parte, qua pediculo adhaerent, ad mediam usque orbitam inconditè rugoso: alii rubri sunt, cum exactè maturuerint, atque in eum quoque colorem e viridi abeunt, postquam pallidum ac rubescentem priùs induerint, eademque paene magnitudine constant, atque figura, etsi rugosi quibusdam eminentiis inconditè extuberantibus non modo muliebre pudendum referant, sed haemorrhoidas quoque, et quidquid in feminis horridum et obscenum potest videri. Ex minoribus quidam nuces juglandes aequant magnitudine, et colore virescunt. Alii *Yzhoatomatl* dicti ponticis nucibus sunt majores, minores verò juglandibus, membranula vesicae instar inclusi, unde nomen, qui e viridi pallescunt, aut purpurascunt. Minores verò dicti *Miltomame* praedictis nucibus pares sunt, et eodem, quo praecedentes, colore. Tales habentur *Coztomatl*, et *Tomatl*, quem *Xalatlacensem* vocavimus a natali loco, referti semine paleis exilibus pari, quae in medicamenta calore praedita potissimum referuntur. Sunt et aliae species, de quibus seor-

en una membrana, como vexiga, que les ha dado el nombre, y tambien de verdes, toman el color amarillo, ó encarnado. Los menores, nombrados Miltomame, son iguales á otras nueces, y del color que los anteriores. Tales son el Coztomatl, y Tomatl, que llamamos Xalatlacense, por el lugar donde nace, llenos de una semilla, igual á las pequeñas pajitas, y son especialm.te á proposito para los medicamentos, dotados de calor. Hai otras especies, de que trataremos separadam.te por tener nombre y naturaleza invariables. Por lo respectivo á las referidas, todas parecen semejantes á las del Solano, y aun sus especies, pero las que producen maior fruto, son maiores, y tienen las hojas

sim loquemur, quoniam nomina sibi vindicant certa, statasque sortiuntur naturas. Quod autem attinet ad praenarratas, ad unam omnes Solano similes videntur, immo ejus species; at quae majorem ferunt fructum, majores sunt, et foliis serratis constant; quae vero minorem, vulgari etiam sunt magnitudine. Europaei Rhizotomi, quos ex his norunt, fructus *poma amoris* vocare consueverunt, fortassis ob veneream et lascivientem, quam diximus, formam. Demum adeo plantae figura, vires fructus, pelliculae, et poma quaedam Solani speciebus respondent, ut inepti hominis fuerit, manibus pedibusque in illorum non ire sententiam, qui *Tomates* omnes in Solani differentias referunt. Ex his intritis ac permistis *Chilli* intinctus gratissimus paratur, et qui omnium ferè ferculorum et nutrimentorum saporem commendet, et emortuam orexim exsuscitet. Vis ejus frigida et sicca, et nonnihil incidens. Tam folia, quàm fructus ignibus sacris convenientissimè illinuntur, aegilopia, capitisque dolores tusa atque imposita sanant, aestuanti ventriculo auxiliantur, et parotidas cum sale illita discutiunt. Valet eorum succus adversus gutturis inflammationes, et quae serpunt, ulcera, cum cerussa, rosaceo, et lithargyro. Ad aegilopas cum pane, infantium adustioni, quam syriasin vocant, cum rosaceo perfusus proficit, in collyriis aquae, vel ovi vicem exhibet contra acutas fluxiones illitus, aurium

dentadas; pero las q. lo producen menor, son de tamaño regular. Los Europeos han acostumbrado llamar la fruta del amor, á los productos de la misma morena (yerba) que han conocido, entre los de esta clase, acaso por la figura venerea y lasciva, q. habemos descrito. Finalm.te la figura, las virtudes del fruto, el pellegillo, y el fruto mismo de esta planta, de tal suerte corresponde á las especies de Solano, que seria muy necio el que con todo empeño no adoptase la sentencia de aquellos, que refieren todos los tomates á las diferencias del Solano. De ellos molidos y mezclados con el chile, se prepara una salsa agradable, y que recomienda el sabor de casi todos los guisados y alimentos, y que excita el hambre amortecida. Su virtud es frigida y seca, y algo incindente, ó aperitiva. Asi las hojas como el fruto, se aplican convenientem.te al fuego de S.n Anton, y machacados y aplicados, curan la fistula lacrimal, y los dolores de cabeza, refrigeran el vientre encendido, y amasados con sal disuelven las parótidas. Tiene virtud el jugo contra las inflamaciones de la garganta, y llagas que en ella salen, mezclandolo con albaialde, aceite rosado, y litargirio, ó plomo oxidado. Mezclado con pan es bueno para las fistulas del ojo, y con aceite rosado, para el ardor, ó inflamacion de las membranas del cerebro, en colirio de agua, ó haciendo las veces del huevo, contra las fluxiones agudas, y destilado aprovecha para el dolor de oidos. Empapado y aplicado en lana, produce la abundancia de

menstruaciones: batido con el excremento, que se halla en los corrales de las gallinas, y puesto en un lienzo, sirve de opportuno remedio á las fistulas del lagrimal. Nace en qualesquiera terreno, ya naturalm.te y ya cultivandolo, pero principalm.te se da en tierras calientes.

dolori instillatus prodest. Mensium in vellere subditus sistit abundantiam : idem gallinarum cortalium fimo subactus et in linteo appositus aegilopiis presentaneo est remedio. Quibusvis regionibus proveniunt, sed praecipuè calidis, sponte, aut indulgentia et cultura.

CAPUT II.

De COZTOMATL, *seu pallescenti Solano.*

Radicem fert crassam Coztomatl, longam, candentem, et surculis auctam : caules fulvos, folia Solani, cujus est species ; luteum florem, unde nomen, fructumque contentum in vesicis. Radix est amara et calentis naturae. Medetur satietati, flatum discutit, urinam ciet, asthmati pectori admota medetur, ac dolorem ventris admista Siliquastro tollit, sive eadem devoretur duorum obolorum pondere, sive jus decocti ejus calens bibatur, fluxus a causa calida ortos coërcet, mammis applicata lac exsiccat, posteraque die ab assumta *Tlaxcuitlaxcólli*, de qua suo loco, exactae extersionis et corroborationis causa propinatur. Nascitur regionibus temperatis, qualis est Mexicensis, cultis et humentibus locis.

El Coztomatl hecha una raiz gruesa, larga, blanca y llena de surquillos: los tallos pardos, ó leonados, las hojas del Solano, del que es una especie; las flores amarillas, de donde ha tomado el nombre, y el fruto se contiene en unas vexiguillas. Cura la replecion, arroja el flato, excita la orina, aplicada al pecho, es remedio para el asthma, y mezclado con el pimiento quita el dolor de vientre, ya se tome de el peso de dos obolos, ó doce maravedis, ya se beba caliente en cocimiento. Contiene el fluxo provenido de calor, ó estimulo, aplicada á los pechos, seca la leche, y al otro dia de tomado el Tlaxcuitlaxcólli, de que trataremos donde corresponda, se da para limpiar y corroborar. Nace en regiones templadas, como la de Mexico, y en lugares humedos y cultivados.

CAPUT III.

De COYOTOMATL , seu Tomatlcoyoti.

COYOTOMATL , quam alii *Zolcoanenepilli* , seu *Coanenepilli Coturnicis* vocant , radicem fundit magnam et surculosam , ex eaque caules praelongos , quadratos , purpurascentes , et quaternis striis , totidemque insignes dorsis : folia Solani , in cujus species refertur , altera parte sinuosa , hirsuta et pinguia, fructum in vesicis magnis , quindecim angulorum , contentum, glutinosum , orbicularem , et parem nucibus ponticis , refertumque semine exili et longiusculo , paleis persimili , initio amarum , sed cum adoleverit , dulcem atque edulem. Cortex radicis tusus et ex aqua devoratus duarum drachmarum pondere purgat interdum per superna , et interdum per inferna bilim ac pituitam , emundatque corpora tormina patientium, et quorum ventriculus redundat crassis ac lentis humoribus. Nascitur in calidis collibus *Tlaltizapani* ; calidaque et sicca temperatura constare videtur , et amaro sapore , atque ita cum *Axim* , de qua alibi , tumores praeter naturam dicitur discutere.

CAPUT IV.

De altera COYOTOMATL.

Arbor est folia ferens multis interveniis distincta , illis Mali Medicae forma et magnitudine paria : florem luteum,

ac racematim dependentem, modicumque: fructum nucum ponticarum magnitudine et forma, includentem nucleum aliquantulùm dulcem. Frigida est et adstringenti natura. Folia tusa, atque resoluta ex aqua, et illita corpori tumores discutiunt: jus decocti foliorum et corticis dolores lenit, ac dysenteriis medetur.

CAPUT V.

De EPATOMATL, *seu Vulpeculae Tomatl.*

Arbor est Epatomatl mediocris magnitudinis, foliis Mali Medicae, sed tenuioribus, et majoribus: flore candenti et modico; ex quo generantur acini, primò virides, et postea nigri, racematim dependentes. Jus decocti ejus febrium ardores mitigat. Nomen sumsit ab odore gravi Indicae Vulpeculae, quem refert. Calidis provenit regionibus, vallibus et locis irriguis, floretque vere.

CAPUT VI.

De HUITZTOMATZIN, *seu Tomatl spinosa.*

Huitztomatzin, quam alii *Huitztomatl*, alii verò *Neixpopoaloni* seu *oculos extergentem* vocat, frutex est crassae et surculosae radici innixus, unde profert caules spiniferos, quatuor dodrantium, et in eis folia quadrantenus vocatae Spinaciae similia, inferna parte hirsuta, et subalbescentia:

purpureum florem, non sine luteis quibusdam capillamentis, ex quibus fiunt fructus cerasis candidis persimiles. Radix est amara, acrisque, et tertio ferè calefaciens ordine. Ejusdem cortex semiunciae mensura, tusus, atque ex aqua devoratus omnes humores vacuat per inferna, atque ita febribus, et difficultati respirationis et hydropi mirè confert. Nascitur in frigidis et humidis regionibus *Temuacensibus*, et *Amaquemecensibus*, in planis et campestribus locis. Est et alia planta *Neixpopoaloni* propriè dicta, huic valde similis, et ad ejus fortassis referenda genus, sed excelsior, spinis minimè horrens, florum et amaritudinis expers, frigidaque et adstringenti natura, quae ab extergendis oculis, (ea etiam est ejus vis) sortita est nomen.

CAPUT VII.

De TOTOMATIC *Tauhtepecensi.*

Radicem fundit fibratam Totomatic *Tauhtepecensis*, folia Solani, cujus species est, caules volubiles, et luteum florem: fructum parvum, virentem, vesicula oblonga inclusum, minimè tamen edulem. Ajunt Indi Medici, succum radicis ac foliorum epotatum sex unciarum mensura sedare ventris dolorem profectum e frigore; quamquam ego calorem modicum gustu deprehenderim, testatum quadam amaritudine.

CAPUT VIII.

De altera TOTOMATIC.

Herba est *altera* Totomatic magna, radici fibratae insistens, unde prodeunt caules, et in eis folia Mori, serrata, vesicas nuci juglandi magnitudine pares, angulisque quibusdam striatas, continentesque intra se acinos nucibus ponticis majores, virides, ac fructus fulvo refertos semine paulisper compresso. Frigida, et humida constat glutinosaque natura. Ungunt Indi convalescentium ab aegritudinibus corpora succo acinorum et vesicarum refrigerationis et corroborationis gratia.

CAPUT IX.

De TEPETOMATL, *seu Tomatl montana.*

Radicem fundit longam, Raphano similem, et fibratam: folia circinata, Ocymi, sed magis acuminata, hirsutaque: fructum similem *Tomatl*, unde nomen: caules cubitales, ac flores pallentes. Radices tusae atque devoratae ex aqua semiunciae pondere per superna atque inferna citra noxam anxietatemve ullam humores omnes vacuant. Calida constat temperatura, ac montibus Mexicanis nasci gaudet.

CAPUT X.

De TOONCHICHI, *seu acinos amaros ferente planta.*

Solani species est peregrina, radice Raphani tenuiore, foliis Solani vocati ab Italis *Belladonae*, flore candenti, ac fructu primò viridi, deinde rubeo, ac postremò nigro, nulla contecto membrana. Radix est amara, cujus decoctae infusum jus alvum extergit. Temperata aut paulò calidiore constat natura. Succus confert oculis et tumores praeter naturam maturat, aut discutit. Ubique provenit.

CAPUT XI.

De XALTOMATL, *seu Tomatl arenoso.*

Species est Solani peregrina, radice Batatae Asphodelive, caulibus multis, foliis Limonis Mali, sed minoribus, fructuque hortensis Solani. Frigida siccaque constat natura, et eisdem, quibus hortense Solanum, viribus: quo fit, ut tusa resolutaque ex aqua radix ad febrilem calorem sedandum propinari soleat. Amaritudinis tamen et caloris nonnihil participat; quamobrem ferunt, sescunciae pondere devoratam flatum discutere, intestinaque expurgare a faecibus, quae ab altero quopiam pridie assumto pharmaco concitata sunt, necdum tamen vacuata; gravitatem ventriculi dissolvere, atque ita demum dysenteriis prodesse. Ubique

provenit, neque ullum refugit caelum, aut solum.

CAPUT XII.

De CUECHYLIZTOMATL, *seu Tomatl sonalis.*

Genus est Solani *Tonchichi* forma et viribus simile, sed foliis paulisper undulatis, et fructu acinoso racematimque dependente. Est et arbos eodem nuncupata nomine, foliis Mali Medicae, verùm longè majoribus, et magis acuminatis, flosculis coccineis, sed pallidis capillamentis e medio prodeuntibus, toto caulis procursu comantibus, unde acini fiunt virides, ac deinde coccinei, racematim dependentes, Oxyacanthae forma et magnitudine; de qua etsi nihil accepi, quod spectet ad medicinam, tamen ob ejus pulchritudinem depingendam curavi. Est autem sicca et nimis adstringenti natura, quamquam nonnullum participet calorem.

CAPUT XIII.

De TOTOMATON, *seu Tomatl parvo.*

Caulem quadrangulum fundit pallentemque et oblonga folia. Frigida est et humida natura, saporis expers, repellitque praeter naturam tumores.

CAPUT XIV.

De altera TOTOMATON.

Arbor est mediocris, foliis Mali Medicae, fructu orbiculari, simili *Tomatl*, unde evenit illi nomen. Non videtur omnino caloris, aut saporis grati expers, et tamen contusis foliis abluunt Indici Medici corpora febres patientium, fortè, ut majorem calorem aut exstinguant aut temperent minoris adjectione, aut evocatis humoribus ad exteriora.

CAPUT XV.

De TEPETOMATL.

Arbor est sempervirens, similis Unedoni forma et fructu, sed longè minori et os intus continente candidum, orbiculare, et praedurum, adeoque ejus species; sed foliis Amygdali, infernè subalbidis. Adstringunt acini cum quodam acore, ex quibus globuli vocati precarii parantur insignes, splendenti quadam nigredine, atque obsidiani lapidis repraesentantes figuram, firmamque duritiem praeseferentes. Materies inservit intestinis operibus, densa enim est et nitens. Jus decocti ejus tumentia brachia cruraque, si eo abluantur, extenuat ac ventrem coërcet epotum.

CAPUT XVI.

De XALTOMACAPOLLIN, *seu Ceraso simili Xaltomatl.*

Arbor est procera, femoris plùs minùs crassitudine, foliis serratis, Salviae proximis, eodemque modo candicantibus infernè, fructu acinoso Oxyacanthae forma et magnitudine, sed paulisper oblongiore, primò viridi, ac tandem coccineo, molli, eduli, ac grati gustus, non sine quadam adstrictione et natura gelatinosa, frigida siccaque. Provenit in campestribus *Mecatlani* locis, ad Chamaecerasi fortassis pertinens genera.

CAPUT XVII.

De TOMAZQUITL, *seu planta ferente acinos similes Tomatl.*

Unedonis est species, sed foliis brevioribus et obrotundioribus, fructuque longè minori. Ajunt jus decocti radicum decem dies continuos sumtum asthmaticis magnam opem ferre. Montosis provenit locis cujusvis caeli temperieique.

CAPUT XVIII.

De CUITLAZOTL, *seu virga stercoris.*

Cuitlazotl *Crista* ab Hispanis dicitur, a Dioscoride Botrys, etsi ille alteram speciem descripserit, haec verò Novo tantùm Orbi, quod sciam, cognita sit. Odora planta

est, tertio paene calens ordine, et subtilium partium. Ad eadem valet ad quae Botrys nostras, cui forma quoque est similis. Folia devorata, ramulive uteri strangulationi, ceterisque vulvae affectionibus dicuntur mirè conferre, et gangraenosa curare ulcera. Temperatis montosisque locis gaudet, interdum etiam planis et campestribus Mexici.

CAPUT XIX.

De CUITLAZOTL *Tepecuacuilcensi.*

Radici innititur obrotundae, candenti, magnae, et fibratae, ex qua edit caules partim purpureos, volubiles ac tres dodrantes longos: folia pinguia, cordis figura, Pyrive: et flores candentes. Radix Napum olet, sapitque, aut pulverem bellicorum tormentorum: calore nonnullo praedita est. Pectoris ac ventris dolorem sedat, ac flatum discutit semunciae devorata pondere, maximè si e liquore aliquo calenti additoque siliquastro assumatur. Quartanis etiam tertianisque medetur, vacuata per superiora bili, et atrabiliosis humoribus, si paulò ante accessionem assumatur, atque ita spleni quoque medetur. Nascitur *Xochimilci* temperato caelo, in domibus ac hortis, sed eo translata a calidis regionibus, nam et *Malinalci*, et *Tepecuacuilci* provenit, planis et campestribus locis, praesertim juxta aquarum fluenta, demumque allata est a *Teloloapa*. Cyclaminis spe-

cies videtur, nam et radices et folia similia sunt. *Axochitlanenses*, apud quos etiam nascitur, affirmant crurium aedemata sanari, si abluantur jure decocti ejus.

CAPUT XX.

De TEPECUITLAZOTL, *seu Cuitlazotl montana.*

Herbula est radici innixa surculosae, unde profert caules sesquidodrantales, subalbidos, et folia Pyri, sed majora. Radix est calida et sicca ordine quarto, acris gustu, urensque. Radix tusa, illitaque dorso rigores accessionum tollit, flatum discutit, crassos et lentos humores attenuat, dolores a frigore aut flatu ortos lenit, urinam et menses trahit, sudores evocat, convulsis, et his, quibus motus est impeditus, auxiliatur, confert resolutis, aliaque permulta exhibet auxilia, quae e simili temperamento solent secundùm naturam provenire. Nascitur *Anenecuilci*, ubi et descripta est, et delineata.

CAPUT XXI.

De CUITLATONPILXOCHITL.

Radici insistit unicae, crassae, fibratae, et luteae: unde oriuntur caules, octo dodrantes longi, teretes ac minimum digitum crassi, folia saligna, majora tamen, et latiora, intersertis aliis minoribus, flores verò purpurei et

oblongi, figura calyculorum. In corollarum usum venit, nec aliam de ea herba utilitatem adhuc accepi.

CAPUT XXII.

De CUITLAPATLI, *seu stercoris medicina.*

Radici innititur Cuitlapatli crassae, et longae, ex qua profert Betae folia, praelongis et latiusculis pediculis appensa, caulem cavum, et flores parvos in cacumine acervatim cohaerentes candentesque. Amara est, et calefacienti constat ordine tertio atque exsiccante natura. Radix in farinam redacta et resinae permista, mistaque *Tepechianpitzahoac* et pectori apposita fraenat sanguinis exspuitionem, curatque praeter naturam tumores, quos maturat, aperit, et emundat, pustulis morbi gallici, ulceribusque, cancro, et cachecticis medetur: dolorem denique oculorum sedat.

CAPUT XXIII.

De CUITLANEXXIHUITL, *seu herba fusca.*

Folia fert infernè squallida, supernè viridia, et laevia, oblongaque. Haec tusa, et admota pudendorum ulceribus ablutis priùs lotio, exesa carne putrescenti, vitiataque curant, et sanitati restituunt. Quin addita resina quibusvis aliis vulneribus medentur. Nascitur *Atlapulci* humilibus ac frigidis locis.

CAPUT XXIV.

De CUITLAQUAHUITL.

Arbor est magna, foliis lignoque ficulneo, fragilis ac lentae medullae. Frigida et humectante natura pollet, et febrientibus utili. Nascitur *Mayanalani*.

CAPUT XXV.

De CHALCUITLATL, *seu stercore crepitante.*

Species est Polygoni maris, aut vocatae a Mexicanis *Tianquizpepetla*, sed foliis paulò minoribus, quo fit, ut *Tianquizpepetla minor* meritò nuncupari possit, radiceque crassiuscula, et fibrata. Calida constat ordine secundo natura, sapore verò initio dulci, ac deinde aliquantulùm acri. Radix duarum drachmarum pondere omnes humores per inferna purgat. Ubique nascitur, neque ullum solum, etiam arens, exsuccum aut sabulosum respuit.

CAPUT XXVI.

De CUICUITLAPILLI, *seu herba caudata.*

Herba est Cuicuitlapilli radici oblongae innixa, candentique, ex qua profert caules binas spithamas longos, et in eis Persici folia, sed subalbida, hirsuta, et aliquantisper scabra, et flores candentes, extremis appensos caulibus.

Dolores sedat permista *Quauhchichioálli* , *et Ocopipin.*

CAPUT XXVII.

De CUICUITLAPILLI *secunda.*

Herbula est radicem fundens oblongam , glandi persimilem , et ex ea caulem teretem , laevem ac paene translucidum : florem , ut ferunt , candidum , ac semen Raphani , et folia Amygdali mollia. Radix sapore resinoso constat adstringentique : quarto ordine cum siccitate calefacit. Glans unica devorata ex aqua fluxum sistit. Provenit *Acolmani* editis locis , ac juxta montium radices emicat.

CAPUT XXVIII.

De CUICUITLAPILLI *tertia.*

Non ob aliud eo nomine haec herba nuncupata est, quàm quòd radices fundat parvarum glandium magnitudine et forma binas , ternasve , e quibus prodeunt fibrae caudis similes : est enim Cuitlapilli *cauda Tlacuatzin defossa terrae.* Ergo ex ea radices prodeunt caules tenues , teretes , purpurei , ac dodrantales : folia per intervalla oblonga , serrata , ac mediocris magnitudinis : semen autem in summa caulium parte , hoc est bina granula , coriandi forma , et magnitudine , binisque parvis testiculis similia. Radix , quae est intus candens , extra verò nigra , propinatur

resoluta ex aqua semunciae pondere adversùs febres, necnon ad splenem comminuendum, tametsi frigida sit, atque humens, aut saltem spectans ad mediocritatem; dulcis siquidem percipitur. Nascitur unaquaeque planta seorsim in collibus agri *Tepetlaoztocensis*.

CAPUT XXIX.

De CUIXCUITLAPILLI, *seu Lacertae cauda.*

Volubiles profert caules Cuixcuitlapilli, et in eis folia saligna, minora tamen, et molliora. Frigidae est et glutinosae naturae, atque ita solet inflammato capiti admoveri. Nascitur *Xoxotlae* juxta rivulos et flumina. Vidi aliam apud *Temuacenses* eodem nomine, atque temperie, foliis tamen ternis, hirsutis, infernè squallidis, radice verò digitum crassa et prolixa.

CAPUT XXX.

De CUITLATZAYANPATLI, *seu medicina alvi dirutae.*

Volubilis planta est radicem crassam et fibratam proferens: folia sunt Mali Medicae foliis similia, verùm obrotundiora. Radix sesquidrachmae pondere laevigata, et ex aqua aut e vino epota dolores quosvis mirè lenit, etiamsi a gallica oriantur lue: sumenda autem mane ac vespere quinque dierum aut ampliùs spatio.

CAPUT XXXI.

De HOITZOCUITLAPILXOCHITL *prima, seu flore caudae pungentis.*

Radici innititur fibratae, unde mittuntur caules quinque cubitos longi, et in eis folia Persici rara, angusta et longa, ac circa summum flores magni et orbiculares, ex albo rubescentes, scariosis aut spiniferis contenti calycibus, unde nomen. Ejus herbae vapore muscae dicuntur fugari, neque praeterea aliud de hac planta accepi, ad Cyanorum fortassis genera referenda. Nascitur *Tezcoqui* locis temperatis.

CAPUT XXXII.

De HOITZOCUITLAPILXOCHITL *secunda.*

Congenerem plantam esse puto, aut prorsus eamdem *Cempoalxochitic*, folia siquidem profert longa, angusta et serrata, flores luteos, Buphthalmi aemulos, radicem longam et tenuem, et caules tenues, teretes et scabros. Quinto ordine cum pari ferè siccitate calefacit; est enim acris et amara. Radix trita et drachmae unius mensura infusa colicis miram fert opem, ac alvi vacuat excrementa. Provenit temperatis regionibus, qualis est Mexicana, ac *Tetzcocana*, montosis et campestribus locis.

CAPUT XXXIII.

De QUACUETZPALCUITLAPILLI, *seu cauda Yguanae.*

Herba est duos dodrantes longa, et brachii crassitudine radice Raphani forma firmata, novem canaliculis striisve, totidemque dorsis insignis, refertis perintervalla tuberculis aculeatis: fructum fert in sui parte summa orbicularem et candentem, spinisque horridum. Frigida, humidaque et succosa constat natura. Erysipelatis admota confert, et aliis quibusque inflammationibus, ulceribus medetur, praecipuè si calida adjungatur intemperies, et febrientes juvat. Verùm haec planta ad *Tunarum* genera videtur pertinere.

CAPUT XXXIV.

De TLALLANTLACACUITLAPILLI, *seu cauda parvi Tlacuatzin.*

Duae sunt hujus plantae differentiae, mas et femina. Mas radicem fundit longam, tenuem, et fibratam, candentemque, volubiles caules, et folia Solani mucronata, et circa cuspidem contorta. Volubilis quoque femina est, sed caule cinereo, et geniculato: foliis cordis figura, longè majoribus, atque latioribus, flore per hiemem candenti et magno, fructuque oblongo, et ampliori, referto luteo semine, ac obducto candida lanugine. Eadem constat utraque natura. Radix odore insigni caret, sed initio dulcedinem

quamdam praesefert, Glycyrrhizae similem, postea verò amaritudinis nonnullum sensum praebet. Calida itaque et humida constat temperie. Semuncia illius ex aqua devorata, vel per se, vel addito siliquastro, urinam retentam pellit, extergitque vias renum et vesicae: jus decocti radicum febres evocato sudore finit, ac dolores corporis levat. Nascitur in calidis *Tlachmalacacensibus*, *Quauhnahuacensibus*, et *Acatlicpacensibus*, circa humentia loca et fauces montium.

CAPUT XXXV.

De altera TLALLANTLACACUITLAPILLI.

Volubilis genus est radice firmatum fibrata, unde profert caules, et in eis folia magna, cordis figura, modicum ac luteum florem, et fructum parvi peponis magnitudine, semine luteo, sericeis candidisque filamentis appenso, refertum. Radix est alba, dulcis non sine quadam amaritudine, et praegrati saporis, calorisque temperati. Propinatur unciae unius pondere his, quibus urina suppressa est, aut venter ob flatum dolet. Sunt qui adjiciant ad eadem semunciam siliquastri; emundat enim ita renes, semen retentum pellit, et urinae extergit meatus omnes. Renum etiam ardorem temperat, materierumque acrimonia quadam vias saepenumero mordicantium, atque pungentium. Sapor denique ac vis est Glycyrrhizae, ac pro ea commodè sub-

stitui potest. Provenit montosis calidisque locis *Tlachmalacacensibus*, et *Quauhquechulensibus.*

CAPUT XXXVI.

De TLALLANTLACACUITLAPILLI *tertia.*

Radicem fundit fibratam, surculosam, et crassam, caules tres spithamas longos, lignosos, et laeves, partimque rubeos: folia Ocymi terna quaternave, fructum glandium forma, spicatum ac partim coccineum, plenum modico semine, et flores rubeos et stellatos. Insigni sapore caret, et lubricitatem quamdam lancinantem praesefert, frigidaque et humida natura constat more earum plantarum, quas Quercus vocant. Tussi medetur, aliisque pectoris morbis; tragacanthi gummi gustatam credas mandere. Sunt qui dicant enixas, et lassitudinem passos roborare, et sedare dolores. Nascitur in calidis *Tepoztlanensibus.*

CAPUT XXXVII.

De TLALCUITLAPILLI, *seu Tlallacacuitlapilli.*

Volubilis planta est radici insistens crassae, fibrataeque, e qua promit stipites, et in eis folia rubentibus pediculis appensa, Limoniae Mali forma, e singulis nodis singulis utrinque orientibus, quos habet haud frequentiores quàm per sex unciarum intervalla. Temperata, aut paulò calidiore constat na-

tura. Tusa ac epota ex aqua urinam evocat, si mensura semunciae devoretur, sed securiorem pollicetur exhibetque operam, si cum *cauda Tlacuatzin* priùs permisceatur.

CAPUT XXXVIII.

De altera TLALCUITLAPILLI.

Herba est quatuor dodrantes longa, foliis *Yztauhyatl*, candidis floribus, in corymborum formam compositis. Amara est, calidaque et sicca ordine tertio natura. Pulvis radicis ejus semunciae pondere devoratus coctionem juvat, ventriculique excrementitios emundat humores.

CAPUT XXXIX.

De TOCHCUITLAQUILITL, *seu herba stercoris Dasypodis.*

Herba est similis *Techichic*, cujus species videtur imitari, foliis Origani hirsutis, et minoribus. Sapore insigni caret, sed virus spirat, caloris cujusdam indicium. Folia tusa et epota pugilli mensura ventris distensionem emendant. Nascitur *Temuacensibus* agris.

CAPUT XL.

De TEOCUITLAXOCHITL, *seu flore stercoris Dei, aurive, aut argenti.*

Frutex est foliis cordis figura, magnis, luteis floribus,

aureisve, unde nomen; qui florum tantùm (hi enim pulcherrimi sunt permultique in unaquaque planta) praestat usum.

CAPUT XLI.

De TOTOCUITLATL, *seu passerum stercore.*

Visci genus est arboribus, sed praecipuè Malis innascens Medicis, frigida constans natura, repellente tumores, et fluxiones alvi restringente. Nascitur in calidis regionibus, qualis est *Quauhnahuacensis.* Caules autem virentes fundit, folia pinguia, similia Mali Medicae, sed velut incurva et falcata, flores rubescentes e luteo, tenues, longosque, compositos in manipulos, quales illi Periclymeni. Nascitur etiam *Apaztlae*, ubi ajunt ophiasi admotam mederi.

CAPUT XLII.

De TOZCUITLAPILXOCHITL, *seu flore caudae Psitaci.*

Tozcuitlapilxochitl, quam *Aliicocoyotzin* vocant, herba est illa, quae jamdiu in Hispanias translata est, vocaturque ibi, quod folia ferat Arundinis, fructum verò initio candidum, ac gemmantem, ac demum nigrum, et nitidum, et precariis vocatis globulis similem, *Lithospermum arundinaceum.* Repellit praeter naturam tumores, frigida siquidem radix humidaque constat temperie, grato etiam, et

glutinoso sapore. Et quamquam nascatur magna ex parte in calidis, frigida tamen, et temperata loca non refugit.

CAPUT XLIII.

De CHILPANTLAZOLLI.

Chilpantlazolli, seu *signum stercoris*, quam alii *Tozcuitlapilxochitl*, alii *Hoitzitziltentli*, alii *Chilpanxochitl*, alii *Panxochitl* vocant, herba est parva, radici longiusculae et fibratae innixa, e qua fundit caules tenues ac purpureos, et in eis folia Salicis, longa, serrata, et angusta; flores longos, rubeos, et circa extrema pallescentes. Radix est acris, calidaque, et sicca ordine ferè quarto natura, urensque guttur. Tusa appositaque doloribus articulorum, et e morbo gallico orientibus, spleni, contractis nervis, atque impedito motui mirè confert, vulneribus medetur lippitudinique, et palpebras renasci facit: pituitam attenuat. Radix tusa, ac trium drachmarum pondere ex aqua devorata, vel jus decocti ejus infusum auribus saniem exsiccat, dolorem lenit, et audiendi restaurat facultatem. Est et alia herba, *Chichilacotl* vocata, praedictae similis, dulcis tamen, et Medicae facultatis, quod adhuc compererim, nullius. Nascitur *Tototepeci*, et *Itzocani* calidis in locis.

CAPUT XLIV.

De CENÁNAN *Tetzcoquensi, seu matre spicae Maizii.*

Cenánan *Tetzcoquensis*, quam alii *Cenanatli*, alii verò *Centlinam* vocant, folia profert ampla, et obtusa, oblongaque, et Verbasco colore, lanugine, et amplitudine similia, flores verò candentes, et in muscarii modum compositos, radicem crassam, et longam, et fructum siliquastro similem, semine plenum, unde nomen. Temperatis, aut frigidis provenit locis. Calida, et sicca tertio ordine natura constat. Amara est, vermes ulcerum necat, et quadrupedum medetur inveteratis plagis, dolores dentium sedat, tumores praeter naturam apposita discutit, asthmati confert, faeces induratas infusa educit, medetur colicis, et cum medulla *Toloxochitl* ophiasi.

CAPUT XLV.

De altera CENÁNAN.

Altera cenánan folia profert Salicis, longa, et angusta, florem parvum, in muscarii umbellaeve formam compositum, pallentique, et coccineo variatum colore, ac fructum, velut et praecedens, siliquastri; quamobrem non desunt, qui ei congenerem putent, praecipuè, cum haec quoque frigidarum regionum incola sit, eisdemque facultatibus praedita.

CAPUT XLVI.

De tertia CENÁNAN.

Congener et haec praedictis duabus habetur, regionibusque frigidis provenit. Radici insistit tenui, et longae, unde proferuntur caules, et in eis folia Limonis forma, sed altera parte quadantenus incurva, et fructus siliquastro quoque similis. Eadem, quae praecedentibus, vis atque natura, et similibus nasci gaudet locis.

CAPUT XLVII.

De quarta CENÁNAN, *seu Xalatlacensi.*

Folia profert Mali Medicae, sed magis acuminata, radicem crassam fibratamque, unde prodeunt caules geniculati, et aliquibus in locis rubri. Congener praecedentibus creditur, nam fructus, natale solum, et facultas est eadem.

CAPUT XLVIII.

De quinta CENÁNAN, *seu Cenanatli Quauhnahuacensi.*

Et haec calidis nascitur regionibus, qualis est *Quauhnahuacensis*, foliaque profert longa, et longitudinis proportione angusta, similia foliis Rhododendri, purpureis interveniis, et lacte, velut et partes reliquae, manantia: caules fulvos, longos, et digiti minimi ferè crassitudine: flores candentes,

in acervos orbiculares in summis caulium partibus compositos, fructum verò siliquastro haud absimilem, lanugine quadam gossypina refertum, haud sine semine modico. Frigida natura constat, aut moderatè calida, nam dulcedinem non sine amaritudine quadam praesefert, et virus gustata spirat, curatque inflammationes imposita, urinam evocat, et urinae meatus abstergit, repellit inflammationes, finitque illita febres. Radix tusa cum siliquastro, ex aqua resoluta, et auribus instillata surditati medetur, et temporum sedat dolorem: per se verò tumores praeter naturam rumpit, et extergit, et ulcera cicatrice obducit: eadem drachmae unius pondere ex aqua epota universi corporis dolores sedat, et exanthematis medetur. Lac ejus ferunt mederi cancro *Teocaltzincenses*, quem ipsi *Tozampotzali* vocant, ac frequenter patiuntur circa dorsum; Michacuenses verò qui *Quantaxuquam* vocant, tumoribus praeter naturam pus etiam vomentibus.

CAPUT XLIX.

De TEPECENÁNAN, *seu Cenánan montana.*

Radicem fundit Tepecenánan magnam, caulem virentem, pollicaris crassitudinis, folia *Yetl*, infernè candicantia, et obducta lanugine, et virentia supernè, ac flores albos in corymborum formam compositos. Radix est amara,

et calidae siccaeque naturae; quamobrem satietati medetur, similesque huic temperiei praestat usus, quos nominatim referre brevitatis gratia praetermitto. Fortassis haec est *Cenánan Tetzcoquensis*, aut illi congener.

CAPUT L.

De COEN.

Herba est radici innixa obrotundae, et fibratae, Tuberibus nostratibus, aut *Peruinis* vocatis *Papis* similibus, unde unicus profertur caulis, teres, et volubilis, et in eo folia singulis ramis terna, longa, et angusta. Radices edules sunt, neque ingrati saporis; crudae enim cruda resipiunt cicera, coctae verò e candido in luteum mutantur colorem. Ajunt succum epotatum subvenire dysentericis. Nascitur in calidis regionibus.

CAPUT LI.

De COEN *altera, seu Coentic.*

Planta est caules proferens tenues, teretes, et volubiles, folia per intervalla terna, quorum singula quatuor magnis sinubus divisa visuntur, siliquas quinque uncias longas, ac minimum digitum crassas, refertas granis contusis lentium forma. Radices sunt obrotundae, tres, quatuorve, fibratae, et velut funiculis appensae, dulcis, et grati saporis,

quo *Xicamam* vocatam videntur imitari, nec omnino improbati nutrimenti. Frigida temperie constat, et medetur febribus; siliquae verò tusae, atque impositae, scabiei. Cortex radicum fluxionibus obsistit. Sunt et aliae herbae eodem nomine, de quibus suis in locis dicetur.

CAPUT LII.

De COCOYENTIC, *seu planta simili Coen.*

Radicem fundit crassam, et fibratam, extra fuluam, et intus candentem: caules purpureos, et volubiles, florem album, et folia Phaseoli, cujus videtur species, terna, sed tamen majora, siliquasque tenues, et longas. Radix est dulcis, pertinens ad temperiem aut paulò frigidiori et adstringente natura. Medetur diarrhoeis semunciae pondere bis die devorata, sanatque ulcera illis inspersa. Nascitur in calidis *Temimiltznici* aut *Hoitzoci.*

CAPUT LIII.

De CHÁOACOCOPIN.

Cháoacocopin, quam alii *Papaloquilitl*, seu *olus Papilionis*, *alii verò Ahoyacaquilitl*, seu *olus odorum* vocant, radicem fundit raphaninae similem, extra pallidam, intra verò candentem, ex qua profert folia Malvae hortensis orbicularia, et paulisper serrata: caules dodrantales, teretes, lae-

ves et magna ex parte purpureos, et flores appensos ramis postremis in vasculis quibusdam oblongis, candidos, et qui demum in pappos abeant. Edulis est, et Coriandri saporem indistincta referens similitudine. Calida, siccaque ordine tertio natura constat, et subtilibus partibus. Comedunt eam Indi crudam, quoniam cocta e vestigio saporem amittit. Nascitur in montibus *Tepoztlanensibus*.

CAPUT LIV.

De CHÁOACOCOPIN secunda, seu ungibus Zelotipae.

Herba est sex dodrantes longa, caules ferens squallidos, concavos, teretes, hirsutos, ac lentae medullae, vitiginea folia, mediocria, fructum, cum viret, similem amygdalis, mediocrem, sed mucrone intorto, et scorpionis aculeo pari: decidente huic cortice bini ex altera parte apparent uncini, altera verò velut aquilae rostrum, aut os testudinis, triplici hiatu supernè, triplicique infernè, quaternis ex his dentatis. Nihil Indi de hac herba memoratu dignum narrant, et tamen describere placuit ob ejus raritatem. Nascitur in rivulis *Tyauhtepecensibus*.

CAPUT LV.

De COCILTEMECATL, seu volubili contorto.

Radicem agit Cociltemecatl longam et fibratam, un-

de profert caules volubiles , et in eis folia Urticae parva, et terna. Folia frigida sunt , et glutinosa natura ; quamobrem tusa , admotaque recentibus mederi dicuntur plagis, et quibusvis defluxionibus opem ferre. Provenit in calidis *Tzompanci* juxta fauces montium. Aliam eodem nomine , et natura vidimus apud *Tacapichtlenses* plantam , sed caulibus purpureis , striatis , et obtusioribus foliis , ac flore racematim , velut Atriplicis agrestis , dependente , seu eadem sit, soli tantum ratione distans , seu ad praedictae genus potiùs pertinens.

CAPUT LVI.

De ZACAMECATL , *seu pabuli fune.*

Fibratae frutex hic insistit radici , unde profert caules fulvos , et tenues , et in eis folia Ocymi , sed latiora , et aliquantisper odorata , adstringentiaque. Jus decocti ejus epotum ventriculo adhuc ciborum experte medetur dysenteriis. Provenit in calidis *Hoeyacocotlae* regionibus.

CAPUT LVII.

De TLALZACAMECAXOCHITL , *seu flore funis pabuli terrestris.*

Herba est transversae , et fibratae insistens radici , unde multos agit caules , et in eis saligna folia , oleaginave, et in summo flores ex albo rubescentes , comantes , exiles,

et modicos. Radix est calida siccaque ordine secundo, atque odora. Medetur eadem semunciae pondere devorata interpellatis febribus, mentemque reducit his, qui eam casu amiserunt.

CAPUT LVIII.

De MECAXOCHITL.

Volubilis genus est Mecaxochitl binos dodrantes longum, per terram repens, ac circa singulos foliorum exortus fundens fibratas radices, capillisve pares: folia sunt magna, pinguia, obrotunda, odora, et acris saporis: caules teretes, contorti et praeterquam unde oriuntur pediculi, laeves: fructus piperi longo persimilis. Quarto gradu calida est, siccaque natura, et fortassis ad Piperis longi species pertinens. Bibitur cum *Cacahoatl*, gratumque illi saporem conciliat, corroborat, ventriculum calefacit, oris halitum commendat, attenuat crassos et lentos humores, adversatur venenis, iliacis, et cholicis confert, urinam evocat; quòd si adjungas triginta granis *Cacahoatl*, *Tliltxochitl*, Piperis Tabasci, *Xochinacaztli*, siliquastrum, *Tlaolli*, et *Achiotl* drachmarum duarum mensuram, mirabilem parabis potionem ad morbos renum, et vesicae, et curandos, et coërcendos, qua usi *Hoatemalenses* nunquam ea morbi genera sensere; menstrua, ac partus emortuos trahit cum

Tlilxochitl, vivosque accelerat, obstructa reserat, frigora, et ex eis ortos dolores tollit, rigoribus febrium opitulatur, et alia his similia praestat juvamenta. Nascitur humectis locis regionum ferventium, qualis est *Quauhnahuacensis*, et *Huejacocotlensis*. Provenit etiam *Axuchitlani*, ubi *Chilpatli*, necnon *Tzinacanytlacual* vocant, ajuntque jus decocti foliorum capillos denigrare, et fructus pulverem inspersum dolores capitis tollere, succum verò radicis subassae illitum dentium dolorem levare.

CAPUT LIX.

De MECAXOCHIPATLI, *seu medicina floris funis.*

Frigida natura constat, ideoque febres mitigat unius unciae mensura, e frigido quopiam liquore devorata.

CAPUT LX.

De OZTOMECATZIN, *seu herba mercatrice.*

Arbuscula est folia ferens obrotunda. Cortex radicis facultate constat adstringenti. Ajunt Indi Medici, illitam corpori vocatis morbillis, quos ipsi *Matlaleaoatl* nuncupant, mederi; quod quàm sit absurdum ac praeter rationem, videant qui in morbis curandis non omnino methodo sunt destituti. Nascitur in calidis *Tepecuacuilci*.

CAPUT LXI.

De HOITZMECATL, *seu Volubili spinifera.*

Volubilis spinosi genus est, foliis Ocymi majoribus, et tamen minimè serratis, ac circa ramorum extrema ternis inter sese coëuntibus, ac velut unius trifidi imaginem referentibus, tenuibus, et mollibus, radice longa, transversa, fibrata, et intrinsecùs virescente: floribus magnis, rubris, orbicularibus, et hiantibus. Frigida natura constat, quò fit, ut ramorum cortices semunciae pondere tusi atque ex aqua devorati ventris dolores a calore ortos levent, admoti verò illitique febrilem ignem exstinguant, et inflammationibus opitulentur. Quin verberatis, aut his, qui ab excelso quopiam loco deturbati sunt, eadem mensura prodest. Nascitur in calidis *Quauhtatlae*, et in frigidis quoque regionibus juxta rupes, et arbores, quarum gaudet amplexu. Sunt qui *Yztacpatli* vocent, quoniam frigida sit, et *Hoitzpatli*, quoniam spinosa medicina.

CAPUT LXII.

De YZTACMECATL, *seu fune albo.*

Similis est omnino *Quauhchichicpatli*, sed frigorificis viribus, humidisque, et adversa febribus. Nascitur in locis campestribus *Hoaxtepeci*.

CAPUT LXIII.

De YZTACMECATL *secunda.*

Fibratam radicem fundit Yztacmecatl *secunda*, unde prodeunt caules volubiles, et in eis folia Mali Medicae, sed latiora, subalbida, et lanugine obducta: coccinei, ac parvi flores, unde siliquae oriuntur modicae. Frigida humentique natura constat. Succus foliorum propinari solet trium, quatuorve unciarum mensura his, qui a febre sunt recens liberati, necnon illis, qui urinae patiuntur ardorem, aut quibus acris, et mordax fluit. Quin etiam cortex in pulverem redactus medetur ulceribus mali moris. Nascitur *Hoeitlalpae*, et apud *Ytzocanenses*, qui eamdem plantam *Chichicpatli* vocant.

CAPUT LXIV.

De COLOMECATL *seu Colotemecatl, quod est funis Scorpii.*

Radicem fundit Colomecatl fibratam, et inde caules volubiles, teretes, tenuesque, et in eis folia serrata, et in quinque partes divisa, mediocris magnitudinis, florem candentem, magnum, *Caxtlatlapan* similem, ac demum semen. Succus foliorum medetur oculorum inflammationibus, quae tamen calida sunt, et lubrica natura, amygdalarumque amararum sapore; quo fit, ut nubes oculorum discutiant,

clarificent visum, et dissipent, ut dictum est, inflammationes; quin jus decocti ejus dicitur pilos regenerare, et pediculos interficere. Nascitur in agris *Acatlicpacensibus.*

CAPUT LXV.

De altera COLOTEMECATL.

Radicem fundit Raphano similem, ex qua profert caules fulvos, et volubiles: et in eis folia serrata angulosaque, ocyminis quadamtenus similia: flores candentes, et oblongos, *Caxtlatlapan* quoque similes. Radix est sapore, et temperie praecedenti similis, sed unciae unius pondere purgat eos, quibus venter tumet, gravaturve ob satietatem ventriculus. Nonnullum enim sortitur calorem, et subvertentem quamdam lubricitatem, quae statim gustata sentitur. Nascitur *Quauhquechullae*, montosis et asperis locis.

CAPUT LXVI.

De COLOMECAXIHUITL.

Similis omnino esset Colomecaxihuitl *priori Colomecatl*, nisi radicem haberet magnam, et Napo, aut Raphano crassiori similem: florem *Caxtlatlapan*; folia verò in septem partes divisa, et minimè serrata. Radix incisa gummi quoddam effundit: eadem initio sentitur dulcis, siccaque, et adstringens, sed mox guttur urit, cujus succus medetur ictibus

scorpionum illis instillatus, unde nomen. Nascitur in calidis *Tehoitztlae*, quibusque locis.

CAPUT LXVII.

De MECAPATLI *Mecatlanensi.*

Radicem fundit longam, et tenuem, et inde caules volubiles, luteos, unde nomen: folia cordis figura, floremque purpureum, *Caxtlatlapan* similem, in calycibus luteis contentum. Jus decocti ejus humores crassos ac frigidos purgat, ac ventris noxia pellit animalia. Decoquenda autem est adhuc virens, et matutino potio propinanda; sicca enim est inutilis. Provenit in calidis *Mecatlanensibus*, sylvosis locis.

CAPUT LXVIII.

De CHIQUIMECATL *Pahuatlanensi.*

Radicibus insistit fibris similibus, capillisve, unde proferuntur caules tenues, volubiles, et spiniferi, in eisque folia oblonga et minimè serrata, ocyminis quadamtenus similia, nerveis quinque discursibus secundùm longitudinem discurrentibus, ac ubivis sese convolventes capreoli. Smilacis asperae, quam *Zarzamparrillam* vulgus Hispanorum vocat, species est; nam praeter formam, illi magna ex parte respondet. Jus decocti radicum doloribus articulorum, atque universi corporis etiam a morbo gallico profectis sub-

venit, et eadem temperie, nempe nonnihil frigida, urinam evocante, et sicca constat. Nascitur in calidis, temperatisve, et montosis locis.

CAPUT LXIX.

De MECAPATLI, *seu Zarzaparrilla.*

Ita vocant Mexicenses nobile illud medicamentum, quod nostri *Zarzamparrillam* nuncupant, cujus reperi apud hanc novam Hispaniam non paucas differentias, referendas modò ordine a nobis, seorsimque, majoris distinctionis gratia. Priorem omnium describendam mihi proposui eam speciem, quae apud Hispanos, ac praecipuè apud Hispalenses in vallis, et aggeribus passim nascitur, referturque a rhizotomis, et herbariis peritis in Smilacem asperam descriptam a Dioscoride, repertam a me, non longè ab urbe Mexicana, in *Sanctae Fidei* oppido, locis frigidis, et aquosis juxta fontem aquae dulcissimae, atque saluberrimae, quae aquaeductibus ducitur in urbem. De forma ejus nihil dixero, quoniam illam affabre descripsit Dioscorides. Quod spectat ad vires, eaedem prorsus sunt, quae ceterarum specierum, etsi Dioscorides nihil de temperie protulerit, aut de vi, qua sudores eliciuntur, dolores articulorum ceterarumque particularum sedantur, rebellesque, et aliàs insanabiles profligantur, et evertuntur morbi, sed solùm explicuerit facul-

tatem, qua venenis adversaretur, ac alexipharmaci vices subeat. Ceterùm *Zarzaeparrillae* speciem esse (quamquam Hispani, qui ad has oras non penetrarunt, vix id sibi persuadent) nullo modo tergiversabuntur qui eam cum ceteris hujus orbis *Zarzaeparrillae* speciebus contulerint, etsi Indica semine careat; sed mos est hominum ita admirari extera, ut nihil putent apud se nasci, quod longiùs devectum in maximo habeatur pretio. Vis est frigida, siccaque, etsi partes habeat calidas, atque subtiles permistas, quarum gratia sudores elicit, ventriculi calorem roborat, renes, et urinae meatus expurgat, et lotium ciet. Nascitur optima apud *Tzompancum*, et vocatas *Honduras*, quas *Hueimolam* vocant Mexicenses.

CAPUT LXX.

De QUAUHMECAPATLI.

Haec est illa *Zarzaeparrillae* species, cujus radices in nostrum orbem deferuntur, foliis magnis, cordis figura, caulibus volubilibus, et spinosis, et radice surculosa, fructu nullo, et capreolis hinc et inde exorientibus. Nascitur *Tototepecensibus* agris, *Metztitlanensibus* et *Quauhchinancensibus*. Sed omnium melior in ea regione, quae a profunditate *Honduras* nomen accepit.

CAPUT LXXI.

De QUAUHMECATL *altera.*

Species etiam est *Zarzaeparrillae*, radicibus surculosis innixa, unde profert caules volubiles, et spinis horridos, capreolos multos, ac semen nullum; folia autem Ocymi acuminata, et nullis secta crenis, nerveis verò discursibus secundùm longitudinem discurrentibus. Vis eadem, quae ceteris. Inveni aliam speciem in radicibus Aethnae non longè ab oppido *Atatacco*, per omnia *Quauhmecaxochitl* similem, sed radicibus tenuibus, nec fibris crassioribus, cujus etiam vis eadem; nec tamen curavi depingendam. Sunt qui contendant has omnes pertinere ad Chinae genera; sed quoniam radicibus longè differunt, sui generis potiùs esse plantas existimandum est, quamvis foliorum figura, volubilibus caulibus, capreolisque videantur esse similes, necnon frigida siccaque, qua sunt praeditae, natura, etsi non ita adstringenti, placandis doloribus articulorum, aliisque, e gallica lue profectis, sunt omnes utiles, sudoribus evocandis, curandisque mali moris ulceribus, morbisque inveteratis, et insanabilibus, et qui e crassis lentisque humoribus trahunt ortum, aut ad nervos pertinent, et tumoribus praeter naturam, qui rebelles sunt, discutiendis, curandis ulceribus, et aliis ad hunc modum persanandis, quae toti paene mun-

do innotuere. Nam jure decocti per aliquot dies propinato ea mensura, quae a multis jamdiu praescripta est, cum nota quoque victus institutione, ceterarumque rerum, quas non naturales vocant, aut pulvere radicum duarum drachmarum pondere, ex vino, aut aqua devorato, aut evocato sudore, aut insensibili quodam perspiratu aegrotantes restituuntur; sive id contingat ob partes quasdam tenues, et calidas permistas frigidioribus, et crassioribus, aut ob siccitatem, sive ob occultam quampiam vim, sive ob praedictarum rerum commodam institutionem. Sed hujus rei inquisitio non est admodum necessaria nostro instituto, obiter praecipuè ac perfunctoriè scribentibus. *Yanguitlanenses* vocant *Coztichuizti Palancapatli*, Mechoacanenses verò *Tehuanitzoz*, qui ajunt inspersum pulverem ulceribus mederi.

CAPUT LXXII.

De COZOLMECATL, *seu Cunarum fune.*

Cozolmecatl, quam alii *Olcacatzan* vocant, ad Chinae Mexicanae species videtur attinere. Radice enim crassa constat, obrotunda, rubra, gravi, cum viridis est, sed procedente tempore levi, et fibrata; unde profert caules juxta radicem rubeos, geniculis interceptos, tenues, spiniferosque, arundinaceos, et lentos, refertos capreolis, volubiles, et arbores propinquas in cacumina usque scandentes:

folia obrotunda, mediocris magnitudinis, et venis in longitudinem ternis discurrentibus, fructumque Myrti, refertum semine. Majora audio de hac planta narrari etiam ab iis, qui ejus usi sunt remediis: sanguinolentos nempe oculos brevi illustrari ac pristino restitui nitori, apposito tantùm folio, ulceribus oris mederi, pudendorumque gallica etiam lue infectis radicis pulverem carnem superexcrescentem absumere, et decentem restituere, ad temperiem spectare, et tamen occulta quadam vi calidis, ac frigidis adversari affectibus; nec solùm admotam, sed devoratam quoque conferre, sive folia, sive radix ipsa referatur in usus; esseque, qua libeat uti, mensura, aut pondere innocentem; vires augere, et firmare sarcireque exhaustas, et defectas vel solùm attrectatam, et calorem semiexstinctum ita reparare, atque emorientes etiam homines revocare in hanc lucem; admota folia dentium dolores, capitis, articulorum, et ceterarum corporis partium, velut per miraculum lenire, et his dolenti loco adhaerescentibus certissimam salutis haberi posse spem: adhaerent enim, cum sedandus est dolor, aliter statim irrita cadunt; venerem mirè excitare, juvareque capiti impositam, conciliare somnum, et devoratam ex vino colicae mederi, flatum discutere, adversari venenis, corroborare, et adesse coctioni, veneris usu nimio exhaustos ei incubantes magnopere vires resumere, febres tollere, et firmare gingivas; de-

nique vix est morbus aliquis in tam varia, numerosaque eorum sylva, cui negent opem ferre, imo vel hac sola planta inventa, atque nostri orbis viris declarata non fuisse irritos regios conatus affirmant, aut frustra adhibitos insumtus, et historicorum labores, quae omnia tempora, quae nos sequentur, rerumque exacta peritia firmabunt, et facient manifesta. Provenit in oppidis *Joannis Conchensis*, calidis nempe regionibus, *Mecatlanique* editis, humilibusque locis, necnon *Totonacapae*, ubi addunt duas esse hujus Volubilis species: alteram, de qua sumus loquuti, nempe fructiferam, et saluberrimam, e cujus stipitibus parentur scipiores perpulchri, lineis nempe fulvis, et nigris vicissim variati, alteram verò fructu carentem, quae potiùs pertineat ad venena.

CAPUT LXXIII.

De altera OLCACATZAN, seu Pahuatlanica.

Species est Chinae Mexicensis radice contorta, geniculata, fulva, et arundinaceae simili, sed densa ac gravi, unde profert caules volubiles, et tenues: et in eis folia oblonga, acuminata, et lineis secundùm longitudinem discurrentibus insignia, fructum acinosum, ac racematim dependentem in summis caulibus, qui cum maturuit, nigrescit, arbores excelsas scandit, atque complectitur. Seritur interdum, excoli-

turque usus gratia in viridariis, ac hortis. Stillat gummi, quo utuntur indigenae ad corroborandos dentes, idem ferentes, atque mandentes ore, vocatum *Tzictli.* Jus decocti radicis contusae infunditur adversùs inveteratos morbos felici eventu. Idem jus epotant adversùs gallicam luem, ac chronicos alios, et diuturnos morbos. Differt ab orientali China, cujus radix levior sit, rarior, albidior, tenera ac minùs adstringens, et tamen eosdem paene praestare usus periclitatum est, quos illam, *Guayacum*, aut *Zarzamparrillam* eadem arte, et victus institutione administratam. Qua de re, ut a multis ante me scripta, ac pro diversis regionibus, morbis variis, ac hominum temperaturis variabili, nihil hic putavi adjiciendum. Est autem haec, de qua loquimur, radix frigidae, siccaeque, et adstringentis naturae, sed amara, partiumque subtilium particeps; quo fit, ut jus decocti ejus praeter jam dicta ventriculum debilem corroboret, flatum discutiat, absumatque, et vacuet per poros eam atrae bilis, et pituitae portionem, quae pharmacorum refugit vim, dolores extirpet, ac leniat, aliaque praestet juvamenta, quae in praedictas plantas solent referri. Nascitur *Pahuatlanicis* agris, unde cognomen.

CAPUT LXXIV.

De CHINA *Mechoacanenſi.*

Eſt et altera CHINAE ſpecies, quam a loco natali *Mechoacanenſem* vocavi, arundinacea radice, rubraque, ſed denſa, et gravi: caulibus levibus, ac ferulaceis, arundineis, longis, ac pollicem craſſis, foliis ornatis per intervalla magnis, cordis figura, ac nervis ſecundùm longitudinem diſcurrentibus, quod evenit in ceteris, quibus etiam viribus et haec ſimilis eſt. Naſcitur *Mechoacani*, ubi *Phacao* vocant.

CAPUT LXXV.

De tertia QUAUHMECATL, *ſeu fune montano.*

Herba eſt radices agens longas, digitum craſſas, ſubalbeſcentes caules, folia Piperis longi, flores tribus conſtantes foliis, ſubalbidis, rotundis, media parte plicatis, et qua procedit dorſum, conjunctis, ita ut ſenos videantur conficere ſemicirculos in orbem efformatos. Radix eſt frigorifica, et adſtringens. Naſcitur *Temimiltzinci* ubique.

CAPUT LXXVI.

De QUAUHMECAYZTACPATLI.

Volubilis eſt genus, caules proferens tenues, folia rara, aſpera, et infernè ſubalbeſcentia, hirſutaque, ocyminorum

figura, paulò tamen oblongiora, et minimè serrata: flores ex luteo rubescentes, ac parvos in summis cacuminibus ramorum. Ajunt succum radicis ejus, quae tenuis, et longa est, mederi oculis suffusione laborantibus, et tamen frigida, et adstringenti natura constat, fortassis defluxu prohibito, et roborata facultate, aut calidioribus partibus leucomata discutientibus. Nascitur in planis *Quauhnahuacensibus.*

CAPUT LXXVII.

De QUAMECATL *latifolia.*

Radici insistit fibratae, ex qua mittuntur caules volubiles, hirsuti tenuesque, cum quibusdam in partibus summis capreolis: folia quernea, et serrata, ubique terna; flores, ut ajunt, candentes, semen phaseolorum figura. Radix est frigida, et adstringens. Folia tusa, resoluta ex aqua, et capiti illita dolorem ejus sedant. Provenit in calidis *Tohalani* juxta flumina, et aquarum quasvis defluxiones.

CAPUT LXXVIII.

De QUAMECATL *tenuifolia.*

Radice firmatur praelonga et Raphano simili, ex qua funduntur praetenues caules, volubiles, hirsuti: et in eis folia Olivae longa, et angusta, sed minora, quaterna, quinave: flores candentes, semen phaseolis simile. Lac ejus

bis die instillatum, oculis medetur. Exsultat in calidis et campestribus *Yohalani* locis.

CAPUT LXXIX.

De QUAUHMECATL *Mecatlanica.*

Frutex est ex aliis arboribus vitam sibi mutuans, foliis Plantaginis, acuminatis, et interveniis secundùm longitudinem discurrentibus insignibus, pinguibus, ac diluto tinctis virore, ramis per intervalla geniculatis, et sarmentosis, floribus e fulvo in luteum colorem inclinantibus, vermiculis similibus, quinis, senisve acervatim cohaerentibus. Epota aqua, ubi herba haec, addita quoque *Cohayxtelolotli*, aliquamdiu maduerit, puncturis scorpionum aliorumque venenatorum animalium opitulatur. Folia sunt calefacientia, et nonnihil amara. Nascitur in calidis *Mecatlani*, unde cognomen.

CAPUT LXXX.

De QUAMECAXOCHITL.

Frutex est foliis oblongis, et acuminatis constans, surculosa radice, caule volubili, tenuique, et in luteum colorem vergente, floribus pallentibus, acervatim congestis circa singulos foliorum exortus. Nihil de ea planta narratur, quod ad usus medicos spectet: delineata tamen descriptaque est ob commoditatem historiae, cui interdum incumbimus.

CAPUT LXXXI.

De CONEXIHUITL, *seu infantum medicina.*

Conexihuitl, quam alii *Quaühmecaxochitl* vocant, volubilis herba est, odora, et resinosi saporis, tenui caule fulvoque ex radice tenui prodeunte, foliis per intervalla obrotundis, et acervatim cohaerentibus, flore Piperis longi, sed tenuiore. Calida, siccaque constat natura. Diarrhoeas infantum dicitur coërcere, unde nomen. Provenit in calidis, et temperatis locis, umbrosis, humilibus, atque humectis.

CAPUT LXXXII.

De altera QUAMECAXOCHITL.

Radicibus firmatur capillis similibus, e quibus mittit stipites senos dodrantes longos, Pruni folia, serrata, latioraque: flores albos, rotundos, et ex luteo rubescentes. Gratum odorem spirat confricata: caloris est, et siccitatis particeps, et cujusdam etiam amaritudinis, tumoresque praeter naturam discutit. Nascitur in frigidis *Amaquemecae.*

CAPUT LXXXIII.

De TETEMECATIC, *seu herba simili Mecatl.*

Volubilis planta est, radice firmata candenti, crassa, et longa, e qua profert folia trifida, fructum ficui parvo si-

milem forma, et colore, refertum granis coccineis, supernè nucleos includentibus parvos, similes ricinis, sed minores. Radix est frigefacientium virium humectantiumque; quo fit, ut propinata semunciae pondere febres dicatur exstinguere. Nascitur in frigidis *Tetellae* et *Ocortuci* juxta colles.

CAPUT LXXXIV.

De TEMECATL *Hoaxtepecensi.*

Volubiles caules profert, ac capreolis implexos, Temecatl *Hoaxtepecensis* e fibrata radice, simili Raphano, tenues, teretesque, folia cordis figura, sed longiora, et magis acuminata. Folia foetida sunt, frigidaque, humida, et glutinosa natura. Eadem tusa admotaque bis die medentur ulceribus ac recentibus plagis: tusa verò resolutaque ex aqua propinantur his, qui deferuntur in *Temaxcalli*, balneumve, a morbo jam resurgentibus refrigerationis et corroborationis gratia. Tumoribus etiam praeter naturam medentur. Pungenti constant gustu, suntque ex his, quas vocant Mexicenses *Quequexquic*, aut cum frigore lancinantes. Sunt, qui ob frigiditatem *Tztacpatli* vocent. Nascitur in temperatis locis, ac toto anno provenire gaudet.

CAPUT LXXXV.

De TEMECATL *altera.*

Vel unicus flos herbam hanc ubicumque micantem deteget; est enim alis papilionum omnino similis, rubeusque. Admista pinguedine vermium, quos *Axim* vocant, de quibus inter Animalia, doloribus ortis a frigore mirè dicitur mederi.

CAPUT LXXXVI.

De TEMECAXIHUITL.

Volubilis planta est foliis Amygdali, serratis, caule tenui, quadrato, striatoque, sarmentoso, et fibrata radice. Folia Raphani saporem praeseferunt, succus verò potari solet adversùs ventris dolores ortos e frigore. Nascitur in collibus *Anenecuilci.*

CAPUT LXXXVII.

De TEMECATL *tertia.*

Radicibus insistit Temecatl *tertia* surculosis, unde fundit caules quaternos dodrantes longos, et Limoniae Mali folia. Calida et sicca ordine tertio natura constant, adstringentique, et amaro sapore. Radix medetur impetigini trita, atque imposita, et nunquam reversurum morbum profligat. Nascitur saxosis locis *Xiuhtepecensibus.*

CAPUT LXXXVIII.

De TEMECATL *expurgate.*

Radice insistit Raphano simili, sed tenuiori, unde eduntur caules tenues, lenti, repentes per terram: et in eis folia rara, tricuspidia, et modica; ac flores orbiculares, modici, luteique juxta singulos foliorum exortus toto caulis procursu, et tandem vascula referta semine, infernè hirsuta, et subalbida. Radices semunciae pondere epotae ex aqua per superna, atque inferna bilim, et pituitam vacuant. Nascitur *Acelmáni* ubique.

CAPUT LXXXIX.

De TEMEMECATL.

Volubilis planta est foliis tricuspidibus, volanti avi similibus, cujus formae gratia delineata est; non enim aliquid insigne de ea accepi.

CAPUT XC.

De TEMECATL *Tyauhtepecensi.*

Radice firmatur magna, unde profert caules volubiles, capreolis implexos sarmentososque: et in eis folia obrotunda, et undulata, mollia, et gravis odoris, foetidive, ac fructum acinosum, toto caulis procursu racematim depen-

dentem. Calida constat natura ordine ferè tertio, et amaro sapore, cujus gratia quidam *Chichicpatli* seu *amaram medicinam* vocant. Folia tusa, impositaque ulceribus, satietati, ventris dolori, et cuivis alio ex gallica lue orto medentur, urinam devorata evocant, et flatum discutiunt.

CAPUT XCI.

De TEMECAXIHUITL *secunda.*

Ex fibrata radice mittit Temecaxihuitl *secunda* caules volubiles: et in eis folia cordis figura, et magnitudine, molliaque, flores modicos, et candentes, similes *Tzquixochitl.* Nec alium, quàm florum, quod adhuc compererim, praestat usum.

CAPUT XCII.

De TEQUAMECATL, *seu volubili adhaerente saxis.*

Radices sunt capillis similes, caules fulvi, et volubiles: folia oblonga, et singulis angulis insignia, flores pallescentes ex candido, parvi, et exiles: de qua adhuc nihil effatu dignum accepi.

CAPUT XCIII.

De XALTEMECATL, *seu Volubili arenoso.*

Fibratae insistit radici, ex qua fundit plures ramos, lon-

gos, exiles, et volubiles, in eisque folia Olivae, parva tamen, longiuscula, angusta, et acuminata, ac flores parvos, et luteos. Convolvitur vicinis arboribus, aut si absint, serpit per terram. Radix est acris, nonnihil amara, calidaque et sicca ordine tertio. Medetur ulceribus cancerosis exesa carne supervacanea, sorditie abstersa, et tandem obducta ulceri cicatrice. Nascitur in calidis *Coatlani Quauhnahuacensis* acclivibus montium locis.

CAPUT XCIV.

De XALTEMECATL *altera.*

Volubilis est genus, folia Olivae ferens, breviora tamen et exiliora, radicem prolixam, croceam ac minimum digitum crassam, floresque coccineos, et modicos. Frigida, humentique natura constat; quo fit, ut folia mammis imposita, corticesque elixi, atque ingesti lac puerperis mirè evocent. Provenit *Hoapani* calidis regionibus, juxta flumina, aut defluentes aquas.

CAPUT XCV.

De ZAZALIC *Tyauhtlina.*

Quam nonnulli Zazalic *Tyauhtlinam* vocant, et alii *Tlacozazalic*, seu *virgam glutinosam*, radicem fundit pollicaris crassitudinis, extrinsecùs e nigro fulvescentem, intrinsecùs

verò luteam, atque impensè glutinosam: caules teretes, tenues, et hirsutos: folia *Yztauhyatl*, unde cognomen, non tamen serrata, sed nerveis discursibus secundùm longitudinem discurrentibus: flores albos modicos, longiusculis calycibus contentos, et comantes, ubi tenue, et fuscum generatur semen. Radix mediocrem ferè sortitur temperiem, et naturam valde glutinosam, saporem aut odorem nullum, si quamdam acrimoniam excipias, quae partium calidarum, et subtilium indicio est. Fracturis, vulneribus, ruptisque utilissima est; praettereà diarrhoeis, dysenteriis, sanguinis exscreationibus, ceterisque defluxibus, praecipuè si cum *Tlatlauhcapatli* misceatur et bibatur jus decocti ambarum. Quin flatum discutere dicitur, ac ventris inflammationem tollere. Gaudet clementi caelo, sive montosis, sive campestribus locis. Vellitur radix Decembri, et imbrium tempore fundit flores.

CAPUT XCVI.

De ZAZALIC *Copitlanensi.*

Radicem fundit fibratam, tenuem, et longam, unde profert caules lignosos, et tenues: et in eis folia Amygdali terna per intervalla, flores coccineos, parvos, in corymborum formam compositos, et in summis ramulis quasdam velut spicas, parvas, pallentes, necnon exiguas quasdam siliquas, quae concinnantur ex floribus, semine parvo re-

fertas. Frigida est, et glutinosa, vomitum, diarrhoeas, dysenterias, et sanguinis exscreationes sistit, abortum cohibet, tenesmon compescit, exedit carnem excrescentem in oculis, et argemata dissipat, inflammationes repellit, et membra, quaecumque ob calidam intemperiem debilia sunt, firmat, atque corroborat. Nascitur in calidis. Reperi aliam eodem nomine plantam in planis faucibusque montium *Quauhnahuacensium*, et *Yacapichtlensium*, necnon *Ocortuci*, eisdem facultatibus, et forma circiter praeditam, sed ob situm fortassis, aut aetatem radicum forma, foliorum latitudine, et summis spicis paulisper differentem; quamobrem non sum dedignatus ejus quoque effigiem adnectere.

CAPUT XCVII.

De ZAZALICPATLI *Pahuatlanensi.*

Radicem mittit Raphano similem, et ex ea caules multos, foliis serratis, ac ternis ornatos: flores purpureos in suprema parte caulium. Radix Pinum resipit; glutinosa, atque resinosa est, calidaeque, et humentis ordine secundo temperiei, et gustu odora. Jus decocti ejus epotum, infusumve enixarum cruciatus, et tormina dissipat, et vomitiones, diarrhoeas, ceterasque a frigore ortas defluxiones compescit. Ad Ligustici genera pertinet, et tamen quia glutinosa est, et *Zazalic* dicitur a Mexicensibus, eam in hunc

locum revocavimus. Calidis exsultat regionibus, irriguisque et humentibus locis.

CAPUT XCVIII.

De ZAZALICPATLI *Tepoztlanica.*

Volubilis genus est, radice firmatum simili Raphano, unde profert caules laeves, tenues, rubeos, sarmentosos: et in eis folia cordis figura, nonnullosque capreolos. Fluxum retinet sesquidrachmae pondere ex aquâ devorata quoties expediat, fracta ossa consolidat, et laxata constringit. Nullo sapore constat, sed frigida, et glutinosa natura.

CAPUT XCIX.

De ZAZALICPACTLI, *Copalli sapore et odore simili.*

Radices fundit multas, longas, tenues ac fibris similes, caules tenues, rotundos, ac paulisper rubescentes: folia amygdalina, serrata tamen, et aspera: florem rubescentem ex pallido, odore et sapore citra distinctionem ullam gummi *Copalli*, ac nonnihil adstringentem. Jus decocti radicum loco aquae passim ebibitum fluxum alvi coërcet, firmatque ventriculum et intestina.

CAPUT C.

De ZACALTICPATLI.

Herba est duos dodrantes longa, foliis Limonis, longioribus tamen, radice crassa, et fibrata, fulvaque, sed vergente in coccineum colorem, ex qua profert caules tenues, ac virides, et in eorum cacumine flores longiusculos, virore tinctos diluto. Radix devorata aut jus decocti ejus epotum loco aquae fontanae febres dicitur exstinguere. Nascitur temperatis regionibus, qualis est *Tetzcoquensis*, planis et campestribus locis.

CAPUT CI.

De ZAZALICPITZAHOAC.

Herba est tenues proferens caules, folia longa, et exilia, floresque purpureos, et modicos. Folia devorata e liquore aliquo adstringenti trium drachmarum pondere medentur dysenteriae; frigida siquidem sunt, et glutinosa natura, unde herbae huic contigit nomen. Nascitur in calidis regionibus, qualis est *Tyauhtepecensis*.

CAPUT CII.

De ZAZALIC *Horminina*.

Radicem fundit rotundam praeter alias longiores, non

admodum craſſas, quae ab illa originem ducunt, e qua aſſurgunt duo treſve caules, binos dodrantes longi, teretes, tenues, ſubalbidi, atque hirſuti: folia Hormini vulgaris, aut Alectorolophi, quinarum unciarum intervallo. Jus decocti epotum medetur diarrhoeis.

CAPUT CIII.

De ZAZALIC *perſicaria.*

Herba eſt radicibus innixa, capillis ſimilibus, e quibus exeunt caules e viridi ſubalbeſcentes: et in eis folia Perſici, ſerrata tamen, unde inditum eſt ei cognomen: flores in extremis ramis lutei, et in comam quadamtenus compoſiti. Edulis eſt, frigida, atque glutinoſa natura, regionumque temperatarum, et humidorum lacuſtriumque locorum incola.

CAPUT CIV.

De ZAZALIC *Volubili.*

Radice firmatur craſſa, et ſurculoſa, unde prodeunt caules tenues, teretes, multi, et longi: et in eis Mali folia, purpureo colore maculata. Radix trita, et unius unciae menſura devorata, renibus dicitur opitulari, ejus potu emundatis, et calore eorum nimio cohibito; frigida enim natura conſtat.

CAPUT CV.

De ZAZALIC *Tepecuacuilcensi.*

Herba est per terram repens, foliis obrotundis, et parvis, modicis et coccineis floribus. Folia tusa, illitaque febres exstinguunt; frigida enim est. Nascitur in planis, calidisque locis juxta rivos ac flumina.

CAPUT CVI.

De ZAZALIC *Chietlae.*

Occurrit nobis *Chietlae* quaedam ZAZALIC differentia foliis *Atzoyatl*, aliis quibusdam interpositis ocyminis majoribus, longioribusque et magis acuminatis, floribus luteis et protractis in longum, odore gravi, substantia lubrica, unde nomen, et calore modico, frigidave temperie, qua dicitur applicata opitulari praeter naturam tumoribus.

CAPUT CVII.

De ZAZALIC *Tyacapichtlensi.*

Herbula est radici insistens Pyri parvi forma, unde folia profert Alsines, terna, sed firmiora, ac tenues caules. Radix est frigida, ac glutinosa, unde nomen, sapor verò leguminis. Provenit in calidis *Tacapichtlae.*

CAPUT CVIII.

De altera ZAZALIC *Tacapichtlensi.*

Differt haec Zazalic *Tacapichtlensis* ab ea, quae praecessit: folia enim fert parva, et rotunda, multasque radices, similes surculis. Radix est frigida, sicca, et adstringens. Diarrhoeas, quoquomodo admovere libeat, coërcet. Nascitur in locis calidis, et campestribus.

CAPUT CIX.

De ZAZALIC *Tzonpanci.*

Herba est quatuor dodrantum, caules proferens, teretes, hirsutosque: et in eis folia Urticae nostratis, majora tamen, raraque, et flores, ut ferunt, candentes. Succus alvum coërcet; frigida enim videtur, aut attinens ad temperiem, etsi nonnihil participet amaritudinis.

CAPUT CX.

De ZAZALICTLATLACISPATLI, *seu Zazalic tussi opportuna.*

Frutex est parvus, purpureos stipites fundens, folia hirsuta, et mollia, coccineos flores, ac vascula orbicularia, ubi continetur semen, in quatuor divisa portiones: radix est candida, tenuis, teneraque, unica, et laevis. Haec in laevorem redacta devoratur ad placandam tussim, et pectoris

dolores leniendos ab eadem tussi ortos. Nascitur in vallibus humectis, et frigidis; servaturque radix in annuos usus.

CAPUT CXI.

De ZAZALICXIHUITL.

Zazalicxihuitl, quam alii *Tlacozazalic* vocant, herba est tres cubitos longa, radicibus firmata surculosis, e quibus fundit caules pennam anserinam crassos, folia rara, parva, serrata, cordis figura, molliaque. Eadem contusa, atque infusa diarrhoeas campescit. Provenit frigidis regionibus, qualis est *Tototepecensis*, quibusvis in locis. Herba est impensè glutinosa, adstringens, frigida, siccaque. Perfractis ossibus medetur, et defluxionibus confert.

CAPUT CXII.

De ZAZALICXIHUITL.

Herba est foliis Mali Medicae, sed oblongis, et serratis, ac floribus in ramis postremis cyaneis. Abluunt indigenae crura tumentia foliorum decocto, ita sanitati restituenda. Provenit *Mactlactlani*, regione nempe calida, sive editis, sive humilibus locis.

CAPUT CXIII.

De ZAZALICTLACOPATLI, *seu sudis glutinosae medicina.*

Volubilis genus est, radicem ferens luteam, et Raphano similem, digitum minimum crassam, nec omnino fibris carentem, ex qua profert caules tenues, refertos foliis cordis figura, multis distinctis interveniis, magis acuminatis et prolixioribus. Folia glutinosa quadamtenus sunt, et salivosam naturam participantia, unde factum est huic plantae nomen. Urinam egregiè devorata evocat semunciae pondere, et quartanam curat ante horrorem devorata; hydropicis medetur, dolorem ventriculi tollit, uterum reducit, et convulsionem enixae curat, si ex vino devoretur elicitusque servetur sudor, et inflammationibus oculorum opitulatur. Verùm cum calida sit, et eisdem paene facultatibus polleat, quibus *Tomahuactlacopatli*, de qua suo loco est dicendum; eademque prorsus forma, nisi magnitudine longo intervallo superaretur; non aliter evenire putandum est, quàm discussis humoribus, oculisque delinitis, aut repulsu quodam roboratis. Sunt inter nostros, qui hanc plantam *Cinamomum* vocent, quoniam radix impensè est odora, gustusque jucundi, et resinosi; inter Indos verò *Quitlacozazalic*, *Tzontololotic*, et a fluxu coërcendo *Apitzalpatli.* Nullum enim horum nominum pertransire decet, aut ignorare, ne nomi-

num, et linguarum diversitas nobis pariat caliginem. Nascitur in calidis, qualis est ager *Hoaxtepecensis* et *Quauhnahuacensis*. Sunt qui *Hoelicpatli* vocent.

CAPUT CXIV.

De TOMAHUACTLACOPATLI.

Adnectenda fuit occasione praecedentis plantae Tomahuactlacopatli descriptio: volubilis igitur herba est, radicem fundens pallidam, crassam, longamque, et ex ea caules tenues, geniculatos, purpureos, et prolixos, refertos foliis similibus illis *Zazalictlacopatli* aut longae Aristolochiae, ad cujus species videtur referenda, sed majoribus, tenues ac purpureos flores, Aristolochiae rotundae similes, fructum crassiusculum, cucurbitulis striatis, ac pentagonis quadamtenus similem, semine refertum. Radix est nonnihil amara, calens ordine ferè tertio, odora, gustuque adstringente, et resinoso. Mederi dicitur tumoribus praeter naturam imposita, dolores lenire, punctis ferre opem, et frigora febrium pellere; cor stomachumque, ac cerebrum roborare, emundare pectus ac ventriculum, et drachmarum duarum pondere hydropi vacuata causa opitulari. Sunt qui *Totomahuaçtlacopatli* vocent. Nascitur in montosis, ac calidis locis, qualis est *Tlachmalacacensis* et *Hoaxtepecensis*.

CAPUT CXV.

De YXZAZAL, *seu oculo glutinoso.*

Radicem fundit crassiusculam, ac intrinsecùs candentem fibratamque: caules sarmentosos, longos quaternos dodrantes, florem coccineum, et exilem, Novembri mense erumpentem, folia ocymina, verùm minimè serrata. Calida est et sicca ordine tertio, subtiliumque partium. Discutit, praeter alia, quae similem temperiem sequi solent, furunculos, aperitque. Provenit in calidis *Yohalanensibus.*

CAPUT CXVI.

De OMIZAZAL, *seu planta ossium conglutinatrice.*

Radices Omizazal agit tenues, caules bicubitales, plurimos, e viridi in caeruleum et obscurum colorem vergentes, ubique contortos inconditosque, folia Limonis, flores rubescentes, et parvos. Frigefacientis est, et glutinosae naturae; quamobrem totius plantae pulvis succusve duarum unciarum mensura his, qui exauctorati sunt, mirè ebibitus opitulatur. Nascitur montosis locis regionum frigidarum, necnon apud *Panucenses*, qui addunt succum tumoribus praeter naturam, atque ulceribus mederi.

CAPUT CXVII.

De altera OMIZAZAL.

Herba est *altera* Omizazal per terram repens, aut, si arbor juxta contingat, illi se convolvens, et in summa scandens: capreolis constat multis, ac stipitibus tenuibus rubrisque, floribus racematim dependentibus, qui exiles, et candidi sunt, et in orbicularem formam compositi: radice magna, fibrata, et tenera: foliis Pyri, sed longè amplioribus. Radices contusae fractis ossibus medentur; frigida enim, humida, et nimis glutinosa constat natura. Nascitur *Hueitlalpae*, et ubique sata provenit.

CAPUT CXVIII.

De QUAUHZAZAL, *seu arbore glutinosa.*

Volubilis etiam genus est Quauhzazal, foliis ocyminis, majoribus tamen, minimè serratis, ternisque, floribus purpureis, legumini similibus, et racematim dependentibus, ternisque vasculis luteis, alicunde prodeuntibus. Eadem, qua praecedentes, constat natura, et similes etiam praestat usus. Verùm cum *Mazanenepilli* ulceribus alioqui insanabilibus mederi solet.

CAPUT CXIX.

De YZTACZAZALIC.

Radicem fundit Raphani praelongam, et crassam, unde oriuntur caules dodrantales, teretes, tenues, et purpurei: flores lutei, unde generantur vascula oblonga, et tenuia, quibus clauditur semen, folia Amygdali, serrata, parvaque, hirsuta, atque subalbescentia. Radix frigefacit, conglutinatque; imponitur tumoribus praeter naturam, quos oportet repellere, fluxus sistit seu devorata, seu extrinsecùs illita. Exhibetur his, quae abortiere, et ex abortu sunt confractae, corroborationis gratia, necnon ex longo itinere, aut alia ex causa delassatis. Nascitur in frigidis regionibus, campestribusque, ac planis *Xalatlaci* locis.

CAPUT CXX.

De YZTACZAZALIC *altera.*

Radices fundit testiculorum forma, et surculosas, folia mediocria, cordis figura, capreolos multos, fructum acinosum, racematim dependentem, gustus ingrati, et caules geniculatos, et spiniferos. Pulvis ejus glutinantibus medicamentis admistus fracta luxataque restituit.

CAPUT CXXI.

De TLAPALZAZALIC, *seu Zazalic coccinea.*

Radicem fundit Tlapalzazalic fibratam, et ex candido rubescentem, caules teretes, laeves, hominis ferè altitudine, folia serrata, ocyminis majora, florem candescentem, ex quo vasculum refertum semine generatur. Cortex radicis tritus, et ex aqua trium drachmarum pondere devoratus fluxum detinet; frigida enim est, et glutinosa. Nascitur in calidis, quale est *Tyauhtepec*, *Hucxtepec*, et *Texaxahuaco.*

CAPUT CXXII.

De TLACOZAZALIC, *seu virga glutinosa.*

Radicem fundit fibratam, et crassiusculam, fulvamque, caules longos, et coccineos, folia Ocymi, obrotunda, minora, et minimè serrata, nigrantesque et parvas baccas. Frigida, et glutinosa constat natura, unde sumsit nomen. Nascitur apud *Quauhnahuacenses.* Medetur diarrhoeis, et quibusvis aliis defluxionibus, quocumque modo applicetur.

CAPUT CXXIII.

De CURUPU.

Herbula est radici innixa Raphano simili, ex qua multos fundit ramulos, tenues, ac teretes: et in eis folia Myo-

sotae paulò majora, altera parte fusca, et altera subalbida. Frigida constat natura, atque ideo aqua, in qua tusa radix aliquandiu permanserit madueritque, inflammationibus oculorum opitulatur. Nascitur *Pazcuarinis* agris provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXXIV.

De altera CURUPU.

Radice firmatur fibrata, et tenui, ex qua mittit exiles caules, purpureos, teretes, ac dodrantem longos: folia Amaraci, majora tamen, infernè subalbescentia, et supernè viridia: florem obrotundum, parvum, et e luteo subrubescentem. Radix tusa firmat, atque adstringit dentes, et ex aqua liquefacta medetur oculis. Nascitur in temperatis, aut paulò frigidioribus locis, quale est oppidum *Pazcuari*, provinciae *Mechoacanensis*, *Tacambarumque.* Est autem aliquantisper dulcis, et adstringens, et dentibus mirum in módum amica.

CAPUT CXXV.

De CARATACUA *angustifolia, seu scoparum medicina.*

Species est *Tepopotli* Mexicensium, angustiorum foliorum, earumdemque virium. Nascitur *Pazcuari.*

CAPUT CXXVI.

De COYOTLYATEUH, *seu testiculo Coyotl.*

Id nomen sortita est haec herba a foliis, quae orbicularia sunt. Frigida constat natura, neque quidquam insigne de ea narratur; quamobrem non putavi delineandam.

CAPUT CXXVII.

De COYOCUECHTLI, *seu sonalibus Coyotl.*

Caules sunt cavi, et purpurei, folia angusta, et longa, tota herba prolixa, et in summis caulibus semen Sonchi ferens. Paulisper est amara, neque ob aliam facultatem, qua prodesse possit, spectabilis.

CAPUT CXXVIII.

De COYOMAXTLA, *seu brachiis vulpinis.*

Folia fert hirsuta, tenuia, mollia, esuique accommoda, quae profert e radicibus nigris, et fibris similibus.

CAPUT CXXIX.

De COYOXOCHITL, *seu flore Vulpis.*

Caules profert Coyoxochitl volubiles e radice vasta, candentique, flores pallentes, fructum oblongum, parvum, tribus distinctum striis. Radix est acris, et amara, calida-

que et sicca quarto ferè ordine natura. Imposita aurium dolorem levat ac dentium cruciatus emollit. Provenit calidis regionibus *Tlaquiltenanci* saxosis locis. Radicem Vitis albae esse credas, seu formam spectes, seu facultatem.

CAPUT CXXX.

De COYOXOCHITL *Tacapichtlensi.*

Herba est radici magnae et fibratae innixa, ex qua multos caules mittit sesquidodrantales, teretes, tenuesque: et in eis folia cordis figura, parva, et purpurei coloris. Vulpeculam olet, unde nomen; est enim Coyolxochitl *flos vulpis*, quam vocant *Coyotl.* Caret, ut Indi narrant, flore, et fructu. Radix subamara, et subdulcis est, ordine secundo cum lubricitate calefacit, ac mirum in modum confert asperitati pectoris, aliisque illius morbis, necnon scorpionum ictibus. Provenit juxta aquas calentium regionum.

CAPUT CXXXI.

De COYOPÓLLIN, *seu Volubili Vulpis.*

Herba est radicibus insistens fibratis, unde profert caulem initio pallentem, ac deinde viridem: folia cordis figura, sed longiora, et magis acuminata, alteraque ex parte paulò post exortum a pediculo contracta, flores oblongos, initio ex luteo rubescentes, ac tandem purpureos, magnos-

que, et fructum similem siliquastro, sed contorti ac longiusculi mucronis. Floris tantùm, quod adhuc compererim, usum praestat, neque est ob aliam rationem a me delineata. Nascitur in temperatis regionibus, qualis est *Tetzcoquensis.*

CAPUT CXXXII.

De COYOCHIPILLIN, *seu olere Coyotl.*

COYOCHIPILLIN, quam alii *Ychtacatehuihuica* seu *herbam clanculum aliquid deferentem* vocant, hirsuta herba est, siliquas ferens Ciceris, sed majores, Olivae folia, oblonga, obtusa, rara, minoraque, et subalbescentia: caules teretes, tenuesque, et pallentem florem, ac radicem Raphani lignosam, et fibratam. Leguminis est species, nec aliud de ea, quod ad Medicinam spectet, potui adhuc ab Indis extorquere, quàm frigida, et glutinosa natura constare, et mederi ulceribus. Nascitur *Quauhtlani.*

CAPUT CXXXIII.

De COYOMIZACATL, *seu pabulo vulpinae sagittae.*

Herba est Typhae frumentaceae similis; illud habet insigne, quod decidentibus ab spica granis dodrantis aut ampliùs intervallo, videtur eadem e culmis parvis, ac granis Tritici similibus invicem connexis, atque adhaerescentibus coa-

lescere. Neque aliud de ea exquirere, aut investigare potui, atque ideo delineandam non curavi.

CAPUT CXXXIV.

De CORAMECOATL, *seu pelle aprina.*

Caules profert excelsos, et valde geniculatos, laevesque, folia crassa, lata, et in summis caulibus fructum luteum, pineis nucibus similem, et utrinque flores, quibus exorientibus decidunt folia, et caulis arescit, resurgentibus aliis ab eadem radice. Caulis pomumque acorem quemdam gratum praesefert, editurque Oxalidis loco. Radix obrotunda, et fibrata est, et squamulis quibusdam velut compacta. Nascitur in calidis *Mactlactlani*, umbrosis, humidisque et humilibus locis.

CAPUT CXXXV.

De QUAMOCHITL, *seu arbore fructus crepanti Maizio similis.*

Spinifera arbor est, folia Mali Punici ferens, paulò tamen obtusioris cuspidis, et capitula in postremis viticulis Epithymo similia, majora tamen, ac siliquas e purpureo rubescentes, refertas nigranti semine, quod licèt edule sit et grati saporis, halitum tamen inficit, insuavemque conciliat odorem. Cortex radicis frigida et adstringenti natura constat: dysenterias aliosque fluxus cohibet. Folia cum sale, ac

siliquastro medentur satietati ; cum foliis verò Palmarum abortum coërcent ; succus seminis instillatus naribus humores aquosos e capite affatim trahit ; idem praestat pulvis, efficaciùsque cum Ruta, adeo ut vermes ulcerum internorum pertrahat ; idem inspersus dentium dolorem tollit, et ulcera insanabilia curat, venenis obsistit, et aurium dolorem sedat. Nascitur in calidis regionibus, qualis est *Quauhchinancensis*, et aliae non paucae similes, quibusque locis.

CAPUT CXXXVI.

De HUEIMOCHITL, *seu Mochitl magno.*

Arbor est magna et spinifera, folia ferens *Quamochitl* quadamtenus similia, bina, et obrotunda, ac florem, et fructum, ut dicitur, nullum. Alliorum odorem praesefert, sed praecipuè cum uritur. Sicca est vis, et impensè adstringens. Sistit diarrhoeas pulvis additus resinae, et frigori adversatur : manifestum enim putorem praesefert, et nonnihil caloris. Ajunt e cortice radicis parari venenum interficiendis noxiis animalibus aptissimum, *Uritequampatli.* Nascitur in campestribus *Alpuyecae*, quae frigida sunt, et in calidis *Quauhquechullae.* Sunt verò, qui *Pepetotic* eamdem arborem vocent.

CAPUT CXXXVII.

De CHIPEIATEXOLOUH, *seu pene Chipeo.*

Volubilis genus est ea herba, quam a pene *Chipi*, Mexicensium dei, ita vocabant, caules proferens sarmentosos, teretes, et per intervalla geniculatos, et in eis folia trifida, capreolos, et fructum edulem, vesicis inclusum; neque aliud de ea planta narratur juvamentum.

CAPUT CXXXVIII.

De CHIPÍLLIN, *seu herba fructus sonantis.*

Radicem fundit Raphano similem, sed minorem, et fibratam, folia leguminis, folliculos similes illis cicerum, et coccineum florem. Edulis herba est cum coquitur, etsi lubricitate immodica insuavis. Frigida temperie constat epota, admotaque inflammatis oculis opitulatur, vulneraque antiqua, et recentia extergit, explet carne, ac cicatrice tandem obducit. Nascitur in campestribus, calidisque locis.

CAPUT CXXXIX.

De altera CHIPÍLLIN.

Altera Chipíllin, quam alii *Hoeichipíllin* vocant, frutex est hominis altitudine, foliis ternis, parvis, legumini similibus, siliquis modicis, et tenuibus, luteisque floribus.

Frigida est, et lubrica natura. Radicem fundit unicam, mediocriter craſsam, fibratamque, ſenſim tamen versùs extrema gracileſcentem. Medetur haec febrientibus, cocta editur, cruda verò alvum lenit, ac vomitum ciet. Naſcitur in calidis *Papaloticpaci* humentibus, locis editis, atque humilibus. Cytisus fortaſſis vera eſt, aut illi citra dubium congener.

CAPUT CXL.

De TLALCHIPÍLLIN, *ſeu Chipillin terreſtri.*

Radicem mittit Tlalchipíllin longam, ſurculoſam, et fulvecentem e candido: caules ſpithamaeos, et in eis folia longa, et anguſta, ſeptena per intervalla, et Naſturtii foliis quadamtenus ſimilia, florem Ciceris magnitudine, et figura, ſed paulò minorem. Radix in laevorem redacta, et ex aqua ſeſquidrachmae devorata pondere, per ſuperna bilim, pituitamque vacuat. Acris eſt, calefacitque, et exſiccat ordine tertio. Naſcitur temperatis regionibus, qualis eſt *Tetzcoquenſis*, et *Quauhtepecenſis.*

CAPUT CXLI.

De CHICHICALLOTIC, *ſeu planta Spinae ſimili.*

Radicem fundit Chichicallotic Raphano ſimilem, fibratam, extrà fulvam, et intùs candeſcentem, unde mittit caules tenues, virides, et rotundos, folia oblonga, parva,

serrata, et rara spiniferaque: flores verò in extremis caulibus erinaceorum parvorum forma scabros et pungentes. Radix constat sapore Pastinacae, et nonnihil calida temperie. Uncia unica radicum tusa, atque e liquore aliquo devorata urinam mirè evocat, medetur ulceribus inspersa, et febribus interpellatis ex aqua assumta trium drachmarum pondere opitulari solet.

CAPUT CXLII.

De CHICALLOTL, *seu Spina.*

Chicallotl, quam alii *Chichicallotl* vocant, Spina est radicem ferens surculosam, unde profert caules subalbidos, et spinosos, folia Cardui benedicti longa, angusta, sinuosa, spinifera ac cinerei coloris, flores orbiculares, luteos, et interdum candentes, papaverinis haud dissimiles: fructum oblongum, striatum, asperumque, refertum nigro, ac parvo semine, quod tritum, ac duarum drachmarum pondere devoratum humores omnes, sed praecipuè pituitosos vacuat, et articulos infestantes. Saporem, et odorem Siseris videtur referre. Lac oculis infusum cum lacte mulieris, quae femellam pepererit, inflammationes eorum sedat, adversaturque febrium typis; idem medetur ulceribus pudendorum: flos verò scabiem curat appositus. Amarus est ejus herbae sapor, calidaque et sicca temperies. Ajunt alii liquo-

rem stillatitium ejus ac germinis *Mizquitl*, nubes oculorum discutere, carnem supervacaneam exedere, dolorem ex hemicrania ortum sedare, aliisque eorumdem hujusmodi morbis egregiè subvenire. Mexicano nascitur agro, nec ulla refugit loca montana, aut campestria.

CAPUT CXLIII.

De CACALONENEPÍLLI *Copitlanensi*, *seu corvina lingua.*

Radices fundit surculosas, caules contortos, purpureos, ac geniculatos, et in eis Salicis folia, flores longiusculos, et fulvos. Frigida temperie constat, febres exstinguit, excitat infantum appetentiam, et ad exsiccanda ubera materna concitat. Nascitur *Copitlani*, campestribus ac planis locis.

CAPUT CXLIV.

De CACALOTLYNENEPILLI.

Radici innititur longae, et fibratae Cacalotlynenepilli, nempe frutex quatuor longus spithamas, e qua fundit stipites purpurascentes, teretes, et geniculatos, folia longa et angusta, Salicis ferè, sed minora, nerveis etiam discursibus purpurascentibus: florem coccineum, et modicum. Frigida adstringentique natura constat. Folia tusa devorantur adversùs sanguinis sputum, cordis affectiones e calore profectas, febres, casusque, et ictus. Nascitur tempera-

tis regionibus *Quauchinanci*, ubere solo, montoso, aut campestri.

CAPUT CXLV.

De CACALLOXOCHITL, *seu flore corvino.*

Arbor est mediocris magnitudinis, foliis Mali Medicae, longè tamen amplioribus, ac frequentibus a dorso in latera venis discurrentibus; fructus sunt siliquae permagnae et fulvae; flores magni, pulchrique, et suavis odoris, quorum tantùm est usus; floridis namque adhibentur manipulis, torquibus, atque corollis, quae Indis sunt frequentissima, tam magnoque in pretio habita, ut neminem, quem revereantur, his imprimis non oblatis audeant adire, aut salutare. Lacte manat. Frigefacit, conglutinatque imposita, pectoris dolori medetur orto a calore. Medulla ejus duarum drachmarum pondere devorata emundat ventriculum, et intestina. Plura sunt harum arborum genera, floribus tantùm distincta, quas nos singulatim imaginibus curavimus exprimendas. Sunt enim, quae flores ferant coccineos, vocenturque *Tlapalticcacaloxochitl*, suntque candentes, dicanturque *Tizaxochitl*; nec desunt aliae, quae e variis colorum differentiis varia sortiantur nomina, velut *Tlauhquechulxochitl*, *Hoiloycxitl*, *Ayotectli*, et siquae sunt hujusmodi aliae, quae omnes in regionibus multis hujus novae Hispaniae offenduntur. Sunt qui species has omnes *Cacaloxochitl* vocare soleant, asse-

rantque corticem earum cum cortice *Nantzin* in pulverem redactum, devoratumque, aut jus decocti bibitum enixas magnopere corroborare, atque sancire, quod tamen videtur absurdissimum.

CAPUT CXLVI.

De TLALCACALOXOCHITL, *seu Cacaloxochitl humili.*

Herba est radici unicae bulbaceae, et fibratae insistens, unde proferuntur folia porracea, caulesque bini, porracei, sed magna ex parte rubei, et in summo flores sex foliis constantes, intùs candentibus, extra verò rubescentibus ex albo, *Cacaloxochitl* similes, unde universae plantae Indi imposuere nomen. Radix est frigidae, et lubricae naturae, admoverique consuevit inflammatis infantium oculis non sine successu felici. Species Narcissi haberi haec planta, nec sine ratione potest.

CAPUT CXLVII.

De CACALOTLYZQUIUH, *seu Maizio corvino torrefacto.*

Radicem magnam fundit et surculosam, caules fragiles, quadratos, horrentes spinis, folia Urticae nostratis, sed majora, fructum acinosum, quo cadente apparent capitula appendentia, similia Corrudae germinibus, florem, ut ajunt, parvum, et pallentem. Folia Lavendulam vocatam olent,

graviùs tamen, sapiuntque. Calida est, et sicca ordine ferè tertio. Tumenti capiti adhibentur tusa folia aut illinuntur ex aqua, atque ita discutitur dissipaturque morbus. Nascitur in jugis *Tehoitztlae.*

CAPUT CXLVIII.

De CACALOHUAZTLACOTL, *seu sude tenui corvi.*

Hoitzocensis arbor est, folia ferens per singulos pediculos bina, obrotunda, venosa, et subalbida, nonnihil aspera, et ulmeis non prorsus dissimilia: flores cyaneos, semen latum, pallidumque. Frigidae est, et adstringentis naturae. Pulvis radicum morbis oculorum opitulatur, et rubescentem eorum supervacaneamque carnem exedit. Nascitur in collibus.

CAPUT CXLIX.

De YCHCACALOTIC, *seu vase gossypino.*

Ychcacalotic, quam alii *Tlapanquipatli* seu *medicinam praefractam* vocant, herba est radicibus innixa capillis similibus, quibus saxis adhaeret: unde profert foliola obrotunda, ac in orbem circumacta, undulata, sena, subalbidaque, praeter alia quaedam minora, et albidiora, cauliculos tenues, et breves, et in summa parte exiles flosculos. Lichenis species est peregrina, frigida, humidaque eodem modo natura constans; verùm edulis, ac dulcis saporis. Fe-

bres exstinguit, et tumoribus praeter naturam repulsu confert. Nascitur in montium acclivibus, humidisque calidarum regionum locis, qualis est *Pahuatlanensis.*

CAPUT CL.

De CHICHIQUAHUITL, *seu arbore Canis.*

Folia profert Lauri, et acinos post maturitatem purpureos. Foetida herba est, neque salubri quapiam facultate insignis, ideoque ad vivum non expressa.

CAPUT CLI.

De ZACAPETLAT, *seu herbacea stora, aut stragulo.*

Herba est dodrante paulò major, caules fundens purpureos, tenues ac teretes, folia Menthae, et florem purpureum. Jus decocti medetur dysentericis. Provenit *Copitlani* in planis ac campestribus locis.

CAPUT CLII.

De ZACAYAC, *seu herba foetida.*

Volubilis, atque edulis herba est, radicem fundens longam, et crassiusculam, folia cordis figura, hirsuta, et tincta diluto virore, ternaque: siliquas parvas, et purpureum florem. Sapit viridia cicera, vescunturque ea Indi per annonae caritatem.

CAPUT CLIII.

De ZACACHICHIC, *seu herba amara.*

Herba est Zacachichic sesquidodrantalis, hirsuta tota, subalbida, et minimis foliis, paene Rutaceis, flosculis obrotundis calyculis contentis ex albo rubescentibus, pilosis, et qui abeant in pappos, promiscuè referta, radicique innixa fibratae. Amara est valde, unde nomen, calidaque et sicca ordine tertio. Olet Buphthalmum. Succus, qui exprimi potest ex sesquiuncia illius, omnes humores, sed bilim praecipuè, ac pituitam superna parte purgat. Securum dicitur esse pharmacum, et nullum ferè angorem inferens: non tamen temerè quibusvis laborantibus febre propinandum, sed ventriculo citra febrem vitiatis humoribus redundante, satietatem curat, appetentiam excitat, et his, quibus acescunt in ventriculo alimoniae, magnopere confert, pruriginique oculorum medetur, sedandae tussi, flatui discutiendo, et alvo infusum sedando inservit. Nascitur *Tepetlauztoc*, et *Tetzcoqui* temperatis, in planis ac acclivibus locis.

CAPUT CLIV.

De altera ZACACHICHIC.

Herbula est dodrantalis, tota exilis, radici innixa tenui, fibratae, et longiusculae, acri, et amarae, calidaeque, et

siccae ordine tertio, et subtilium partium. Succus radicis aquae permistus instillatur naribus capitis expurgandi gratia. Nascitur in calidis, et saxosis locis. *Tacapichtlenses* vocant *Chamolxochitl*, ajuntque tussi mederi, et aliis permultis morbis, quos facilè conjiciat qui noverit ejus herbae temperiem et partes, quae tenues sunt.

CAPUT CLV.

De ZACAPATLI, *seu medicina pabuli.*

Radicibus firmatur capillis similibus, fulvisque, unde mittit caules junceos: et in eis folia longa, et angusta. Calida est, et sicca radix ordine tertio, odoraque. Ad muliebres morbos curandos efficax, non minùs ac herbae aliae, quae ab Indis Mexicensibus vocantur ob eam rationem *Cioapatli*, seu *feminarum medicinae.*

CAPUT CLVI.

De ZACAPATLI *trifolia.*

Herba est vocatae Fragariae similis forma, frigidaque temperie; quamobrem posset aliquis existimare aut eamdem esse, aut illi congenerem, sed crassam, longamque et fibratam fundit radicem, ac supernè fulvescentem, nec fert fructum ullum, sed luteum florem; ceterùm folia sunt Ocymi serrata, multis interveniis distincta, et circa singu-

los pediculos terna. Tussi auxiliari Indi Medici ajunt, fortassis quoniam destillationes jus decocti ejus sistit.

CAPUT CLVII.

De ZACATZONTETIC, *seu herba multarum radicum.*

Folia fundit Amygdali, minora tamen, caules tenues, fibris similes, et radices permultas, quae frigidae ac glutinosae sunt, et epotae sistunt diarrhoeas. Nascitur in temperatis *Ocopetlayucae.*

CAPUT CLVIII.

De ZACAOCOTL, *seu herba Pinus.*

Id nomen sortita est haec arbos, quoniam Pinum indistincta similitudine olet, quae magna est, atque comata, et foliis Mali Medicae. Cortex ejus tusus impositusque dolores levat, et praecipuè e gallica lue profectos. Provenit temperatis montosisque locis, quales sunt provinciae *Hoeyacocotlae.*

CAPUT CLIX.

De ZACAYXTOPÓLLI.

Arbor est Zacayxtopólli parva, folia ferens hastarum quibusdam mucronibus similia, serrataque, sed alis utrinque prominentibus, odora, et amara. Jus decocti eorum bibitum mane ac vespere dolorem ventris sedat. Provenit in

calidis *Hoeyacocotlae* juxta campestria loca. Dicitur autem *Yxtopolli* ob alarum similitudinem cum quarto maxillae superioris osse, genisve.

CAPUT CLX.

De ZACACOZTLI, *seu luteo pabulo.*

Multas radices fundit Zacacoztli, tenues, octo uncias longas, et inde caulem quatuor dodrantum, rectum, ac tenuem, quo arescente alius statim provenit, folia subalbescentia, et hirsuta, similia Verbasco, caulem stipantia, sed Olivae foliis forma paria, aut paulò minora, flores albos, et exiles, corymborum forma extremis appensos caulibus. Radices tusae, atque ex vino devoratae, duarum pondere drachmarum vomitu citato vacuant, ac interdum pituitam.

CAPUT CLXI.

De ZACANAHUITEPUTZ, *seu pabulo quaternum dorsorum.*

Radicem fundit Zacanahuiteputz crassam, caules quadratos, atque striatos, unde nomen, sarmentososque, folia aspera, serrata, et oblonga, aliquantulùm amara, calida, et adstringentia, quae oris ulceribus dicuntur mansa mederi. Nascitur *Yacapichtlae.*

CAPUT CLXII.

De altera ZACANAHOITEPUTZ.

Herba est proveniens apud *Ytzocanenses*, frigidae et humidae temperiei, ustisque egregiè suppetias ferentis.

CAPUT CLXIII.

De ZACAPAPALOQUILITL, *seu olere, et pabulo papilionum.*

Radice firmatur surculosa, ex qua fundit caules tenues, virides, ac binas spithamas longos, folia admodum exilia, longaque, flores cyaneos, refertos pilis candidis, et in pappos demum abeuntibus. Frigida et humida natura constat, et quocumque modo applicetur, similes effectus praestat. Nascitur in calidis, seu plana sint, seu montosa loca.

CAPUT CLXIV.

De ZACAYAMAZTLI, *seu herba molli.*

Herba est ita nuncupata, quoniam e contrario asperrima sit; radicem fundit tuberosam, inaequalem, et capillatam, caules subalbidos, teretes, ac duas spithamas longos: folia paene *Yyauhtlina* Ocymive, nempe oblonga, et serrata; flores in summo luteos, pilosos, et in pappos abeuntes. Calida, siccaque, et adstringenti constat natura, ad-

moveturque succus ejus maxima cum utilitate exspuentibus sanguinem. Nascitur in calidis *Malinalci* regionibus.

CAPUT CLXV.

De ZACATLAOLXOCHITL, *seu flore Maizii herbacei.*

Herba est exilis, ac dodrantalis, praecedenti similis forma, sed caulibus purpureis, geniculatis, et contortis, et nerveis discursibus transversim discurrentibus, flore cyaneo, parvo, radice dulci, et calore ad temperiem attinenti. Conferre asthmaticis narratur. Nasciturque *Hoitzoci* juxta colles: herba sanè aut eadem praecedenti, et natalibus tantùm differens, aut illi congener.

CAPUT CLXVI.

De ZACAHUITZPATLI, *seu medicina pabuli spinosi.*

Herba est radicem ferens parvam, et fibratam, unde profert caules breves, et in stellae modum per terram sparsos, ac refertos foliis parvis, exilibus, et in sphaerulas aggregatis, toto caulium discursu, longiusculaque, et candicantia juxta herbae umbilicum filamenta. Radices tusae devorataeque ex vino *Metl*, aut aqua trium drachmarum pondere, bilim, et pituitam per superna, atque inferna dicuntur vacuare. Amaro sapore constat, urit guttur, et ordine ferè quarto exsiccat, atque calefacit. Provenit in fri-

gidis *Yauhaluihcani* , arentibus collibus; servanturque illius radices in usus annuos.

CAPUT CLXVII.

De ZACAXOCOTL, *seu Prunis sylvestribus.*

Pruni genus est ceteris hujus orbis simile, fructu coccineo, sed longè minori, acido, et impensè adstringenti, qualis etiam est ipsa radix. Nascitur in montibus *Quauhnahuacensibus.* Unciae octo succi ejus placant febres, et coërcent defluxiones.

CAPUT CLXVIII.

De altera ZACAXOCOTL.

Arbor est magna, Pruni foliis, brevioribus tamen; fructu pallido, Pruno simili. Cortex radicis crassus est, succo manans, et grati saporis, frigidaeque cum nonnulla adstrictione temperiei. Devoratur adversùs febres.

CAPUT CLXIX.

De ZACATLAMIAHOALLI, *seu herba eminentis frontis.*

Radicibus insistit ZACATLAMIAHOALLI fibris similibus, unde caulem unicum profert tenuem, teretem, ac circa inferiores partes purpureum, subrectum, foliis Lini, per intervalla serratis, longis, ac perquam angustis, ex utraque

caulis parte singulis prodeuntibus, praeter alia valde minora: floribus verò circa suprema ramorum cacumina candidis, sed quadamtenus vergentibus in purpureum, vasculis oblongis contentis, ex alterutra parte singulis divisis in quinque foliola. Ajunt folia tusa admotaque cum siliquastro, aut commansa, qua parte vexat, dolorem dentium sedare. Nonnullum videntur haec participare calorem. Provenit *Quauhnahuaci* acclivibus calentibusque montium locis.

CAPUT CLXX.

De ZACAPOYOMATLI.

Radicem fundit Zacapoyomatli tenuem, caules purpureos, et candentes spicas. Jus decocti radicum tussi magnopere opitulatur. Calida est, et humefaciens. Nascitur editis humilibusque *Tlaquiltenanci* locis.

CAPUT CLXXI.

De ZACATICPAC, *seu herba super Zacatl nascente.*

Fibratam agit radicem, unde edit caules fuscos, quatuor dodrantes longos, ocymina folia, serrata, fructum parvum, et orbicularem, striis profundioribus distinctum, lentum, ac refertum semine; flores candentes, et modicos. Lancinant folia, glutinosaque sunt, et ex aqua resoluta medentur ulceribus.

CAPUT CLXXII.

De ZACAPIPILLOLXOCHITL, *seu herboso, ac pendente flore.*

ZACAPIPILLOLXOCHITL, quam alii *Quapipillolxochitl* vocant, frutex est foliis Menthae, minimè serratis, floribus coccineis, longis, Periclymeni figura, binis candidis apicibus e singulis intrinsecùs prodeuntibus. Frigida humidaque temperie constat. Cortex radicis semunciae pondere devoratus placat febrem. Nascitur in calidis *Ytztollucae* collibus, et fortassis pertinet ad species Periclymeni, etsi viribus differat.

CAPUT CLXXIII.

De ZACATZOCUILPATLI, *seu medicina herbacea Acanthilydis.*

Volubilis est folia ferens valde mollia, cordis figura, florem bombycinis laxisque filis persimilem, ac capreolos multos. Calefacit, exsiccatque ordine quarto; subtilium est partium, et adeo acri natura, ut confracta, et admota naribus e vestigio creet sternutamentum. Nascitur in faucibus montium juxta aquarum rivulos in calidis *Ytztollucae.*

CAPUT CLXXIV.

De ZACANELHUATL, *seu radice Zacatl.*

Radicibus innititur similibus fibris, unde profert ramos sesquidodrantales, teretes, tenuesque: et in eis folia Amygda-

li, serrata, et inferna parte purpurascentia. Frigida natura constat, et utilissima esse dicitur adversùs dysenterias.

CAPUT CLXXV.

De ZACAZILIN, *seu herba, cujus semen est simile cochleis.*

Species est nostratis Lithospermi, eidemque per omnia ferè similis, et eodem fructu, granulis scilicet firmis, nitidis, candentibus, cochleis parvulis quadamtenus similibus, unde nomen; radix est mediocris magnitudinis, Raphano par, lubrica, ac temperata ferè natura, paulòve frigidiore. Fluxibus opitulatur, asthmati duarum drachmarum pondere devorata, tumoribus praeter naturam illinitur, febrientibus exhibetur, ac membris ictis, perfractis, aut lassitudine affectis est utilis. Nascitur regionibus temperatis, qualis est ager Mexicensis, campestri, atque humecto solo. Sunt autem, qui *Tzoncoltzin* vocent.

CAPUT CLXXVI.

De ZAZACATZIN, *seu parva Zacatl.*

Radicem agit ZAZACATZIN fibratam, caules purpureos, folia Mali Punicae, sed longè majora, ac fructum orbicularem, cicere majorem. Cortex radicis redactus in pulverem, ac duarum drachmarum pondere ex aqua devoratus alvum leniter ac citra noxam ullam subducit. Nascitur in jugis ar-

borum expertibus regionum frigidarum, quale est oppidum *Tlilyuquitepec Tlaxcaltecarum*, ubi in maximo habetur haec herba pretio ab indigenis, putantibus incolumes se ab omnium morborum injuriis degere ob ejus herbae copiam.

CAPUT CLXXVII.

De CHICHILTICXIHOITL.

Genus est quoddam Pulegii, Origano simile forma, et viribus: cujus nihil praeterea habui, quod admonerem.

CAPUT CLXXVIII.

De CHICHILLACOTL, *seu virga coccinea.*

Folia profert CHICHILLACOTL amygdalina, serrata, et longiora, caules purpureos, octo dodrantes longos: florem prolixum, et angustum, coccineumque, unde nomen, et radices parvis Batatis similes. Dulcia sunt folia, non sine siccitate, et adstrictione quadam. Nascitur in faucibus montium agrorum *Ocoitucensium* juxta decursiones aquarum.

CAPUT CLXXIX.

De COLTÓXIHUITL, *seu herba in terram decumbente.*

Herba est quibusdam innixa fibris, unde caules profert: et in eis folia Ocymi, longè tamen minora, et circinata, nullo adhuc, quod investigare potuerim, cognita usu.

CAPUT CLXXX.

De COLTOTL, *seu Tlalmizquitl.*

Radice firmatur rubra, et fibrata, ex qua multos profert ramos, dodrantales, et coccineos, refertos foliis rutaceis, sapore leguminis cicerisve, et flores e candido rubescentes. Frigida natura constat; quo fit, ut radix devorata sex obolorum pondere febres exstinguat, medeatur oculis inflammatis, et curet ulcera.

CAPUT CLXXXI.

De altera COLTOTL.

Radicem fundit *altera* Coltotl pallentem, longam, surculosamque, unde multi prodeunt caules flavi, ac teretes, foliis referti Securidacae, ac flores in postremis stipitibus proferentes capitulorum forma, purpuracentes ex pallido. Calida constat aut temperata natura, et Glycyrrhizae paene odore, et sapore: quo fit, ut si cum *Axixtlacotl*, et *Chichicxihuitl* tusa dolenti alicui loco radix apponatur ob flatum, aut frigus, illum statim a dolore reddat incolumem, splenemque minuat admota; per se verò semunciae pondere devorata pectus leniat, os refrigeret, exanthematis opituletur, appetentiam excitet, evocet urinam, et medeatur punctis. Mexici nascitur aliisque montanis, et temperatis locis.

CAPUT CLXXXII.

De CHILPANXOCHITL *prima, seu flore signi instar pendenti.*

Radice *prima* Chilpanxochitl firmatur parva, fibris candidis et teretibus plena, e qua caules prodeunt cubitales, folia Salicis, angustiora tamen, et tenuiora, flores coccinei in postremis caulibus, qui rubri quoque sunt, calycum forma, aut signa, ut dictum est, referentes. Radix est nonnihil amara, et tamen frigidae esse naturae, experimento compertum est, febrem exstinguere ex aqua opportunè epotam drachmarum trium, aut plurium, si opus sit, pondere; inflammationes mammarum avertere, et epilepticis opitulari illitam, unde *Micaxihuitl* seu *mortuorum medicina* a quibusdam vocari consuevit.

CAPUT CLXXXIII.

De altera CHILPANXOCHITL.

Radices fert Chilpanxochitl *altera*, ac folia Porri, caules coccineos, et in eis flores ejusdem coloris, signi instar, ut diximus, procumbentes. Naturae est temperatae, et lubricitatis cujusdam particeps, testiculis tumentibus praecipuè auxiliari dicitur imposita, et mederi febri. Amat loca campestria, et temperata, in agroque Mexicano passim

nasci deprehenditur, possetque ad Narcissi species non immeritò referri.

CAPUT CLXXXIV.

De CHILPAN.

Radicibus Chilpan insistit fibris similibus, fulvis, multisque: et ex eis caules duos cubitos longos mittit, et interdum prolixiores: folia verò, tum e radicibus, tum etiam e caulibus longa, saligna, pinguia, et angusta atque in coccineum quibusdam in partibus colorem vergentia: flores in summis caulibus coccineos, et calyculorum specie, qui signa quadamtenus imitentur, unde illi indidere Mexicani nomen. Radices drachmae unius pondere e liquore quopiam devoratae bilem per superna, et interdum per inferna quoque vacuare solent, et urinam evocare retentam; alii tradunt easdem redactas in laevorem sanguinem e naribus fluentem sistere devoratas, aut infusas e liquore aliquo adstringenti. Amara est et calida natura, gutturque, dum devoratur, paulisper adurit. Temperatis locis provenit, qualis est ager *Tetzcocanus*, Mexicensisque, campestribus, aut montosis locis, et floret mense Septembri.

CAPUT CLXXXV.

De QUAUHCHILPAN *Chimalhuacanichalcensi.*

Herba est fibris tenuibus innixa, unde prodeunt caules

purpurei, tenuesque, ornati foliis salignis, minoribus tamen, et magis acuminatis, binis per intervalla cum quaternis aliis minoribus: floribus verò oblongis, coccineisque, sed in purpureum colorem vergentibus, juxta singulos foliorum exortus utrinque binis toto ferè caulium procursu, juxta eorumdem cacumina quinis. Frigida est, et humida natura, sed cujusdam amaritudinis particeps. Nascitur in collibus, aut montanis locis regionum frigidarum.

CAPUT CLXXXVI.

De altera QUAUHCHILPAN.

Radici crassae et fibratae insistit, unde prodeunt caules multi, coccinei: et in eis saligna folia, bina per caulium intervalla, circinata, et longè minora, atque angustiora, cum aliis quinis, senisve parvulis adjacentibus: flores verò vasculorum figura, longi, atque coccinei juxta summas stipitum partes, quorum, ut qui visu sint spectandi, et pulchri, tantùm sit usus. Provenit in locis frigidis, aut moderatè calidis, qualis est Mexicanus.

CAPUT CLXXXVII.

De QUAUHCHILPAN *Tetzcocana.*

Frutex est foliis ulmeis, serratis, surculosa radice, purpurascentibus caulibus, ac floribus in summis flagellis, par-

vis, et purpurascentibus, calyculorum figura spicatisque, et facultate medica, quod adhuc compererim, nulla. Nascitur *Tetzcocanis* agris, a quibus indidimus illi cognomen.

CAPUT CLXXXVIII.

De COZTICMECAPATLI *Tilancensi.*

Radici insistit fibratae pallidaeque, unde profert caules sesquidodrantem longos: et in eis folia obrotunda, parva, legumini, aut Nummulariae similia, et in summis caulibus flores spicatos, purpureos. Humida videtur constare natura, et moderatè calenti. Morsibus serpentium ajunt illitam mederi, et quorumvis aliorum venenatorum animalium. Nascitur in frigidis quibusque locis *Tilancensibus.*

CAPUT CLXXXIX.

De ZAZALICPATLI *Tilancensi.*

Radici insistit capillatae, unde fundit caules multos, tenues, dodrantales: et in eis folia Origani, minora tamen, ac minutissimè serrata, floresque purpureos, et modicos. Calida constat, et lubrica natura: quo fit, ut folia semunciae mensura devorata sistere dicantur diarrhoeas. Nascitur in planis, frigidisque *Tilanci* locis.

CAPUT CXC.

De TZOTZOHUITZPATLI *Tilancensi.*

Species est Sedi, radicibus longis, tenuibusque, et Sedi similibus insistens, unde prodeunt caules duas spithamas longi, tenues, teretesque, et rubescentes, referti foliis minimis, et circa cacumina floribus purpureis et spicatis. Frigida adstringentique constat natura; ulceribusque medetur, tusis admotisque radicibus, aut foliis. Nascitur in frigidis, asperisque et saxosis locis *Tilancensibus.*

CAPUT CXCI.

De CIUTLAQUAHUITL *Tilancensi.*

Ciutlaquahuitl seu *planta stercoris*, arbor est magna, nascens in collibus, nullumque refugiens caelum, foliis Oleae, sed brevioribus, floribus coccineis, et parvis, stipiteque, cum manditur, pallescenti. Calore quodam praedita sunt cortex foliaque. Ferunt eadem strumis magnopere opitulari tusa, calefacta, atque imposita, sed sunt illae priùs ex vino abluendae.

CAPUT CXCII.

De CUETZPALPATLI *Tilancensi.*

Herba est radici insistens obductae lanugine, fomiti per-

simili, et surculis multis, praelongis, tenuibus, et supernè nigricantibus abundanti; unde proferuntur caules longi, referti foliis obrotundis, serratis, et asperis, inferna parte albidioribus, floribusque parvis, et candentibus. Radix initio dulcis est, Glycyrrhizam sapiens; deinde verò acris, ac calorem ordinis quarti ostendens. Ejusdem cortex tritus atque resolutus ex aqua, et instillatus oculis carnem eorum supervacaneam exedit; ipsa verò radix recens vulsa, illita oculis, argemata, et leucomata dissipat, et confert enixis. Nascitur in frigidis montium, colliumve locis agri *Tilancensis*. Sunt, qui *Ezmecapatli* vocant.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER SEXTUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De CHALCHIUHYEXOCHITL, *seu flore smaragdino.*

CHALCHIUHYEXOCHITL, quam alii *Chalchiuhxochitl* vocant, frutex est multos ab una radice fibrata proferens ramos, tenues, lignosos: et in eis folia Pruni, flores pallidos, in cyaneum colorem vergentes, unde nomen, calyculis similes, sex sinubus parvis, ac virescentibus, et crenatis marginibus, a quibus lutea grana producuntur. Calida natura constat, ac floris usum praestat ad corollas intexendas, floridosque manipulos. Solum amat temperatum, quale est *Mexicanum*, aut aliquantò calidius: floretque Septembri.

CAPUT II.

De YEXOCHITL, *seu flore Yetl.*

Yexochitl, quam alii *Eloxochitl*, seu *florem Eloti*, alii verò *Cozauhquixochitl*, seu *Yexochitl pallidam* vocant, radicem magnam agit intraque candentem, cui velut funiculis quibusdam longioribus appendent quinque aut sex radices aliae, porcinis renibus haud dissimiles, sed aliquantò majores, fibratae que. Multos haec fundit caules sarmentosos, quadratos, et geniculis interceptos, striatos, et quaternis distinctos canaliculis. E nodis oriuntur ramuli, foliis Blito similibus referti. Flos est oblongus, et luteus, unde nomen; quem profert per aestatem, fumo redolentem. Radix est dulcis, edulisque, ad temperiem pertinens, aut paulò frigidior. Succus ejus inflammatis oculis dicitur opitulari, ac jus decocti dysenteriis; pulvis verò inspersus curat ulcera oris, et reliquorum membrorum, potissimùm si distemperies calida adjungatur. Provenit regionibus frigidis, et montosis locis, qualis est ager *Xochitepecensis*.

CAPUT III.

De TZOYACXOCHITL, *seu flore foetido.*

Tzoyacxochitl, quam alii *Tzoyacyexochitl*, alii verò *Yexochitl* vocant, species altera est *Cozauhquixochitl*, illique,

et forma, et viribus ferè similis. Nam et dysenteriis obsistit, siccaque et nonnihil calenti temperie constat. Nascitur in frigidis, ac temperatis regionibus fertili atque humenti solo.

CAPUT IV.

De YEPATLI, seu medicina Tetl.

Herba est Yepatli capillis quibusdam innitens, unde proferuntur multi caules, tenues et hirsuti, repentes per humum: et in eis folia Origani parva, serrata, et obrotunda. Folia trita ex aqua epotaque corporis dolores, ac vehementem calorem sedant. Nascitur in calidis regionibus, fertilibusque, et humentibus locis.

CAPUT V.

De Cathartica Huanaxuati radice.

Radicibus insistit crassis, ac mediocriter longis, et Asphodeli similibus, densis tamen, gravibus, et lignosis, unde proferuntur caules subalbidi, quatuor dodrantes longi: et in eis folia Salviae, altera parte cinerea, altera verò diluto virore tincta, et in summo flores itidem squallentes. Radix est resinosa, acris, et nonnihil lubrica, calidaque, et sicca temperie. Redacta eadem in pulverem, ac drachmae unius, aut ampliori pondere devorata bilem, ac pituitam purgat per inferna, etsi nonnunquam etiam creet vomitum, inferatque anxietatem.

CAPUT VI.

De CAMOPALTIC, *seu herba purpurei, et exsaturati coloris.*

Radici innititur mediocris magnitudinis, fibrataeque: et ex ea fundit plures stipites, tres cubitos longos, quaternis e partibus pennatos, quinumque unciarum intervallo folia serrata, ex viridi pallescentia, hastarum mucronibus haud dissimilia, sed brevia, ac lateribus initio productioribus, et in summis caulibus quosdam erinaceos orbiculares ponticis nucibus similes. Radix epota scriptuli unius mensura curat febres. Frigida siquidem natura constat.

CAPUT VII.

De altera CAMOPALTIC.

Herba est caulis juncei, ex albo purpurascentis, albis floribus purpureisque, foliis oblongis, radice obrotunda. Videtur haec ad differentias *Caxtlatlapam*, velut ei congener, attinere.

CAPUT VIII.

De CAMOPALTIC *tertia.*

Multas radices fundit, candentes ac similes surculis, unde quaterni, senive prodeunt caules, teretes, et versùs extrema aliquantisper purpurei: et in eis folia Lini, aspera, parva, longiuscula, et circa singulos foliorum exortus ra-

muli quidam aliis minoribus ornati foliis: flores verò in stipitum cacuminibus, stellati, parvi, et in modicas comas compositi, coccinei, et in purpureum vergentes colorem, unde nomen. Frigefaciens herba est, et semuncia radicum ex aqua devorata elicit urinam.

CAPUT IX.

De ZAYOLQUAHUITL, seu muscarum arbore.

Radicem fundit ZAYOLQUAHUITL crassam, folia ulmeis minora, forma tamen similia. Calida est, non sine quadam adstrictione. Confert laxatis renum ossibus, maximè si cum resina pini, et aliis adstringentibus medicamentis commisceatur, ac conceptus dicitur retinere.

CAPUT X.

De altera ZAYOLQUAHUITL.

Frutex est foliis Mali Medicae aut *Casiae* vocatae *fistularis*, sed aliquantisper serratis, fulvis caulibus, et in postremis ramis floribus parvis, et candentibus, erinaceis quibusdam orbicularibus refertis, ex quibus floribus generantur acini virescentibus ciceribus similes, qui postea demum rubescunt, pleni semine primò candido, ac postea nigro. Subamara est, calidaque, et sicca ordine ferè tertio. Uncia una radicum epota urinam evocat.

CAPUT XI.

De ZAYOLQUAHUITL *tertia.*

Folia profert ulmea et serrata, obrotunda, et magna ex parte quina. Radix scriptulorum duorum pondere trita, ac ex vino *Metl* devorata urinam egregiè evocat. Nascitur in montanis *Tepoztlanicis.*

CAPUT XII.

De ZAYOLPATLI, *seu muscarum medicina.*

Herba est radice firmata crassa, et longa, unde mittit caules fulvos: et in eis folia Menthae circinata, terna quinave, Ferulae, aut *Acocotli* florem, et in ambitu muscarii semina piperis nigri forma, et magnitudine. Semen est gustu odoratum, et aliquantisper acre. Radix initio dulcis, ac demum amaritudinis sensum praebens, et guttur urens, succo manans, calidaque, et sicca ordine tertio. Cortex radicis illitus scabiem, aliasque cutis infectiones curat, et humores praeter naturam discutit. Idem praestat semen, minori tamen efficacitate: tumentia membra sanat, et ventrem praecipuè si uncia una radicum ex vino devoretur, ac ulceribus inveteratis remedio est. Nascitur *Hoitzoci*, et *Texaxahuaci* calidis, et montosis locis, et ad Ligustici genera videtur pertinere.

CAPUT XIII.

De ZAYOLIZCAN, *seu Tópozan.*

Arbor est mediocris magnitudinis, folia ferens Salviae, sed majora, a quibus apud nonnullos indigenas Hispanos invenit nomen, inferna parte subalbida, ac supernè virentia, pinguia, et Verbasci more hirsuta lubricaque, florem in postremis ramis modicum, ac luteum, et in corymborum formam velut compositum. Arbor est odora, et calentis naturae, thus citra distinctionem ullam redolens. Calidis regionibus, nam in his quoque aliquando provenit, minoribus ornatur foliis; latioribus verò temperatis. Jus decocti corticum stipitum, atque radicis ebibitum uterinis confert affectibus, ac vulvam propriis sedibus restituit, urinam evocat, emundatque corpus; ipsae verò radices, corticesve, aut folia imposita tumores praeter naturam dissipant, aperiunt, atque extergunt, velut etiam quaecumque alia ulcera, ustionibus medentur, et dolores articulorum levant, a lue licèt indica profectos. Nascitur ubique, neque ullum refugit solum, fertile maximè, et humectum.

CAPUT XIV.

De ZAYOLIZCAN *Hueitlalpae.*

Arbuscula est mediocris altitudinis, stipitem proferens

striatum, et hirsutum, folia magna, infernè subalbida, et supernè virentia, similia Verbasco. Jus decocti cimices necat inspersum, ac coërcet renascentes.

CAPUT XV.

De ZAHOYACPATLI, *seu ingrati gustus medicamento.*

Herbula est fibratae radicis, caules ferens geniculatos, folia leguminis parvula, ac flores in postremis ramulis parvos, spicatos, et purpureos. Sapor est leguminis, frigidaque, et sicca natura. Pulvis resinae permistus apertis tumoribus applicatur bis die, desiccatque, et abstergit ea, albumine ovi, ut Indi Medici affirmant, circumlito foramine.

CAPUT XVI.

De ZAHOYAC.

Herba est radicibus innixa multis, candentibus, longis, et similibus helleborinis, unde profert caules tres spithamas longos, purpureos, quadratos, ac crassitudinis mediocris, folia oblonga, scabra, et infernè squallentia. Frigida, humidaque temperie praedita est, nam et sapore insigni caret, etsi virus quoddam horridum spiret, atque ita jure decocti ejus, succove abluunt febrientes, et scabie laborantes. Nascitur in collibus, campisque *Xochimilcanis.*

CAPUT XVII.

De cocoʏᴀᴄ, seu planta olente fumum.

Radici innititur magnae ac rubescenti, ex qua fundit caules: et in eis folia oblonga, paulisper sinuosa, et serrata. Folia odoris, ac saporis expertia ferè sunt, frigidaque constant natura. Punctis, si vera narrant hi Medici Indi, illita medentur: verùm ex mea quidem sententia potiùs devorata. Nascitur in calidis *Mayanalani.*

CAPUT XVIII.

De altera cocoʏᴀᴄ.

Arbor est magna folia, obrotunda ferens, flores luteos, parvos, ac siliquas calentis naturae et napi ignem non experti sapore. Hae tusae pugilli mensura, infusaeque ex aqua dolores quosvis lenire feruntur.

CAPUT XIX.

De ʏʏᴀᴄxɪʜᴜɪᴛʟ, seu herba foetida.

Frutex est folia ferens Verbasci, sed minora. Calidus est, et siccus ordine secundo. Folia dicuntur rigores, et frigora accessionum arcere tusa, ac semunciae pondere paulò ante accessionem devorata ex aqua.

CAPUT XX.

De altera YYACXIHUITL.

Radicibus insistit fibris similibus, ex quibus profert caules binos dodrantes longos, folia Chaenopodii, sed aliquantisper majora, odoris gravis, nulliusque insignis saporis: flores coccineos calyculorum forma. Propinatur pueris adversùs satietatem. Nascitur regionibus temperatis, qualis est *Quauhtepecensis.* Sunt qui febres testentur exstinguere aut devoratam, aut lotionibus adhibitam.

CAPUT XXI.

De YYACPATLI, *seu foetida medicina.*

Arbor est magna comataque foliis Castaneae, sed longè minoribus. Cortex tritus, atque ex aqua resolutus tumoribus praeter naturam admovetur. Nascitur in calidis *Tzotzocolci* editis campestribusque locis.

CAPUT XXII.

De QUAUHYYAC, *seu arbore foetida.*

Arbor est magna, ferens Mali Medicae folia, sed tamen acuminata. Cortex adstringit, gravem odorem spirat, calidaque, et sicca constat temperie: fluxum alvi coërcet, ac elicit sudorem. Naribus instillatus succus sternutamentum

excitat, caput purgat, atque ita febres tollit, et capitis arcet dolorem, quarum rerum gratia in annuos usus recondi consuevit. Nascitur *Ocuilae* saxosis locis.

CAPUT XXIII.

De TZOYAC, *seu ustum olente.*

Innititur Tzoyac fibris multis, e quibus profert caules longos, rectos, hirsutos, squallidos, teretes, et paulisper scabros, refertos circumcirca foliis Lini hirsutis, subalbidis, longiusculis, et angustis, et juxta caulium postrema flores comantes, *Tlacozazalic* similes, et candentes. Odor est nonnihil gravis, unde nomen. Radix gustu odora, glutinosaque, et calefaciens. Sistit haec diarrhoeas, et abscessibus, quos *favos* vocant, mederi solet. Suffiunt teneros infantes foliorum halitu, aut vapore, cum spontaneo aliquo timore perterrefacti concutiuntur; fortassis ut corroborato capite, et ventriculo vapores metum incutientes coërceantur, aut discutiantur. Sunt qui eamdem plantam *Txnextlacotl* seu *virgam cineream* a colore vocent, asserantque jus decocti ejus dolorem ventris tollere. Nascitur *Quauhnahuac* acclivibus montium locis.

CAPUT XXIV.

De ZOZOYATIC, *seu planta Palmae simili.*

Radicem ac folia profert Porri capitati, Palmaeve hu-

milis, unde nomen, et in caule flores longos, et purpureos calyculorum forma. Radix contrita admotaque naribus protinus sternutamentum ciet, ac trahit pituitam; quo fit, ut ea Indi Medici, quos *Ticiti* vocant, velut certissimo quodam indicio periclitentur, quinam ex aegris, qui curandi sibi contigere, sint morituri, aut qui sanitati tandem restituentur. Eadem drachmae unius mensura devorata urinam dicitur evocare, et dysentericis mederi. Mures necat carni permista, jus verò decocti pediculos, si caput eo lavetur. Haec etiam est ea nobilis planta, quae concisa minutim, et in mulsam conjecta muscas omnes pererrantes domum, aestatisque praecipuè tempore morosas, atque molestas dulci esca invitatas delet, ac perdit. Acris est calidaque, et sicca ordine quarto. Radix intestino recto, postquam in Pilulas conformata est, admota pectori confert, pituitam trahit, et instaurat ob ejus redundantiam contabescentes. Mechoacanenses *Xahuique* vocant: ubique provenit.

CAPUT XXV.

De CUECHXOCHITL, *seu flore cochleae.*

Arbor est lacte manans, Mali Medicae, quam *Aurantium* vocant, magnitudine et foliis, sed majoribus, et his extremis tantùm ramis, cacuminique appendentibus: a stipite prodeunt septeni, octonive ramuli ornati floribus oblongis

semirubra, ac semipallida habentibus folia. Floris est tantùm usus, et odoris, et cibi causa; spumam siquidem *Cacaoatl* excitat, et multiplicat in eam potionem conjectus ampullas, quae est ejus potissima apud indigenas gratia.

CAPUT XXVI.

De CUECHXOCHITL *secunda, seu flore sonalis serpentis.*

Radix est fibrata, et candens, e qua caules oriuntur tres prolixi spithamas, teretes, tenues, et referti foliis Salicis per intervalla, intersertis quibusdam aliis brevioribus: flores in postremis ramulis rari, rubri, oblongi, et vasculorum figura, capillamentis e medio prodeuntibus, quibus appendet semen e viridi rubescens. Radix tusa, appositaque inflammationes repellit, etsi calore aliquo non careat, amara enim est. Nascitur in montibus temperatarum regionum, qualis est *Tetzcocana.*

CAPUT XXVII.

De CUECHPATLI, *seu medicina sonalis serpentis.*

Cuechpatli, quam alii *Yztacpatli* vocant, radices fert ternas, Asphodeli figura, et in totidem surculos desinentes: ex his mittit caules teretes, virides, laeves, et aliquantisper hirsutos: folia oblonga circinata, et ocyminis paulò majora, flores albos, et siliquas lanuginoso semine refer-

tas. Radices unciae unius mensura tritae, atque epotae ex aqua calorem nimium exstingunt, illitae verò ex aqua oculis nubes discutiunt. Humida herba est, amara, et nonnihil calefaciens. Nascitur montosis locis, planisque regionum temperatarum, qualis est *Tetzcocana*, *Taliuhcanensis*, et *Quauchinancensis*.

CAPUT XXVIII.

De CELICPATLI *Pahuatlanensi.*

Celicpatli, seu *medicina viridis*, radicem fundit capillatam, et ex ea caules et folia Chamaedryos, minutim serrata, et in acumen desinentia. Ajunt mederi enixis, quae a partu torminibus, ac dolore ventris afflictantur, folia tusa, atque ex aqua semunciae mensura devorata. Provenit in temperatis regionibus, humidisque locis juxta aquarum fluenta.

CAPUT XXIX.

De CELICPATLI *orbiculari.*

Est et aliud Volubilis genus vocatum Celicpatli, quod in saxis nascitur, eisdemque jactis a quovis pediculo capillis adhaerens: caules fundens teretes, ac purpureos: folia paene rotunda, infernè subalbida, supernè exsaturato colore virescentia molliaque. Insigni odore, et sapore caret, humensque, et frigefacientis facultatis videtur, et nonnihil glutinosae.

CAPUT XXX.

De CELICPATLI *Quatutullanenſi.*

Radicibus inſiſtit haec herba capillis ſimilibus, unde mittit caules rubeos, tranſlucidos, ac vitri in modum fragiles: folia Myoſotae, ſed longè majora, et pinguiora, infernè rubeſcentia, ac supernè viridia: flores in extremis ramis ſimiles aculeis, ſiliquaſve ternas ac vireſcentes. Propinari ſolet matutino enixis, calidaque, et humenti ordine ſecundo natura conſtat, guſtu odorata, et magnopere tuſſientibus utili.

CAPUT XXXI.

De CHUCHUMBEQUA.

Chuchumbequa, quam *Tancitarenſes*, apud quos etiam naſcitur, *Carihcumbequam* vocant, radices fundit ſurculoſas, pauliſper luteas, et capillatas: ex his ramos quoſdam ſerpentes humi, foliis longiuſculis continenter opertos, erectos alios foliis rarioribus ornatos, et orbiculatioribus in acumen tamen deſinentibus, luteoſque flores. Lacte manat, et nonnihil praefert amaritudinis. Succus caulium, et radicum recentibus plagis inſtillatus ſolet eis veluti per miraculum mederi, et ea ratione ab indigenis haberi maximi. Similis videtur *Teocoxochit Pacapichtlenſi*, aut eadem, natali tamen lo-

co differens, tum forma, tum etiam facultate, nam illa quoque recentibus medetur plagis, verùm lacte non manat, aut amara est, sed frigida, et impensè glutinosa. Vocant *Tacambaranenses Paralion Dioscoridis*, aut *Tithymalum myrsinitem* eodem nomine, cujus lactis quatuor, quinqueve guttulas, succive foliorum, aut juris decocti radicum infusas ferunt mirè abolere dolores a gallica contagione, aut alia frigida causa ortos: radicem etiam laevigatam drachmae unius pondere, et bibitam ex aqua fontana, aut alia stillatitia congruentique doloribus ex eisdem causis ortis mederi.

CAPUT XXXII.

De CUTIRIQUI.

Quam herbam Cutiriqui Mechoacanenses vocant, Mexicani *Matlacacam* nuncupare consueverunt. Haec radicibus firmatur modicis, obrotundis, candentibus, fibratis, caepis parvis similibus, et nigra quadam membrana obvolutis, e quibus proferuntur caules laeves, purpurei, teretes, ac per intervalla geniculati: et in eis folia Betonicae altilis, laevia, sed minora, et exiliora: lutei flores siliquae oblongae ac trigonae, refertae semine haud absimili sinapino. Radices frigida, humidaque constant natura, ac *Xicamarum* sapore: crudae, coctaeve edules sunt. Coitum dicuntur excitare, ac exstinguere febres, zelotypiam amovere, et conciliare con-

jugum amorem. Nascitur regionibus frigidis *Chimalhuacanichalcensis* saxosis asperisque locis.

CAPUT XXXIII.

De COTZONGARICA, *seu latifolia herba.*

Unica firmatur Cotzongarica radice, surculo simili, Radicive, e qua multi pediculi ascendunt longi, ac tenues, quibus appendent oblonga folia, serrata, Menthae proxima, sed longiora, et ampliora, hirsutaque, et subalbida. Sole siccata, tusa, et ex aqua resoluta infunditur gratia expurgandorum excrementorum, sedandique a flatu, gallica lue, aut crassis, et frigidis humoribus ortos dolores: amara siquidem est, calidaque, et sicca ordine tertio natura. Nascitur in frigidis, et humidis locis regionis *Mechoacanensis.*

CAPUT XXXIV.

De CHÁPOLINYTENCUALAC, *seu cicadae sputo.*

Radices fundit tenues, et prolixas, e quibus profert caules exiles, quadratos, striatos, ac spithamas duas longos: et in his folia Tragopogi, tenuia, longa, hirsuta, angusta, et serrata: flores parvos in postremis ramis, Corrudae capitulis similes. Jus decocti foliorum manipuli unius mensura epotum alvum leniter solvit, crassosque, et lentos humores praecipuè vacuat, flatum discutit, haud aliter

ac folia arboris *Cuilloxihuitl*, et herbae *Quauhcioapatli*, de quibus in suis locis agitur a nobis, et satietati medetur. Provenit *Quauhchinanci.*

CAPUT XXXV.

De CHAPOLYCXITL, seu pede cicadae.

Radices fundit similes Asphodelo, intus candidas, extra nigras, caudis tamen surculisve appendentibus, e quibus proferuntur caules tenues, teretes, purpurei, sex dodrantes longi: folia longa, et angusta, flores in postremis ramulis pallentes, et parvi. Radix ex aqua resoluta ulceribus dicitur conferre, velut cujusdam adstrictionis, et caloris particeps. Est et alia planta ejusdem nominis, et ferè facultatis, radice simili surculo, rubescente ex candido, lignosaque, foliis Amygdali, floribus coccineis, et fructu majusculis ciceribus simili; cujus radicis cortex in farinam redactus plagis vetustis et recentibus medetur. Frigida enim, siccaque, et adstringenti natura constat.

CAPUT XXXVI.

De CAXTLÁTLAPAN, seu testa perfracta.

Radicem fundit Caxtlátlapan crassam, ac longam, extra fuscam, intus candidam, caules volubiles, folia cordis figura, et magnitudine: oblongos flores, calycum forma, interdum cyaneos, interdum verò ex albo purpurascentes. Ra-

dix unciae unius pondere humores omnes citra molestiam evacuat, majori ex parte per inferna, nonnunquam verò per superna. Dulcis eadem est, ac paululùm calefaciens. Provenit quibusvis regionibus, humentibus praecipuè locis, ac juxta aquarum defluxus.

CAPUT XXXVII.

De CAXTLÁTLATPAN *altera.*

CAXTLÁTLATPAN *altera*, quam alii *Ololiuhqui* vocant, radici insistit obrotundae, tuberi simili, pyrove, unde profert caules e pallido rubescentes, tenues, brevesque: et in eis folia obrotunda, et parva. Radix una, quae aequat magna ex parte semunciae pondus, tusa atque epota medetur satietati, vacuato ventriculo, emundatoque.

CAPUT XXXVIII.

De CAXTLÁTLAPAN *tertia.*

Herba est caules, et folia Lilii proferens, latiora tamen, atque adeo ut magnam caulis partem fistularum quarumdam forma circa exortum effigiata contegant, ac circumstent, flores e pallido purpurascentes, et longos, calycum forma circa postremos ramos octo unciarum intervallo, pulchros ac visu gratissimos. Neque ejus herbae alium, quàm florum, adhuc usum accepi.

CAPUT XXXIX.

De TLACOCAXTLÁTLAPAN, *seu Caxtlátlapan sudes ferente.*

Herba est radici innixa Raphani, fibratae, et longae, unde proferuntur caules sudium in modum: et in eis folia Ocymi paulisper undulata, et flores in postremis ramulis oblongi, coccinei; cujus adhuc, praeterquam florum, nullum usum accepi. Nascitur in locis temperatis.

CAPUT XL.

De CENTLACOTL, *seu culmo Tlaólli.*

Herba est fibris insistens multis, unde eduntur caules breves, fulvique: et in his folia Blito similia, sed tamen minora, odore gravi, et flores pallentes, modici. Jus decocti manipuli unius foliorum satietatem curat. Nascitur regionibus calidis juxta declivia montium loca.

CAPUT XLI.

De TEOCINTLI *vel* TEPECENTLI, *seu spica Maizii montana.*

Frutex est radicis rotundae, nucis pineae similis, e qua fundit caules teretes, laeves, et candescentes ex viridi, folia superiorem caulis partem occupant, dodrantem plùs minùs longa, digitum lata, crassa, duraque, interveniis recta discurrentibus, foliis Palmarum haud dissimilia, fructum ob-

longum, pineae quoque similem, et summa caulis parte prodeuntem. Radix manditur decocta cum Maizio, quae dulcis est et adstringens, ac diarrhoeas imposita coërcet; pomum verò crudum. Provenit in montosis locis *Hoeiacocotlae.* Mechoacanenses *Vuichuantztri*, seu *canis pedem* vocant.

CAPUT XLII.

De TEPECECENTLI.

Radice firmatur longa, contorta et candida, quibusdam velut glandibus adhaerescentibus: unde prodeunt caules, quinque ferè dodrantes longi, teretes, purpurei, digitum crassi, geniculatique per intervalla: et in his folia purpurascentia, Limonis forma, sed majora: fructus *Chilli*, refertus semine plano, orbiculari, et lanugine comprehenso. Radix extra intusque candescit, gustata virus minimè ingratum olet, Paeoniae simile, ac calorem siccitatemque ordine praefert secundo, crassamque substantiam. Sensum aliquem caloris, ne dicam uredinis praebet circa guttur. Tusa, ac trium drachmarum pondere ex aqua devorata omne humorum genus supra, infraque vacuare dicitur. Nascitur in frigidis, et saxosis locis.

CAPUT XLIII.

De CENCOCOPI, *seu planta simili Tlaólli.*

Plantam aemulatur Maizii, sed semen est triangulare. Curat dysenterias semen tritum, ac devoratum unciae unius pondere. Est autem strages Maizii.

CAPUT XLIV.

De TLAÓLLI, *Maiziove, deque potionibus, et placentarum generibus ex eo parari solitis.*

Quid mirum, si circa Mundi primordia, atque rudimenta illorum temporum, nondum excogitatis rebus ad vitam commodè transigendam inservituris, cerere carentes, mirabili sanè invento, et naturae omnium parentis bono tuendae sanitati apprime utili, confugiebatur ad glandes et hordeum, quibus modo sues, et siquae sunt sordidiora animalia, consuescunt saginari; quando nostra quoque tempestate alii Oryza, et Milio, alii siliquis arborum quarumdam, *Yucca* alii herbae notae radice, alii *Ilianthо*, et *Guayaris*, et ut cetera, quae innumera sunt, praeteream, alii *Tlaólli*, quod nostri *Frumentum Indicum*, *Haitini* verò *Maizium* appellant, vescuntur loco panis. Neque hoc dictum volo in vilipendium *Tlaólli*, quod tantùm abest, ut vituperem, ut maximè laudem, mirerque Hispanos, rerum externarum di-

ligentissimos imitatores atque translatores, et alienorum inventorum picas, suis usibus adhuc non accommodasse, et in suas oras transtulisse, excoluisseque frumentaceum genus et valentibus, et malè valentibus, si decenter eo utamur, impensè salubre, cultu facile, uberrimi et securissimi in quovis ferè solo proventus, siccitatibus, et aliis caeli terraeque injuriis parùm obnoxium, et cujus satu fortassis a fame, et mille, quae inde emanare solent, malis vindicari possint. Sed ne cui miraculo sit gentes esse, quae sine tritici usu vitam transigant, et peregrinis, et paene ignotis cibis jucundè, magnaque cum utilitate et voluptate vivant, et vescantur, quale est *Tlaólli*; de illo instituitur nobis sermo. Mexici enim non solùm apud Indos incolas, sed apud advenas Hispanos est maximus creberque ejus usus. *Tlaólli* ergo, a nobis dictum *Maïzium* (notior enim, et vulgatior est haec vox) a quibusdam recentiorum *Frumentum Turcicum*, ab aliis verò consultiùs *Indicum* appellatum, ut formam silentio transigam toti ferè jam cognitam mundo, multas habet differentias: (sylvestre enim *Maïzium* seorsim describetur) a colore, magnitudine, et mollitudine granorum, quibus spicae ipsae stipantur, desumtas. Reperias enim quamplurimas granis constantes albis, alias pallentibus, nigris multas, quasdam purpureis, nec paucas flavis, cyaneis, et multorum colorum permistis: demum alias, quae

licèt granis candentibus, ut priores, constent; longè tamen ea habent majora, teneriora, ac triplo majori spicae inhaerentia. Quas omnes differentias ad vivum expressas imaginibus in nostris hisce Libris reperias. Seritur Martio in singulos scrobes inter se passum unum distantes, quaternis, quinisve granis conjectis, et reponitur Novembri, Decembri, et Januario, repastinato solo; etsi pro varietate regionum, quae apud hos Indos ob dierum, noctiumve paene aequale intervallum, et varios soli situs, modicis spatiis mirum in modum evariant, tardiùs citiùsve soleat demessum, trituratumque recondi. Temperatum est, aut ad caliditatem, et humorem paululùm declive, substantia mediocri, concoctu facile, praecipuè his, qui eo victu uti consuevere, non crassa, aut veluti quidam opinantur, obstruenti, et viscosa, quod vel Indis ipsis, qui ex eo pane in placentulas conformato vivunt, nec tamen obstructi, aut decolores conspiciuntur, periclitari licet, iisdem affirmantibus nullam in ventriculo gravitatem sentire post epulas, imò ante paucas horas rursus, ac si nihil ingressissent, esurire, et magna aviditate, si adsit copia, repetere nutrimentum, nec vel de nomine solo ad adventum usque Hispanorum lithiasin novisse. Quid, quòd nullum est apud Mexicanos celebrior aegritudinum acutarum, et commodior victus? qui etiam ptisanae praefertur: quod mille experi-

mentis confirmatum, comprobatumque est. Celeriter siquidem ajunt coctum descendere, corpora, quantum sat est, nutrire, nullum inferre gravitatis sensum, mollire ventrem et pectus, calorem febrilem demulcere, praecipuè si pulvis ejus ex aqua permittatur brumali tempore gelascere, quó uti solent *Chichimecae*, urinam evocare, viasque omnes extergere. Cumque mille videatur abundare commodis, si aptè paretur, nullamque noxam inferre, nisi quis dicat sanguinis, et bilis copiam generare, atque augere; non est, cur consentiamus dicentibus, frumento esse calidius, difficile et concoqui, et distribui, viarumque moliri obstructiones; imò cur laudemus Mexicanos Medicos, qui posthabita hordeacea ptisana, velut ingrata gustui, et aegrotantibus inimica, pultes e Maizio, quas *Atolli* vocant, permistas praeferunt, huic genti consuetas et gratas, et quae citra ullam noxam suavem saluberrimamque alimoniam praestent. Quamobrem quot modis soleant parari, qua brevitate potero, tum sanis, tum morbo aliquo affectis, deinceps sum edocturus; modum placentularum ex eodem frumento parandarum differens in id, quod sequetur Caput, a *Nequatolli*, seu *Atolli melleo*, cui calx sit permista, ita ut aquae sint partes octo, frumenti hujus Indici partes sex, et calcis pars una, sumens initium: tunc enim carbonibus pauculis impositum in fictili obturato emollitur: quo tempore ab igne amovetur, linteis

cooperiendum est, et tandem lapide *Metlatl* vocato, pinsendum; mox in fictili decoquitur, donec cogi inspissarive incipiat, et eo tempore decima pars mellis *Metl*, de quo suo loco dictum est, permiscetur, tandiuque permittitur bullire, quandiu opus est, ut ad pultium polentaeve Hispanicae perveniat modum. Refrigerat hoc, humectatque distemperie calida, et sicca obsessa corpora, emollit pectus, plurimùm nutrit, corroborat, impinguatque extenuatos, et amissas vires instaurat, atque restituit; extergit quoque, et est aegrotantibus conveniens victus. Quid quòd tabidis exhibitum ptisanae hordeaceae gerit vices, et a gravissimis morbis resurgentibus manus auxiliares praebet? Sunt qui adjiciant piper indicum modica mensura, sed cùm sunt benè valentibus propinaturi, et his quos calida distemperies non infestat: ita enim gratus palato redditur, et venerem concitat. Utuntur eo alimento Indi quibusvis horis diei, seu valeant, seu aegrotent, sed potissimùm manè potum adjicientes. Caepit jam hujus victus placere quoque Hispanis, sed praecipuè his, qui ab Hispanis et Indis, seu Indis et Aethiopibus, aut Aethiopibus et Hispanis (eo turpitudinis devenere mores, atque is factus est inter nationes tam varias circa vitia consensus!) nati sunt parentibus. Parant aliud genus, *Atollique* vocant *Yztac*, sive *album*, eodem, quo dictum est, modo, quanquam jam confectum, et in vasa, unde sorben-

dum est, transfusum virenti conspergant *Chilli*, et vocatis *Tomame*, admista insuper salis debita portiuncula. Solent verò trita haec aqua dilui, etsi multis sat esse putetur ingenitus illis humor, ut debitè inspergi queant. Quin et *acidum* vocatum *Atolli*, quod *Xocoatolli* Mexicani nuncupant, solent quoque parare permista libra unica fermenti, seu massae acidae libris binis Maizii, quemadmodum diximus, emolliti, atque contusi. Fermentum autem parabitur, si capias Maizium nigrum, et conficias massam ex illo, quemadmodum dictum est, quatuorque, aut quinque diebus servaveris donec acescat, et tunc demum permiscueris, ut *Atolli* gratum quemdam contrahat acorem, mox in vas transfusum sale, et *Chili* conspergatur: atque ita demum ob aegrotantibus matutino ingeritur, ut corpus extergat, urinam evocet, atque alvum expurget. Hoc eodem fermento ex aqua frigida resoluto, atque epoto corpus refrigeratur, aut per vehementem aestum, aut cum ex itinere, aut labore quispiam defatigatus sit, aut vehementiùs concaluerit, aut quando renes ita uruntur, ut lotium urinarios meatus lancinet, atque exulceret. At *album Atolli*, quod Mexicani *Tollatolli* vocant, ad hunc modum conficitur: decoctum Maizium ad eum, qui dictus est, modum, sine calce tamen aut alterius rei adjectione, in pultem efformatur, permittitur refrigescere, ac liquatur aqua, ut bibi commodè possit, veluti

acetatum, de quo paulò ante sumus locuti. Sitim hoc dicitur exstinguere, quomodolibet excitatam, atque praecavere, ne si plùs quàm oporteat, potaverint aquae, laedantur. Ac *Chillatolli Atollichilli* permisto, ut nomen indicat, paratum, veluti praecedentia conficitur; sed cum semicoctum est, permiscetur *Chilli* in aqua eliquati ea portio, quae gratum faciat ei, qui illo est usurus. Summo mane assumitur contra frigoris molestias, corroborat ventriculum, firmatque coctionem; pituitam adhaerescentem extergit, et renes quibusvis vacuatis impedimentis emundat. Paratur et *Nechillatolli*, seu *Atolli*, *cui est Chilli permistum et mel*, velut reliqua genera, sed additis praedictis semicocto ea portione, qua gratum fiat sorbituris. Calidum ita innatum vigorat, ac venerem excitat. Est et aliud *Atolli* genus *Ayocomollatolli* dictum, quod est *Atolli* cum phaseolis, fragmentisque masseis ejusdem Maizii, quod fit phaseolis integris incoctis cum jam paene est confectum et cum semicoctum fragmentis masseis Maizii *Chillatolli* permistis adjectaque herba *Epazotli*, de qua suo dictum est loco. Nutrimenti id optimi, et praegrati vicem praestat, et *Epazotli* gratia sanguinem a crudis humoribus expurgat. Potuisset *Chianatolli* ad Caput *Chian* differri, sed nomen ferè idem adhortatur, ut praedictis differentiis hujus potionis nunc primùm interseratur. Paratur ex semine *Chian* torrefacto in patina, seu vocato

Comálli mediocriter, ac deinde laevigato, atque ita in annuos usus recondito. Nam cùm uti pulvere opus est, permiscent pulverem aquae, agitantque, donec eam densitatem nanciscatur, quae possit palato placere. Sunt qui hauriant hanc potionem simplicissimam; sunt etiam, qui priùs *Chilli* inspergant: absque eo febrilem calorem exstinguit, aut alia ex causa suscitatum: iter agentes, ac praecipuè ferventibus regionibus, juvat, et quosvis alios, qui eo nutrimento libenter utuntur. Fit et aliud potionis genus dictum *Chiantzotzolatolli* e semine quodam majusculo, de quo suo loco, eodem modo, quo praecedens parandum, et eosdem usus praestans; sed semen praeparatum celerrimè vetustatis sentire solet incommoda, nec adeo frequenti est in usu. Paratur quoque *Michuauhatolli*, id est *Atolli sementiferum* ex *Michihoauhtli* (de quo etiam dicato loco) torrefacto hoc semine, et redacto in laevorem, cumque exposcit occasio, in aquam conjecto, ea mensura, quae nullam adferat spissitudinem, et densitatem, et insperso melle *Metl* cocto; tria enim mellis genera, ut suo loco dicitur, ex eo conficiuntur. Extergit renes, et urinae meatus, puerorum scabiem curat epotum, abstergente, qua pollet, vi: et est frequens hisce gentibus cibus. Fit insuper ex Maizii parva quadam portione, majori autem siliquastri aridi laevigatique commistis, addita herba *Epazotli*, quod vocant *Tlatonilatolli*, admotis

igni simul omnibus, donec ea herba percoquatur, quod brevi evenit, ingeriturque calens, et id potionis genus venerem excitat, evocat urinam et menses, calefacit universum corpus, et corroborat. Sed neque silentio praeterire decet *Tlaxcalattolli*, quod paratur ex Maizio contuso, et efformato in placentulas, tres digitos latos crassas, in *Comálli* vocato; his, postquam probè decoctae sunt, cortex diripitur, mica teritur, ac rursus in frigidam projicitur, in patina reponitur agitaturque, donec cogi incipiat; tunc extracta atque in vascula cochleari digesta sorbitio epotatur, quae defectas vires mirè reficit, ac fovet. Quin et ex spica ipsa Maizii, detractis granis, usta atque in cinerem redacta *Olloatolli* vocatum parari consuevit; teritur etiam haec, parsque una tribus Maizii partibus permiscetur; rursus verò teruntur simul omnia, atque ex eis ad ignem *Atolli* paratur, postquam ad spissitudinem usque percoctum sit, et polentae densitatem: mox enim in vasa digestum conspersumque *Chilcoztli* sorberi solet, haud inutilis his, qui nimio sanguine, aut flamma redundant. Fit etiam ex Maizio, et lixivio vulgari percocto, quod vocant *Quauhnexatolli*, quoniam ex arborum cinere conficitur. Hoc ab eo extractum ablui expedit, in lixivio enim, quandiu oportet, manens emollitur, expurgaturque, et insolitum, atque a ceteris longè distantem ita mutuatur saporem: teritur postea, et ut reliqua, deco-

quitur, donec justam adipiscatur spissitudinem; atque ita demum devoratum expurgare dicitur sanguinem, neque aliud aut medicamenti, aut nutrimenti usum praebere. Sequitur *Izquiatolli*, quod e torrido paratur Maizio, contusoque; sed cum jam decoquendi illud tempus est, Maizii decocti modicae adjiciunt portioni, et omnia tandiu agitant, quandiu opus est, ut justam spissitudinem acquirant, et *Chilli* tandem insperso potatur ab iis, qui ob cordis imbecillitatem, aut atrae bilis redundantiam moerore plerumque afficiuntur. Est et *Hoauhatolli*, quod ex Blitis rubeis fit, ingeriturque insperso melle; praeterea *Michihoauhatolli*, quod ex *Michihoauhtli* paratur, pisturato nempe Blitorum genere, quod symphoniam a varietate coloris quidam vocant. De polentae verò pultiumque generibus, quibus usa est antiquitas, satis superque dictum est ab aliis; nos enim, quae Novo Orbi sunt familiaria, necdum veteri satis cognita, atque perspecta, scribenda statuimus.

CAPUT XLV.

De modo parandi panem ex Maizio.

Emolliunt eo, quo diximus, modo *Maizii* grana, mox pinsunt, ac palmis utrisque admotis efformant tenues, ac ambitus mediocris placentulas, quas statim, ut oportet, in *Comálli* carbonibus coquunt imposito; et hic vulgatior fre-

quentiorque parandi panem ex *Maizio* modus. Sunt, qui triplo, et interdum quadruplo majores efficiant; nec desunt, qui et crassiores; sunt qui efforment globulos peponibus similes, et in doliola juxta focum sita conjiciant decoquenda, permistis interdum phaseolis, atque eis non citra voluptatem vescantur; molles enim admodum sunt, concoctu faciles, et grati saporis; alii hos in dodrantem usque producunt, et quatuor digitorum crassitudinem admistis phaseolis in patinis, seu *Comallibus* assantes. At Proceribus Indorum placentulae parari solent ex colato *Maizio*, adeo exiles, puraeque, ut translucidae paene sint, et a papyro interpollatiore tenuitate minimè vincantur: item orbiculi parvi ex colato *Maizio*, qui etsi crassi, omnino tamen videntur translucere; verùm haec ad divites tantùm heroasque propinant, nec est insuavis ille panis, qui in vocata *Barbacoa* paratur, ac coquitur; Indi enim, quos *Chichimecas* vocant, gens fera, barbara, atque indomita, a Mexicana urbe in Septentriones non plurimum recedens, ac per montana campestriaque pellibus tantùm quasdam corporis partes tecti, errabunda, ac vaga, Scytharum more, aut brutorum pecorumve, venatuque, et aucupio, et quarumdam sylvestrium, ac sponte nascentium arborum fructu, ubi sors tulit, viventes, cùm carnes libet coquere, scrobes in ipsa terra effodiunt, mox ignitis lapidibus sternunt, medias collocant carnes frumenti In-

dici massa obvolutas, ac demum similibus saxis, et terra obruunt, tandiu ibi manere permittentes, quandiu intelligunt sufficere exquisitè decoquendis; decoctas extrahunt, eisque et pane ad praedictum modum parato non sine magna voluptate, atque utilitate utuntur in cibis. Defluxit jandiu ad Hispanos Mexici degentes hic mos, ut et hujus rei sumere possemus experimentum, nec nos aliquid lateret, quod ad delicias et gloriam palati spectare posset. Quid quòd spicas ipsas torrefaciunt appositas patinis, aut incoquunt carnibus, et utroque modo granis jucundè vescuntur?

CAPUT XLVI.

De XOCOATL.

Solent etiam ex aqua, et Maizio jam emollito ac in massam redacto, per noctem simul manentibus, parare *Xocoatl*, seu aquam acidam inde matutino expressam, urinae ardori exstinguendo, ac calori cuivis contemperando mirabilem, si decem plùs minùs unciarum pondere continuis aliquot diebus jejuno adhuc ventriculo epotetur. Cujus rei admonendum Lectorem e re mea fore quoque putavi. Nec solùm est usus fructus, nam et culmi ejus arundinesve torrefactae, et redactae in pulverem, ophiasi egregiè medentur, si cum *Oxitl*, seu resina misceantur.

CAPUT XLVII.

De TRITICO *Mechoacanensi.*

Vidi apud *Mechoacanenses* nostras Triticum, sed tanta natum ubertate, ut quaevis spica ternas quatuorve alias velut praegnans producat, quod non judicabis indignum hac Historia, velut nec Linum etiam Europaeum apud eamdem gentem provenire, cujus nondum usum noverant.

CAPUT XLVIII.

De CIHOAPATLI *majori.*

Cihoapatli, seu *feminarum medicina*, vocata *major*, quoniam sequentem vincit magnitudine, *Cihoapatli* verò, quoniam uterinis medeatur affectibus, radicibus innititur similibus capillis, e quibus edit caules tres spithamas longos, flores rubeos, parvos, in summis ramis spicatim compositos, folia paene Ocymi, sed magis orbiculata, et crenata, sapore amaro, ac facultate tertio ordine calida et sicca. Confert mirum in modum utero, evocandis menstruis, ac muliebribus morbis coërcendis, unde sumsit nomen. Nascitur in calidis, ac montium faucibus.

CAPUT XLIX.

De CIHOAPATLI *Tepitzin.*

Radici insistit tenui, et longiusculae, fibrataeque, unde profert caules tenues, ac praecedenti minores, folia quoque Ocymi, sed minora, Origanove similia, fructum parvum in postremis ramorum flagellis, spicatum, ac refertum semine. Vis eadem, quae praecedenti, cui fortassis est congener, ac eisdem provenit locis.

CAPUT L.

De CIHUAPATLI *Tyauhtlina.*

Radici innititur surculosae Cihuapatli *Tyauhtlina*, unde oriuntur caules lignosi, et asperi: folia *Tyauhtlina*, unde sumsit cognomen, sed minimè serrata, et coccinei flores. Sapor, atque odor jucundus est, et gratus. Cortex radicis infusus ex aqua duarum drachmarum pondere febres curare dicitur; nempe typis earum cohibitis, citata alvo, aut sudore evocato, et exterminata morbi causa. Calida enim, atque exsiccante ordine secundo constat natura. Nascitur in calidis *Temimiltzinci* juxta aquarum fluenta.

CAPUT LI.

De CIHOAPATLI *anodyna.*

Radici innititur Cioapatli *anodyna* fibratae, e qua fundit caules subalbescentes: et in eis Verbasci folia, ac florem magnum, et album. Jus decocti ejus dolores omnes fotu levat.

CAPUT LII.

De CIHOAPATLI *hemionitica.*

Herba, quae Mexicanis, quoniam mulierum medetur morbis, et Hemionitidi foliorum figura est similis, Cihopatli *hemionitica* vocatur, ab Hispaniensibus verò mulieribus *herba uterina*, multos a fibrata radice mittit ramos, tenues, rectos, teretes, et hirsutos: folia per intervalla ab utraque parte caulis pinguia, hirsuta, oblonga, mollia, et Hemionitidi quadamtenus similia, unde cognomen: floresque albos in umbellam compositos. Calida est, et sicca gradu tertio, ideoque jus decocti ejus, aut succus exhiberi solet parturientibus duarum, triumve unciarum mensura, ut faciliùs enitantur, eventu felicissimo. Qui succus pectori quoque magnificè confert. Trita folia, ac pugilli mensura ex aqua, aut liquore alio convenienti devorata placant ventris tumorem, hydropem curant, urinam, ac menses evocant, et complures alios his similes praestant usus, a medicamentis sim-

plicibus tertio ordine calentibus, ac tenuis substantiae praestari solitos. Tam frigidis, quam calidis regionibus exsultat, seritur radice, ac semine, habeturque in deliciis non in hortis modò, ac viridariis, sed in vasis quoque fictilibus sata, quibus domorum tabulata, atque fenestras matresfamilias illustrare consuescunt, et hortos pensiles ornare. Omni regione, et tempore provenit.

CAPUT LIII.

De CIHUAPATLI *Patlahuac.*

Herba est capillis quibusdam insistens, unde profert caules multos, virentes, cavos, teretes, geniculatos, et minimum digitum crassos, folia mollia, undulata, et foliis Populi albae forma similia. Decocto ejus restituuntur sanitati ii, qui motu orbati sunt ob nervorum resolutionem, si abluantur illo. Exhibetur quoque enixis mulieribus, aut uterinis laborantibus morbis, unde nomen. Sunt qui putent hanc a *Cihoapatli majori* specie non differre; odore enim gravi constat, calidaque, et sicca temperie praedita es .

CAPUT LIV.

De CIHOAPATLI *Mecatlanica.*

Radicibus insistit multis, fibris similibus, e quibus prodeunt folia longa, et angusta, crassaque, amaritudinem

quampiam praeseferentia, et nonnullum calorem. Nomen invenit, sicut ceterae ejusdem nominis, ab effectu.

CAPUT LV.

De CIHUAPATLI *Xoxopancina.*

Radices et haec fundit fibris similes: et ex eis caules exiles, quadratos, et purpureos, folia Ocymi, serrata, purpureos, et longiusculos flores. Jus decocti ejus exhibetur enixis. Gustu est amara, calefaciente, et exsiccante vi ordine secundo.

CAPUT LVI.

De CIHUAPATLI *Maclactlanica.*

Herba est, quae possit inter eas, quas *capillaceas* vulgus vocat, adeoque inter Phyllitidis genera reponi, sed nomen in causa fuit, ut huc transferretur. Ergo capillatae insistit radici, et obliquè jacenti, arborumque candicibus, et truncis innascitur, unde profert folia angusta, et longa ex adiantinis pediculis, altera parte virore exsaturato tincta, altera verò sublutea, ac distincta punctis subrubris, quemadmodum multis aliis ex his, quas *capillares* vocant, evenire solet, ac quina ferè ex unica radice exorientia. Frigida, siccaque, et adstringenti natura constat: verùm *Cioapatli* consueverunt eam Indi nuncupare, aut quoniam eni-

xis ejus naturae medicamenta propinare (ut saepe animadverti) soleant, aut quoniam corroborationis gratia cum aliis herbis ejusdem nominis, sed diversae temperiei eisdem saepesaepius devorandam exhibeant.

CAPUT LVII.

De COZTICCIHOAPATLI, *seu Cihuapatli lutea.*

Parva herba est, in saxis, quibus adhaerescunt folia, proveniens. Haec aspera sunt, oblonga, hirsuta, nec Pilosellae vocatae dissimilia, et rubescentibus pediculis appensa: cauliculi sunt tenues, breves, et rubri, flosculique in summa eorum parte exiles, albi, pilosi, parvi, et contenti vasculis. Frigida est, et nonnihil adstringens. Propinatur enixis, pro eorum more, e liquore aliquo convenienti, addita *Mecatlanica Cihuapatli.* Sunt, qui vocent eamdem herbulam *Miahoapatli*, nec desunt, qui *Ezmiahoapatli.*

CAPUT LVIII.

De CHICHILTIC *Cihoapatli.*

Herbula est folia ferens Ocymi, obrotunda, serrata, infernè subalbescentia, et supernè rubra, radices capillis similes e caulium inferioribus partibus prodeuntes, qui rubei quoque sunt. Frigida, et humida constat natura. Exhibetur verò enixis cum aliquibus praecedentium ejusdem usus gra-

tia. Sapore, et odore caret. Nascitur in calidis *Mactlactlanicis* inter saxa.

CAPUT LIX.

De CIHUAPATLI *Yacapichtlensi.*

Radici insistit fibratae, unde profert Salviae folia, adeo glutinosa, ut tacta manibus protinus adhaerescant: flores in summis caulibus purpurascentes, et in corymborum formam compositos. Calida constat, siccaque ordine tertio natura, et acri sapore: adeo Conyzae similis, ut nisi floribus ab ea distaret, in illius videretur species referenda. Jus decocti ejus epotum admotumve humores imbibitos articulis aut nervis mirè discutit, ac dolores quosvis causa ablata levat. Sunt, qui et hanc *Pitzahoaccihoapatli* vocent. Nascitur in calidis *Yacapichtlae.*

CAPUT LX.

De CIHOAPATLI *Tepitoton.*

Herba est tenuibus innixa fibris, unde proferuntur caules decem uncias plùs minùs longi, tenuesque, foliis ornati ferè ocyminis, sed minimè serratis, ac semine Nasturtii. Sapore caret insigni, propinaturque enixis jus decocti ejus. Nascitur *Xuotepeci.*

CAPUT LXI.

De CIHUAPATLI *Sonagcocho.*

Innascitur arboribus, radicique firmatur longa, tenui, et geniculata, fibrataque per singulos geniculos: unde profert caules laeves, ac rotundos, subrubros ac geniculis per intervalla interceptos: folia obrotunda, infernè diluto, supernè verò exsaturato colore tincta, nervis secundùm longitudinem discurrentibus, et nisi minora essent, et obrotundiora, Plantagini similia. Radix sapore insigni caret; exhibeturque enixis cùm aliquot e praecedentibus, unde evenit nomen.

CAPUT LXII.

De CIHUAPATLI *Paztagat.*

Folia fert Ocymi serrata, fibratam radicem, ac Nasturtii modo semen. Radices sunt amarae, calefaciente, et exsiccante natura ordine tertio, ac subtilium partium. Tota planta tres dodrantes longitudine aequat; enixisque haud aliter, ac ceterae, est utilis.

CAPUT LXIII.

De CIHOAPATLI *Ocoitucensi.*

Frutex est folia ferens hirsuta, pinguia, squallentia, mollia, forma verò ocyminis similia, tamen majora, quaterna,

quinave per intervalla caulium, et stellatim disposita, fibratam radicem, et flores arentes, luteos, spicatos, coacervatosque per cacuminum intervalla. Folia Thymo redolent indistincta paene similitudine, et subamara sunt. Calida est, et sicca ordine tertio natura, diarrhoeasque compescit. Enixis auxilii gratia, ut indicat nomen, propinari solet. Nascitur in montibus *Ocoitucensibus.*

CAPUT LXIV.

De CIHOAPATLI *Tepoztlanica.*

Frutex est foliis cordis figura, serratis, cum senuere, rubescentibus, ac mediocris amplitudinis, surculosa radice, ac flosculis parvis, albis, subluteis, et longiusculis. Amara est, calefacitque, et exsiccat ordine tertio. Sistit puerorum diarrhoeas, ac lactis in eis excitat appetentiam, tenuibus partibus constat, et utero confert; propinandus autem praedictorum juvamentorum gratia succus ejus pueris semunciae mensura, majoribus autem natu majori pro aetatis ratione pondere. Nascitur in montibus *Tepoztlanicis.*

CAPUT LXV.

De CIHUAPATLI *Hoaxtepecensi.*

Herba est magna, florem ferens in quibusdam virentibus erinaceis, folia crenata valde, ac similia raphaninis,

caules sarmentosos. Nonnullum videtur participare calorem. Abluunt ejus succo membra, quae aliqua occasione perfrigerata sunt. Nascitur *Ocoituci* juxta montium fauces.

CAPUT LXVI.

De CIHOAPATLI *Xantetelcensi.*

Herba est radici insistens surculosae, unde profert caules longos, teretes, purpureos, et quinque ex partibus pennatos, saligna folia, serrata tamen, et flores pilosos, purpureos, et in muscarii formam compositos. Odora planta est, calidaque, et sicca gradu secundo, subtiliumque partium, ac demum viribus ceteris ejusdem nominis persimilis.

CAPUT LXVII.

De CIHOAPATLI *Pitzahoac.*

Radicibus insistit tenuibus, unde proferuntur caules cinerei coloris: et in eis folia saligna, verùm juxta cuspidem crenata. Vis est, quae plurimis e praecedentibus, nempe calens, et sicca, ac sapor nonnihil amarus. Folia applicata defluvio capillorum medentur.

CAPUT LXVIII.

De QUAUHCIHOAPATLI.

Quauhcihoapatli, seu *Cihoapatli montana*, herba est me-

diocris, fibris innixa, unde promit caules teretes, folia serrata, Ocymo, aut Urticae similia: flores candentes, parvos, et orbiculares. Jus decocti foliorum epotum flatum dissipat, satietati medetur, alvum expurgat faecibus crassis, atque tenacibus dejectis, renum, et lumborum dolorem aufert. Idem praestat infusa, additis interdum *Chapolin*, et *Cuilloxihuitl*, quae eadem facultate pollent. Nascitur in montium faucibus, acclivibusque, et umbrosis locis *Quauhchinanci* et *Papaloticpaci*.

CAPUT LXIX.

De CIHOAMAITL *Ytzocanensi.*

Cihoamaitl, seu *mulieris manus*, volubilis est exilis, folia ferens peltis amazonicis similia: capreolos perquam tenues: caulem quadratum, et luteos flores. Acrimoniae cujusdam, atque caloris est particeps, et medetur vetustis plagis. Nascitur verò in locis calidis, atque campestribus.

CAPUT LXX.

De YZTACCIHOATL.

Yztaccihuatl, seu *femina candida*, herbula est fibratae innixa radici, candentique, e qua profert folia Sonchi, infernè subalbida, et supernè viridia: caules tenues, tres quatuorve, quorum summa parte emicant flores, illis vocatae Bellis simillimi, in pappos demum abeuntes, pilosi, et co-

lore candenti. Jus decocti exhibetur enixis, flatus diſſipat, menſtrua evocat, convulſioni medetur, tormina tollit, frigorique adverſatur; calida enim eſt, amaraque, et in planis *Copitlani* naſci gaudet.

CAPUT LXXI.

De CHIPEQUA.

Parvula herba eſt, multos proferens caules tenues, et aliquantulùm purpureos ex radice fibrata: et in eis folia Lini longa, et tenuia, ac flores luteos per ſingulos foliorum exortus. Haec amaro ſapore conſtat, calefacienteque et exſiccante vi; quo fit, ut tuſa, reſoluta ex aqua, atque epota ſudorem evocet, dolores articulorum placet, et quosvis alios e frigore ortos, et motum vitiatum reſtituat. Provenit *Tacambari* provinciae Mechoacanenſis temperatis, aut paulò gelidioribus locis, ubi in maximo ab indigenis habetur pretio.

CAPUT LXXII.

De CHUPAQUARES.

Ibidem naſcitur et Chupaquares, quae tuſa, atque impoſita pannos ac gutturis tumores mirè dicitur diſcutere.

CAPUT LXXIII.

De CETÓN, *seu gelu.*

Cetón, quam *Cetzin* quoque nonnulli vocant, radicibus firmatur longis, numerósis, atque tenuibus, fulvisque, unde prodeunt caules teretes, sex uncias longi, geniculati, ac nonnihil hirsuti: folia parva, Origani forma, et magnitudine, flores purpurei, modici, calyculos oblongos imitantes, juxta foliorum alas utrinque exorientes. Frigida est ei vis, ideoque bis, aut ter matutino sumta ex frigefaciente aliquo liquore, pondere sex obolorum, febres finit, omnemque calidam viscerum exstinguit intemperiem. Plures autem acervatim plantae emicant, ac subrectè atolluntur.

CAPUT LXXIV.

De ZAQUAMQUAHUITL, *seu signi arbore.*

Zaquamquahuitl, ab aliis *Pochotl* vocata, arbor est magna, aculeis horrida, folia Olivae ferens, magna ex parte quina, fructum melopeponi parvo forma et magnitudine similem, plenum lanugine fibrata, candenti, splendentique, et bombycinis filis, laxis, et undulatis parùm, aut nihil dissimili, quae nei facilè possit, quemadmodum et nos facto cognovimus periculo, et in bombycinas vestes, quas sericeas nonnulli vocant, aptari, longè minori dispendio, in

sumtuque tenuiori, et faciliori opera, quàm quae serico nostrati parando solet adhiberi. Verùm is est mos hominum, ut quae cariùs veneunt, ardentiùs affectent: interstant verò praedictam lanuginem granula quaedam orbicularia cannabino semini forma, et magnitudine similia, dulcia, grata gustui, dulciumque amygdalarum ferè sapore, quae cruda tostave excitant appetentiam, suntque adeo impinguandis corporibus accommoda, ut rebus gerendis reddant homines eis usos inhabiles atque ineptos. Flos est albus, et modicus, nec forma vocato *Yzcaxochitl* dissimilis. Sunt, ut circa Capitis initia jam attigi, qui vocent hanc arborem *Pochotl* ob foliorum similitudinem, quam habent cum illis verae *Pochotl*, etsi longè sint minora, arborisque minimè, ut haec, spiniferae, aut fructiferae. Calido, clementique gaudet caelo, sed calidiore magis, locaque et campestria, et montana exornat, nec ulli ferè est incognita.

CAPUT LXXV.

De COLLOPATLI, *seu scorpii medicina.*

Cortex arboris, quam Collopatli nuncupant, acris est, et quarto ferè ordine calens. Jus decocti ejus scorpionum confert puncturis, flatum discutit, et ab eo ortos dolores sedat epotus, aut admotus.

CAPUT LXXVI.

De COLLOXIHUITL, *seu herba scorpii.*

At hanc ita vocatam ajunt ob acrimoniam, et calorem, quo praedita est. Radicibus verò insistit fibris similibus, unde profert caules tenues, teretes, serpentes per terram, geniculatos per intervalla, contortos, et in singulis geniculis aliquot fibras edentes, candidas ac similes Helleboro: folia Ocymi, minora tamen, obrotundiora, ac minimè serrata. Calida est ordine quarto, siccaque natura, et partium tenuium. Radix applicata dentium dolorem sedat; succus verò epotus alvum emollit, aut radix ipsa tusa ac duarum drachmarum pondere ex aqua devorata. Provenit in calidis *Tepoztlanicis*, montosis, asperisque locis.

CAPUT LXXVII.

De altera COLLOXIHUITL.

Radicem fundit fibratam, caules cavos, longos, rotundosque: et in eis folia Ulmi oblonga, et lata, florem arentem per universum ramorum discursum; lutei, sed diluti coloris, et ovi figurae. Acris est et ordine quarto cum siccitate calida. Doloribus dentium egregiè subvenit admotus surculus, post quatuor horas tamen repetito altero. Nascitur in calidis locis fluminibus propinquis.

CAPUT LXXVIII.

De CAPOLÍN, *seu Ceraso dulci Indica.*

Arbor est mediocris magnitudinis, foliis Amygdali, aut Cerasi nostratis minutim serratis, floribus racematim dependentibus, ex quibus acini fiunt Cerasis nostris forma, colore, magnitudine, ossibus, nucleis, necnon et sapore (nisi is mororum Bati quadamtenus esset) omnino similis. Quo fit, ut existimem arborem hanc in Cerasorum genera referendam, etsi sint, quibus videatur ad Lotorum differentias pertinere. Acidi paululùm fructus sunt, et adstringentes, etsi jam tempestivi, et exquisitam maturitatem assecuti dulces evadant, et magnam austeritatis partem amittant; gustui sunt grati adeo ut ex quorumdam non parùm sagacis palati sententia nostris cerasis non videantur inferiores. Temperatè calida, siccaque, et nonnihil adstringenti natura constant. Fit ex eis panis potioque in annonae, et vini caritate; nutrimentum praestant melancholicum, et cordi quadamtenus inimicum. Dentes inficiunt nigro colore, siquis eis diutius assuescat, sed qui, si cura adsit, possit facilè extergi, ac dentifriciis emundari, et tamen non desunt, qui ceteris horariis fructibus etiam vetusti Orbis audeant eos anteponere. Vere floret haec arbos, fertque per universam ferè aestatem fructum. Jus decocti corticis ejus insolatum

quindecim integros dies, ac devoratum drachmae unius pondere dysentericos curat: pulvis verò ejusdem argemata discutit, visum clarificat, oculorum inflammationibus opitulatur, ac linguam prae vehementi ardore arescentem lenit; quod etiam germinum liquor aut succus praestare solet temperato caelo, quale est Mexicanum, ubi hae arbores in hortis campestribusque locis et humana diligentia, et suapte natura proveniunt. Triplici constant hae arbores differentia, fructu tamen discrepantes, siquidem *Xitomacapolim* fructum fert prunorum circiter magnitudine, *Helocapollim* paulò minorem, ac omnium minimum *Totocapollim*; universim verò omnes racematim dependentem.

CAPUT LXXIX.

De quodam CAPOLIN *genere nascente juxta flumen Alvaradi.*

Accepi a veridicis testibus nasci juxta flumen, quod habet ab Alvarado nomen, arborem quamdam, fructum ferentem *Capolin* persimilem, expertem tamen ossis, cujus loco semen clauditur exile, et numerosum. Cujus foliorum succus ebibitus ictibus venenatorum medeatur, aut plagae ipsi impositus septem dierum intervallo pluriumve, si ita expedierit. Quam rem pulchrè norunt, qui juxta praefatum flumen degunt.

CAPUT LXXX.

De CAPÓLQUAHUITL, *seu arbore Capollin.*

Arbor est Percisi magnitudine, surculosis innixa radicibus, et foliis Lauri, magis acuminatis. Jus decocti ejus tussim, aliasque pectoris aegritudines curat. Nascitur in frigidis *Tototepeci* juxta sylvas.

CAPUT LXXXI.

De TECACAPOLTÓN, *seu Capollin parva saxorum.*

Folia et fructum fert haec arbuscula Vitis sylvestris persimilem, ad cujus differentias videtur attinere. Saporis est amari, et calentis temperiei, nec quidquam aliud audio de ea ab Indis narrari.

CAPUT LXXXII.

De CACAPOLTON.

Arbuscula est foliis Cerasi, aut *Capolin*, stipitibus purpureis, floribus in postremis ramis caeruleis, unde fiunt acini ciceribus paene pares, primo coccinei, ac tandem e purpureo in nigrum vergentes. Folia sunt frigida, et adstringentia. Repellunt praeter naturam tumores, diarrhoeas compescunt, febribus adversantur, et medentur vulneribus. Succus foliorum acinorumve curat inflammationes oculorum.

Nascitur *Ocoituci*, et *Quauhquechulae*, nempe temperatis, ac calidis regionibus.

CAPUT LXXXIII.

De TLALCAPOLÍN, *seu Ceraso humili, Chamaecerasove Atlapulcensi.*

Herbula est dodrantalis, radicibus firmata surculosis, et candentibus, longis, et anserinam pennam vix crassis, unde oriuntur caules purpurei: et in eis folia serrata, oblonga, et per intervalla caulium quaterna quinave, flores in postremis ramis parvi, et coccinei, et fructus cerasis nostratibus persimiles, tamen minor, unde contigit nomen. Curat haec herba redacta in pulverem, et diffusa dysenterias. Calida enim est, sicca, et adstringens. Nascitur montosis, frigidisque locis *Atlapulci* in ilicetis; servaturque radix tosta in annuos usus.

CAPUT LXXXIV.

De TLALCAPOLÍN *altera.*

Folia fert Unedonis serrata, infernè subalbida, et hirsuta, fructum *Capolin* similem, sed minimè edulem, nigrum extra, et intra coccineum. Folia sunt frigida, et adstringenti natura. Nascitur *Atatacci* juxta aetnae radices.

CAPUT LXXXV.

De TOTOCAPOLÍN*, seu avicularum Capolin.*

Frutex est parvus, folia ferens obrotunda, et mollia, fructum Oxyacanthae similem, ac virentem, includentemque intra se ossiculum, qui fructus demum rubescit, tenuibus velut pilis appensum. Frigidus est, siccus, et adstringens. Nascitur in calidis *Ytztolucae.*

CAPUT LXXXVI.

De altero TOTOCAPOLÍN.

Frutex est quinque, aut plures cubitos longus, foliis Pruni, sed longè latioribus, amaris, calidaque, et sicca ordine tertio natura.

CAPUT LXXXVII.

De CACAHOAQUAHUITL*, seu arbore Cacai.*

At in CACAHOAQUAHUITL magna detegentur humanae sortis volumina; in vetere siquidem Orbe perquam prisca illa tempora, quae vitae hominum erant necessaria, atque adeo apud alios, cum deessent, quaerenda, non rependebantur aere; nondum aureus argenteusve circumferebatur nummus, aut pecudum, Regumve, aut Principum simulacra metallis cernebantur insculpta. Rerum permutatione vive-

En el Cacahoaquahitl se descubre la grande historia de la humana suerte. A la verdad en el orbe antiguo y en los primitivos tiempos, no se pagaban con el dinero las cosas necesarias para la vida del hombre, quando las unas gentes tenian que buscar entre las otras aquello que necesitaban. Aun no giraba entonces el oro y la plata, ni se miraban esculpidos en los metales los bustos del ganado, de los Reies y de los Principes. Se pasaba la vida con el cambio de las cosas, como cantaba Homero haber sucedido antiguam.te facilitandose los hombres, los unos á los otros el auxilio de los frutos, que mutuamente habian guardado. Finalmente se batió

batur, ut olim factum cecinit Homerus, et fructuum, quos recondebant, facta aliis copia mutuum ferebatur auxilium. Tandem aera percussa, atque signata sunt, et mille rerum effigies numismatis impressae conspiciebantur; at in Novum hunc Mundum nunquam avaritiae signa penetraverant, aut caput erexerat ambitio, donec nostri in eam velis, ac vento devecti impetum fecere. Non usque adeo splendebant illis argentum atque aurum, quibus praecipuè abundabant; avium pulcherrimarum plumae, lintea quaedam gossypina, ac gemmae, quae ea fert affatim suapte sponte tellus, erat divitiarum, et copiarum summa. Nondum armillae, torques, aut brachialia, nisi fortassis concinnata e floribus, plebi innotuerant, aut magaritae ullo erant illis in pretio. Nudi paene incedebant, vitam degebant hilarem, neque vastos congerendi thesauros, aut rei familiaris augendae, velut de futuro parùm sollicitos, cura evigilabat, in diem vivebatur, indulgebatur genio, humili sorte, sed tranquilla et felici, et potissimis naturae bonis magna cum jucunditate potiebantur. Semen *Cacahoatl* erat illis pro nummo, et eo praecipua vitae praemia, cum opus erat, comparabantur: duratque in hodiernum usque diem non paucis in locis hic mos. Quid mirum? quando quibusdam Orientalium gentium cochleae venereae, et aliis folia quarumdam arborum, aliisque alia pecuniae gerunt vices; quin

y selló el metal, y aparecieron gravadas en las monedas mil efigies. Pero jamas habian penetrado al nuevo mundo las banderas de la avaricia, ni habia levantado la cabeza la ambicion, hasta que acometieron los nuestros, transportados por las velas y los vientos. Para los Americanos, aun no era tan resplandeciente la plata y el oro de que abundaban. Las plumas de hermosas aves, ciertos lienzos de algodon, y las piedras que copiosa y espontaneam.te produce la misma tierra, eran el compendio de sus riquezas y abundancia. Ningun aprecio hacian de las perlas, ni conocian todavia las manillas, collares y brazaletes, sino es la gente humilde, y acaso formandolos de flores. Andaban quasi desnudos, pasaban alegres la vida, y como poco solicitos de lo futuro, no los desvelaba el cuidado de amontonar grandes tesoros, ó de aumentar el caudal de la familia, vivian con el dia, iban con su genio, y asi en una suerte humilde, pero feliz, disfrutaban con gran placer
cuia costumbre permanece hasta el dia en no pocos lugares.
los principalisimos bienes de la naturaleza. Ni hai que admirarse, quando entre algunas gentes de las orientales hacen veces de dinero las conchas, los caracoles, y las hojas de algunos arboles, y aun de la misma semilla, con que se hacia el comercio, hacian las plazas, y con su auxilio, se transferian al dominio de varias personas las mercaderias, ajustaban la bebida, no habiendose descubierto aun el modo de hacer el vino, siendo asi que (como diremos en sus lugares) nacian á cada paso espontaneam.te en las selvas algunos generos de parras y ubas silvestres, arboles y tallos, con que se adornaban

y cargaban, hasta agobiarse con el peso de los racimos y pampanos de varios colores. De esta celeberrima semilla, pues, y de que hasta nuestro tiempo hace veces de vino y de moneda, vamos á tratar ahora, comenzando por el arbol. Imita al naranjo en lo frondoso y en las hojas, aunque son mas anchas y grandes. El fruto es largo y semejante á un melon grande; pero estriado y bermejo.

et ex eodem semine, quo commercia inibantur, fervebant emporia, et in varios dominos illius ope mercimonia transferebantur: concinnabantque potum, nondum vini conficiundi ratione reperta: cum tamen nonnulla Vitium sylvestrium, ac genera Labruscarum (velut suis reddetur locis) apud illos suapte sponte in sylvis passim provenirent, arboresque, et frutices, quibus advolvebantur, uvis, acinisque variorum colorum, et pampinis condecorarent, atque gravitate sua incurvarent. De hoc ergo celeberrimo semine, et quod in nostram usque tempestatem et vini, et nummi apud illos subeat vicem, agendum modò, ab ipsa arbore sumto initio. Est ergo *Cacaoatlquahuitl* arbor amplitudine, et foliis Mali Medicae, longè tamen majoribus atque amplioribus, fructu oblongo, peponi magno simili, sed striato, ac rufo, *Cacahoacentli* nuncupato, semine *Cacahoatl* pleno, quod semen, ut diximus, Mexicanis pro nummo est, materiemque potionis eidem genti gratissimae praebet. Substantia idem constat pulla, in dispares divisa particulas, sed probè compositas inter se, tenera, multi nutrimenti, subamara, subdulcique, et temperata natura, aut aliquantulùm frigida atque humenti. Sunt autem, quod adhuc compererim, quatuor hujus arboris differentiae: prima *Quauhcacahoatl* dicitur, omnium maxima, et ampliorem ferens fructum; altera *Mecacacahoatl*, quae mediocri constat magni-

Se llama Cacahoacentli, y esta lleno del cacahoatl, cuia semilla, como diximos, sirve á los Mexicanos de moneda, y de materia para una bebida mui agradable. Es de color negruzco, y dividida en partes desiguales, pero bien formadas entre sí. Son tiernas y de mucho nutrimento, medio amargas y dulces, y de naturaleza templada, ó un poco fresca y humeda. Segun lo que yo he descubierto, hai quatro diferencias de este arbol: la primera se llama Quauhcacahoatl; la maior de todas, y que produce el fruto mas grande: otra Mecacacahoatl, es de mediano tamaño, estendida, y da el fruto poco menor que el primero: la tercera Xochicacahoatl, es menor y tambien

da chico el fruto, cuia semilla es encarnada por fuera, y por dentro, del mismo color que las otras: la quarta y menor de todas, que por eso se llama Tlalcacahoatl, ó humilde, produce el fruto pequeño; pero no de distinto color que los demas generos, cuias diferencias todas tienen los mismos usos y propiedades, aunque la postrera sirve mejor para las bebidas, y las otras son mas comodas y á proposito para moneda. Puede tambien reducirse al genero de los mismos arboles el Quauhpatachtli, pero es mas frondoso, mas anchas las hojas, el fruto y las semillas

las que tambien son mas dulces que las otras, y pueden tomarse en lugar de almendras, ó tostadas, ó condimentadas con azucar, aunque son mas incomodas para prepararlas en bebida. Dicha bebida suele prepararse de la semilla, sin añadirle otra cosa, y se da á los que padecen enfermedades agudas, para mitigar la calentura, y á los que incomoda un desarreglo ardiente del higado, ó de otra parte. Si con quatro granos se mezcle una

onza de la goma, que llaman Holli, de la que trataremos en su lugar, y se bebe, contiene maravillosam.te las disenterias. Pero deben tostarse primero la misma goma y los granos, por que estos son tan oleosos, que con solo exprimirlos, puede sacarse de ellos aceite, y aquella es mui tenaz y pegajosa. El uso inmoderado de esta bebida, obstruye las entrañas, quiebra el color, y conduce á la cachexia y á otros males incurables. Pero como estas bebidas, son simples, ó compuestas, y no todas se hacen de un propio modo, ni con las mismas cosas, reduciendo á polvo y añadiendoles, ya estas flores, ó ya las partes de otras plantas, sera bien que nos detengamos algo en referirlas. El primer genero,

tudine, fusa, ac fructum ferens magnitudine a praedicto secundum; tertia, *Xochicacahoatl* vocata, minor est, ac minorem profert fructum, semenque extra rubescens, intra verò ceterorum colore: quarta omnium minima, et ideo vocata *Tlalcacahoatl*, seu *humilis*, pomum fert minimum, haud alterius, quàm cetera genera, coloris; quae differentiae omnes eadem pollent facultate, atque eosdem usus praestant: licèt postrema potionibus magis inserviat, ceterae verò nummis aptiores, atque commodiores sint. Posset quoque et *Quauhpatachtli* ad earumdem arborum genus referri, sed amplior est arbos, et ampliora folia, fructusque et semina, quae dulciora quoque sunt ceteris, et pro amygdalis possunt tosta, aut saccharo condita edi, atque usurpari, quamquam parandae potioni sint incommodiora. Acuta igitur aegritudine laborantibus exhiberi solet ex eo semine parata potio, cui nihil praeterea admistum sit, contemperando aestui, ac fervori placando, et his, quos calida hepatis aut alterius partis vexat intemperies. Si verò quatuor granis uncia unica misceatur gummi ejus, quod vocant *Hólli*, de quo est suo loco a nobis dicendum, bibaturque, dysentericus affectus mirè coërcetur. Verùm sunt gummi ipsum granaque priùs torrefacienda; grana siquidem adeo pinguia sunt, ut exprimere, si libeat, possis ab eis oleum; gummi verò tenacissima, et valde glutinosa vi praeditum. Ni-

pues, que se acostumbra preparar de esta bebida, se llama Atextli, ó humedeciente: es simple, y se hace con cien granos, poco mas ó menos, de cacaoatl crudos, ó tostados; pero bien molidos y mezclados con una porcion de maiz, suavizados del modo que ya se expuso, y de modo que pueda comodam.te manejarse y reducirse á la figura conveniente con las dos manos abiertas y juntos los dedos. Si se quisiere condimentar esta bebida, se le añaden los frutos machacados y los rezagos mezclados de la planta llamada Mecaxochitl, de la del Nochinacaztli y de la del Tlixochitl, que en sus lugares se describen: se revuelve despues quan

to bate. De ahi se va pasando de un vaso á otro, y desde lo alto, hasta que excitada finalmente la espuma, y elevadas las partes oleosas, y que mas se acercan á la naturaleza del aceite, se toma ó sorbe lo mas delicado y agradable al gusto, ó se aparta para beberlo con maior placer. La virtud de esta bebida compuesta excita la venus: la simple refrigera y nutre grandemente. Otro genero

mius autem ejusdem potionis usus viscera obstruit, colorem inficit, et ad cachexim, et insanabiles alios morbos perducit; sed quoniam et compositae, et simplices parari ex eo potiones solent, atque hae non unica tantùm ratione, aut eisdem ex rebus, jam his, jam illis floribus, aliisve plantarum partibus in farinam redactis, et adjectis; in eis enarrandis fuerit haud immeritò aliquandiu commorandum. Primum ergo potionis genus ex eo semine parari solitum *Atextli*, seu *madens* dicitur; fit hoc simplex ex centum plùs minùs granis *Cacahoatl* crudis, aut torrefactis, sed probè contusis, et commistis ei Frumenti Indici portioni, redditi, qua ratione a nobis dictum est, mollioris, quae utrisque manibus apertis conjunctisque, et in capacem figuram efformatis possit commodè comprehendi. Si verò libet parare compositum, addes *Mecaxochitl* vocatae plantae, *Xochinacaztli*, et *Tlilxochitl*, quae suis describuntur locis, fructus contritos, et commistos reliquos; mox verò, quantum satis sit, agitabis. Transferenda autem ex celsiori loco in aliud, atque aliud vas haec potio est, donec spuma demum excitata, partibusque pinguioribus, et ad olei naturam prope accedentibus ad superiora elevatis, sorbeantur tantùm quae leviora sunt, et gustu gratiora, aut seorsim majori jucunditate degustentur. Vis compositae est venerem excitare, simplex enim refrigerat, atque impensè nutrit. Aliud

de bebida se hace de veinte y cinco granos de Cacahoapatlachtli, otros tantos de Cacahoatl y un puño de maiz: nada mas se le añade. Las otras bebidas son calientes: en esta solo se busca el fresco y la nutricion. La tercera se llama Chocollatl, y se dispone de granos de Pochotl y de cacahoatl en igual cantidad, la q. se dice que engruesa mucho el cuerpo, si se usa con demasiada frecuencia. Molido todo se hecha en vasija de barro, y se bate con un molinillo de palo, hasta que la porcion mas oleosa, y que mas se acerca á la naturaleza de un gas, quede nadando, la que se aparta y colora separadamente, y al residuo añaden un puñado de dicho maiz suavisado. Despues que todo se ha reducido á un licor idoneo para tomarse, aquella parte oleosa, ó subtil que se habia separado, vuelve á mezclarse, y de este modo lo beben, ó lo dan á beber tibio, siendo mui util para los que estan consumidos de la etica febril, para los macilentos y extenuados. Otro genero, llamado Tzone, se prepara de igual cantidad de maiz y de cacahoatl tostados, añadiendoles una pequeña porcion del mismo maiz suavizado. Todo se cuece, hasta que pueda sorberse, ó tomarse, cuias bebidas refrigerantes mas se toman para nutrir que para curar. Se siembra junto al Quauhcacahoatl el ar

bol que nombaan Atlinan, para darle sombra, y no tiene otro uso que yo sepa. Lo exhibimos por tanto dibujado. Nace en regiones ardientes y en lugares pantanosos y humedos.

genus fit ex quinque et viginti granis *Cacahoapatlachtli*, de quo suo loco, totidem *Cacahoatl*, Frumenti verò Indici pugillo uno. Huic nihil addi solet ex praedictis. Illa siquidem calida sunt, ex hac autem portione sola infrigidatio, nutritioque quaeritur. Tertium verò, *Chocollatl* vocatum, paratur ex granis *Pochotl* et *Cacahoatl* aequa mensura, quod magnopere traditur corpora impinguare, si frequentiùs ea uti contingat. Ergo contrita omnia in fictile funduntur, agitanturque ligneo pistillo, donec portio pinguior, magisque spectans ad aëream naturam innatet, quam seponunt, ac seorsim collocant; residuoque immiscent Frumenti praedicti emolliti pugillum unum; postquam verò in liquorem sorbitioni idoneum sunt omnia redacta, id pinguitudinis, quod separaverant, rursus commiscent, atque ita demum tepidum potant; aut aliis sorbendum propinant, hectica febre consumtis, tabidis atque extenuatis mirè utile. Aliud genus, *Tzone* dictum, paratur ex Frumenti Indici et *Cacahoatl* torrefacti aequis portionibus, et modica quadam ejusdem Frumenti emolliti parte decoctis, donec sorberi possint, quae demum refrigescentia nutrimenti, non medicamenti vices gerunt. Seritur juxta *Quauhcacahoatl* umbrae gratia arbos *Atlinàm* vocata, nullius praeterea (quod noverim) usus; quamobrem ejus quoque imaginem exhibemus. Nascitur in calidis, fervidisque regionibus, locis uliginosis, aquosis, et humentibus.

CAPUT LXXXVIII.

De QUAUHCACAHOATL.

Arbor est magna, pulli coloris, foliis Limoniae Mali, majoribus tamen, et fructu Unedonis. Cortex adstringit, frigefacitque, non sine quodam calore, et amaritudine, et tamen *Temimiltcenses*, apud quos nascitur, ajunt succum ejus decem unciarum pondere alvum perquam aptè ciere. Nascitur in calidis, saxosisque locis.

CAPUT LXXXIX.

De TLALCACAHOATL, *seu Cacahoatl humili.*

Ita vocant Mexicenses herbam, cujus fructum *Haitini Manies* nuncupant, ob similitudinem, quam habet cum altera *Tlalcacahoatl*, sed praecipuè radicibus, quae tamen huic sunt strobilis, et figura, et nucleorum gustu similes; neque aliter saccharo condiri solent, venerem excitare, gustuque dulci, et jucundo placere, et, si intemperanter edantur, caput afficere dolore. Nascitur apud *Quauhnahuacenses*, etsi *Haitinae* insulae fuerit tantùm antea incola.

CAPUT XC.

De altera TLALCACAHOATL.

Herba est per terram repens, radicibus affixa orbicu-

laribus, aut oblongis, multisque quibusdam velut funiculis adalligatis: unde prodeunt caules, et in eis folia terna, orbicularia, et parva, flosculi in extremis ramulis parvi, coccinei, et modicis calyculis contenti. Frigida, et humida natura radix pollet, dulcis est, febremque exstinguit unius unciae mensura devorata, diarrhoeas infantum compescit, tussim sedat, et ulceribus in pulverem redacta opitulatur. Succus verò oculis inflammatione, aut perturbatione tentatis dicitur prodesse. Provenit temperatis regionibus. Sunt, qui *Yztacixpatli* vocent, seu *candidam oculorum medicinam*, quòd illis, velut diximus, succus sit utilis.

CAPUT XCI.

De TLALCACAHOATL *tertia.*

Radicibus priori paene similis est, sed oblongioribus, et in fulvum colorem tendentibus, subamaris, et calidioribus; quamobrem trium drachmarum mensura flatum pellit. Folia etiam amygdalina sunt, nec ternario, ut illa, numero disposita.

CAPUT XCII.

De TLALCACAHOATL *Hoitzilacensi.*

Radices fundit obrotundas, ponticarum nucum magnitudine, aut paulò majores, et candentes, appendentibus quibusdam surculis, caules spithamaeos, teretes ac tenues,

folia angusta, et longiuscula, flores parvulos in flagellis postremis. Radix est frigida, sicca, atque adstringens, propinaturque adversùs febres.

CAPUT XCIII.

De TLALCACAHOATL *Chimalhuacani Chalcensis.*

Herba est duos dodrantes longa, oblongis ornata foliis Ocymi, crassiusculis, nervosis, serratis, binis per intervalla, et asperis, caulibus teretibus, tenuibus, et nonnihil purpurascentibus, et circa summos caules floribus cyaneis, parvis, et in oblonga capitula, Sthoechadi similia, compositis, et radicibus orbicularibus, ponticis nucibus forma, et magnitudine haud dissimilibus (unde nomen) non sine aliis capillamentis hinc inde, tum ab ipsis radicibus, tum ab inferiori caulis parte prodeuntibus. Radices sunt frigidae atque humentes, devoranturque quaternae illarum adversùs febrium ardores: eaedem addita *Tepexonacatl* alvum sistunt. Nascitur in frigidis saxosisque locis juxta aquas.

CAPUT XCIV.

De YZTACTLALCACAHOATL.

Radici insistit simili Asphodelo, capillataeque, unde profertur unicus caulis, foliis amygdalinis stipatus. Diarrhoeas etiam hujus herbae coërcet radix, instauratque flu-

xum nimium passis vires, semunciae pondere devorata bis die ex aqua, aut *Cacahoatl.*

CAPUT XCV.

De CACAHOAXOCHITL *Mecatlanica.*

Arbor est femoris crassitudinem aequans, et altitudinem mediocrem. Florem fert, ac fructum, quae potioni adjiciuntur *Cacahoatl* refrigerandi corpus gratia; folia verò Mali Medicae. Fructus est rubeus, Oxyacanthae fructui similis, sed ossiculi expers. Sapor cucumeris. Frigida constat ordine secundo, aut ampliùs natura, humidaque. Nascitur *Mecatlani*, unde cognomen.

CAPUT XCVI.

De CACAHOAXOCHITL *secunda, seu flore Cacahoatl.*

Arbor est magna juxta calentium regionum fluenta libenter proveniens, foliis amplis, magnis, firmis, illisque Mali Medicae majoribus. Flores sunt similes *Nerantzii* vocatae floribus, oblongi, et candentes; quamvis, cùm marcescunt, in fulvum colorem vertantur. Suavissimi odoris ii sunt, et ad corollas, floridosque manipulos vehementer expetiti. Fructus est glandibus similis, capulo comprehensus, nucleum intra se continens candentem, frigidum, lubricum, febrientibus perquam accommodum, et quibuscumque con-

glutinatio, refrigeratioque est expediens. Est et alia hujus arboris minor species, minoribusque foliis, ac floribus, sed fructu longè majori, quam depingendam non curavi, ut quae eadem forma, praeter supradicta, constet, et viribus, vocata *Tlaolcacahoalxochitl*, seu *Cacahoaxochitl Maizii.* Hujus flos est admodum glutinosus, qua in re quoque conveniunt. Nascitur utraque differentia apud *Quauhnahuacenses.*

CAPUT XCVII.

De CACAHOAPATLI *secunda.*

Frutex est radicem fundens crassam, folia magna, aliquantulùm pinguia, flores longos, rubescentes ex luteo, et tenues; quibus decidentibus apparent acini racematim dependentes, virides, mox coccinei, et tandem purpurei, nigrique. Cortex radicis pepones resipit amaros. Spumam excitat *Cacahoatl*, quae est summa hujus potionis gratia, et eam frigidiorem reddit, unde nomen; neque quidquam amplius de ea narrari adhuc audivi. Nascitur apud *Hoaxtepecenses*, neque depingendam curavi.

CAPUT XCVIII.

De CHICHIMECAPATLI, *seu Chichimecae gentis medicina.*

Radici innititur herbula haec nuci juglandi forma et magnitudine simili, lacte mananti valde tenaci, et glutino-

so, intus candidae, extra nigrae: unde profert caulem tenuem, cubitalem, et in eo folia rara, longa, et tenuia. Radix virens, arensve (quamquam siccato sit lacte innocentior) atque ex liquore quoppiam convenienti devorata scriptuli unius, cùm sicca est, pondere humores omnes per superna, et inferna evacuat, sed majori ex parte per inferna. Calenti ordine quarto constat natura, viribusque vehementibus; quamobrem non cuivis temerè exhibenda est, sed eis tantùm, qui viribus valent, nec acuta vexantur aegritudine, aut his, quibus leviora alia remedia frustra tentata sunt. Flatum etiam dicitur discutere, et colicis doloribus opportunè auxiliari. Ex hujus radicis unciis quatuor, et drachma una *Cocoztic* parat *Chululensis* Medicus nobile illud ac tota nova Hispania celebre pharmacum, quo cunctis paene morbis obsistitur, tusis, permistisque addito saccharo, et ad solem, donec humor abeat, expositis; devorandum verò trium obolorum plùs, minùsve pondere; quod ita esse juridico patuit testimonio. Regionibus provenit temperatis, paulòve frigidioribus, qualis est Mexicana, ac *Tetzcocana*, asperis, et montosis locis. Sunt, qui *Tamancapatli* vocent, quoniam primo gustu radix dulcis, et temperata videatur. Eadem est radix, quam etiam *Hueichichimecatl* vocant, et ab hac amplitudine, et minori differens expurgatione, quorum causa est natalis locus, nem-

pè humens atque palistris: semunciae siquidem pondere bilim atram mediocriter experti sumus detrahere.

CAPUT XCIX.

De CHICHIMECAPATLI *altera.*

Nonnullas radices profert *altera* Chichimecapatli glandibus similes, stipites bicubitales, et teretes, folia Oleae, sed minora, flores magnos, longos, et purpureos, calycum forma. Radices sunt amarae, et tertio ordine cum pari siccitate calentes. Eaedem duarum drachmarum pondere tusae, atque epotae ex aqua flatum discutiunt, et colicis auxiliantur doloribus.

CAPUT C.

De CHAMOLXOCHITL, *seu Cacalaca.*

Arbor magna est, ac spinifera, foliis Sennae oblongioribus, floribus pallidis, ex pallidove rubescentibus, stellatis, ac quibusdam luteis capillamentis longis e parte media prodeuntibus, siliquisque mediocribus refertis nucleis. Tres reperi ejus species, florum praecipuè forma, aut colore distantes, qui lutei interdum sunt, interdum rubeì, qua forma diximus, aliquando etiam rubei, sed oblongorum vasculorum forma, ut licet ex iconibus deprehendere. Florum, qui pulcherrimi sunt, est apud Indos praecipuus usus. Et tamen

sicca natura, et adstringenti constat, neque omnino caloris aut amaritudinis experti, medeturque tumoribus praeter naturam. Siliquarum nuclei resoluti ex aqua, ac naribus instillati fluxum sanguinis earum coërcent. Quibusvis regionibus nascitur, locisque aquosis, et campestribus; floret Septembri mense. Nomen accepit a similitudine, quam habet cum pennis rubeis. Nascitur *Tzonpanci* alia arbos ejusdem generis, minimè tamen spinifera, *Xicoxochitl* vocata, frigidae naturae, atque glutinosae, quae corroborationis gratia et sedandae lassitudinis infundi plerumque solet. Provenit etiam *Tetelae*, ubi referunt folia trita et duarum drachmarum pondere devorata hepaticis mederi. Jus verò decocti eorumdem oris et gutturis sanare ulcera.

CAPUT CI.

De TLALCHÁMOLIN *coronaria.*

E radice raphano simili, tuberosa, pilosaque multos stipites fundit fulvos, folia serrata, Olivae paene figura, flores in summis caulibus, qui sesquidodrantales sunt, comantes, atque coccineos. Floris tantùm est usus, a quo inditum est cognomen. Aliam eodem nomine plantam vidimus apud *Ocoitucenses* foliis oblongis, surculosis radicibus, floribus rubris, et spicatis, et caule purpureo; cujus radix sicca est, et temperati caloris, utilisque adver-

sùs febres, etsi adstrictoria quoque vi polleat, et possit etiam ea facultate prodesse.

CAPUT CII.

De TLALCHÁMOLIN *Quauhnahuacensi.*

Frutex est forma Leguminis, radici innixus crassae, et surculosae; unde profert caules teretes, rectos, tenuesque, folia longiuscula, et angusta, flores coccineos, et parvos, parvasque siliquas. Pulvis radicum medetur ulceribus, quae radices calefacientium sunt virium, siccaeque, et subdulcis saporis. Jus verò decocti infusum scabiem curat. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus*, acclivibus montium locis.

CAPUT CIII.

De NOPALXOCHICUEZALTIC, *seu flore Tunae coccineae.*

Foliis constat, brachiisve a radicibus similibus fibris statim prodeuntibus, pinguibus, angustis, praelongis, undulatis, multis, ac velut in Tunis, quibus magnopere similia sunt, sibi mutuò connexis, atque in sex plùs minùs cubitorum assurgentibus altitudinem: e quorum sinubus per intervalla quaterni, quinive prodeunt pediculi spiniferi, foliolis rubris variati, teretes, minimum digitum crassi, Tunisque, cum primùm incipiunt adolescere, haud dissimiles, atque ex his flores Malvae ferè hortensis, foliosi, juxta me-

dium capillamento albo variati, et in rubeum obscurum inclinantes colorem. Habentur in deliciis, neque alius praeterea est, quàm florum, usus, quamvis frigida sit planta, salivosaque, et generibus Tunae magna ex parte similis.

CAPUT CIV.

De NOPALXOCHITL, *seu flore Tunae.*

Similis est praecedenti, et ad Tunarum quoque pertinens genus, sed caules profert: et ex his folia e viridi rubescentia, mollia, pinguia, et nullis spinis horrida, flores paulò minores, inclinantes in albidius, praedictis similes; neque diversa est natura, aut usus.

CAPUT CV.

De COZTICNOPALXOCHITL, *seu flore Tunae pallido.*

Similis est *Nopalxochitl*, atque adeo altera ejus species; flores tamen, foliaque sunt pallidiora. Nascitur in calidis *Yohalani*, ubi vocant eam *Tenopálli*, narrantque tussi, et asthmati mirum in modum prodesse folia tusa, atque epota semunciae pondere.

CAPUT CVI.

De NOCHTLI, *seu Tunarum genere.*

Etsi planta illa, quam *Haitini Tunam*, Mexicani *Nochtli*, et antiquiores, ut quidam decepti putant, *Opuntiam*, seu *Pallam arborem*, aut *Ficum Indicam* vocant, nostro Orbi non paucis abhinc annis innotuerit, caeperitque esse frequens, in maximamque sui ob monstrificam formam, et crassorum, spinisque horrentium foliorum portentosum nexum spectatores admirationem traxerit; tamen quoniam nullibi praeterquam apud Indos fructum perficiat, atque maturet concoquatque, nec possit de ea alibi certius fieri judicium, quàm ubi complet poma, et frequentissimè in mensas tum aegrotantium, tum bene valentium hominum venit, libuit omissa forma, toto paene jam Orbi notissima, varias ejus differentias enumerare, facultates percensere, palàmque facere, quae amet loca, qua caeli regione gaudeat, quo tempore serenda sit, et quo fructum maturet, proferatque flores. Sumuntur ergo Tunarum differentiae interdum a floribus, qui jam crocei, albique per extrema reperiuntur, jam extra luteo, intra verò ipsius pomi colore, velut in *Tlatocnochtli* est videre, jam extra lutei, intra verò ex albo in coccineum vergentes, et nonnunquam quoque lutei; sumuntur item a foliorum arboris-

que magnitudine, et forma; omnes enim in fruticis altitudinem tantùm attolluntur, si excipias *Zacanochtli*, et *Xoconochtli*, quae interdum quoque arborescunt: item a foliis; alia siquidem crassa sunt, alia tenuia, haec spinis stipata, illa raris brevibusque horrentia, quaedam rotunda, alia oblonga, et cùm nonnulla maxima sint, alia admodum parva reperiuntur; sed potissimùm ex fructu, unde et nomina: quas latiùs prosequemur. Septem ergo Tunarum species, quod adhuc noverim, in Mexicana provincia reperiuntur. Prima *Yztacnochtli* vocata, quòd albus fructus ejus sit, folia fert rotunda, parva, laevia, rarisve horrentia aculeis, florem luteum, fructum spiniferum, et candentem, ac in fruticis attollitur magnitudinem. Secunda, quae *Coznochtli* dicitur, quòd pallentem proferat fructum, foliis constat amplis, orbicularibus, multisque, et prolixis horrentibus aculeis, flore coccineo, per extrema pallescenti, et pomo luteo, ac raro. At *Tlatonochtli*, seu *Tuna ex albo in rufum colorem inclinans*, folia fert angusta, oblonga, impensè aculeata, et nonnihil purpurascentia, quod est huic tantùm generi peculiare, cùm ceteris omnibus viridia sint; fructum item valde spinosum; florem extra luteum, intra verò ipsius *Tunae* colore. Quartum genus, *Tlapalnochtli* dictum, id est *coccineum*, folia fert tenuia, angusta, et oblonga, sed breviora praecedentibus, ac minùs spinosa, florem ex albo

rufescentem, et parvum, pomum item non adeo spinosum, et coccineo, flammatoque colore praeditum. Quintum *Tzaponochtli* ob similitudinem, quam habet cum fructu a Mexicanis vocato *Tzapotl*, folia fert squallentia, ovi figurae, quibusdam horrida spinis, et flores in his luteos ex albo in coccineum colorem vergentes. *Zacanochtli* verò, seu *herbacea*, *sylvestris*ve *Tuna*, in arboris magnitudinem attollitur, multis alis concava est, foliisque constans rotundis, parvis, et spinosis, sylvestri fructu vix juglandem nucem magnitudine superante, sed spinis horridiore, et pallidis floribus. Est et *Xoconochtli*, similis forma *Zacanochtli*, sed tam foliis, quàm fructu acida, unde nomen. Frigidae sunt omnes ordine secundo, humentisque, si excipias grana, quae sicca, et adstringentia sunt, naturae. Sunt etiam frigida, et humida folia, salivosaque, quo fit, ut foliorum, pomorumque succus expressus ardentes febres magnopere exstinguat, sitim expleat, et arentia viscera humefaciat. Poma cum granulis loco cibi sumta alvum dicuntur sistere, praecipuè si calor fluxionis causa sit. Gratum praebent alimentum, refrigeransque, etsi flatuosum, ac velut ceteri horarii fructus obnoxium corruptioni, atque aestuantibus jucundissimum: quamobrem aestatis tempore commodiùs, avidiùsque manduntur, praecipuè ab his, in quibus bilis, aut calida distemperies redundat. Gummi fert renum, et urinae calorem tem-

perans. Succus, aut aqua stillatitia mirabilis est adversùs biliosas, et pestilentes febres, praesertim si cum succo *Pitahayae* fructus misceatur. Honorem dedit huic pomo praecellens vir Martinus Enricus, hujus novae Hispaniae praeclarissimus Prorex, qui ejus usu frequenti a multis morbis ad bilem, caloremque attinentibus, quibus vexari solebat, est paene liberatus. Auxiliantur radices ejus cum Geranii quadam specie, a nobis etiam in hisce Libris imagine expressa, enterocelis, erysipelatis medentur, ortum a febre calorem, aut alia quavis ex causa exstinguunt, et jocinori vehementer concalescenti remedio sunt. Folia eadem praestant, et decocta, parataque cum *Chilli* in frigidorum esculentorum veniunt usum. Ungunt Mexicenses carpentorum rotas nimio motu aestuantes foliorum succo, atque ita peruri, atque inflammari prohibent; radicem etiam ejus, quae nonnihil amara est, ajunt mirè ulceribus subvenire. Montanis, calidisque magna ex parte locis proveniunt, et quamquam in frigidis quoque nascuntur, in calidis tamen, aut temperatis saltem maturant fructus. Florent primo vere, et fructum aestate cum ceteris arboribus proferre solent. Quovis anni tempore, sed vere maximè, defossis utcumque foliis, aut pedibus conculcatis proveniunt, nullaque adhibita cura agunt radices, in justamque attolluntur magnitudinem. Ad *Tunarum* species pertinere videtur *Tetzihoactli*, quae cum na-

tura, tum et forma similis esset, nisi brachia, caulesve teretem formam, et striatam sortirentur, et aliae permultae, quae tamen distinctionis gratia propriis sunt capitibus referendae.

CAPUT CVII.

De HOITZOCUILTLAPILLI.

Hoitzocuiltlapilli, seu *cauda spinifera*, radicibus insistit fibris similibus, unde promit brachia, caulesve spiniferos, similes *Tetzihoactli*, de qua in praecedenti capite dictum est, sed rotundiores, et in eorum discursu ex albo rubescentes flores non sine quibusdam candidis capillamentis. Radix ejus infusa flatum discutit, ac dolores ortos ab eo, aut a frigida alia causa sedat, quarto ordine calefacit, atque exsiccat, et urentis est naturae.

CAPUT CVIII.

De TEUHNOCHTLI, *seu Tuna Dei.*

Cardui, *Tunae*ve species est, multis velut longis, et tenuibus peponibus sibi invicem cohaerentibus concinnata. Ajunt pulverem inspersum capillos findi non sinere, mederique capitis dolori praecipuè si cum corticibus *Ahoatetzmolin*, et luto, quo solent Indi capita perungere, misceatur.

CAPUT CIX.

De NETZÓLLIN, *seu planta geminum fructum ferente.*

Tunae quoque Netzóllin est similis, valde spinifera planta, fructu *Tunae* floreque, qui rubeus est, et eodem partium caulis connexu, radicibus verò multis, ac fibris similibus. Vescuntur ea Indi *Attolli* permista, aut coacto in placentas in annonae caritate.

CAPUT CX.

De TENOCHTLI, *seu Tuna lapidea.*

Tunae quoque genus est floribus, et fructu simile, sed contortis brachiis, longis, et angustis. Succus semunciae mensura devoratus lac generare dicitur, mederique recentibus, et vetustis plagis.

CAPUT CXI.

De TEPENEXCOMITL, *seu olla montana.*

Radicibus innititur surculosis, ex quibus moles profertur orbicularis, octangula, longis spinis incurvis, et stellatim dispositis horrida, et quae in mediocris cujusdam amphorae extendatur interdum amplitudinem: flos est magnus, et purpureus, fructus item purpureus, *Tunae* similis. Succus, qui impensè frigidus est, semunciae epotus mensura matu-

tino praecipuè tempore vehementem membrorum calorem sedat. Consuevere Indi ex hujus Erinacei spinis (ita enim libet eum modo vocare) corollas spiniferas contexere, quas addant cruci, aut Christi optimi maximi signo pendenti in ipsa cruce. Provenit saxosis montibus regionum temperatarum, qualis est *Tepoztlanica.* Fructum ejus vocant *Tencualacpatli*, qui prunorum oblongorum forma, et magnitudine constat, colore extra ex albo purpurascente, intra verò purpureo: frigida natura, et febrientibus grato nutrimento. Sunt qui plantam etiam ipsam *Hoeicomitl*, seu *ollam magnam* quoque vocent.

CAPUT CXII.

De TEPEPOA, *seu montem numerante planta.*

Planta est spinosa, *Tunae* quadamtenus similis, multos ramos producens sexangulos, spinis stellatis per intervalla refertos, sed prominenti circa medium aculeo uno ceteris longiore, ac prope earum exortus singulos fructus, colore, sapore, forma, et magnitudine similes moris. Quorum succus instillatus oculis curat lippitudines, et oculorum perturbationes, praecipuè si lacti humano permisceatur. Caret foliis, nasciturque montosis, ex saxosis locis.

CAPUT CXIII.

De METZÓLLIN, *seu planta capitulis multis insigni.*

Metzóllin, quam alii *Hoeicomitl*, seu *ollam magnam* ob similitudinem vocant, capitula multa acervatim congesta profert, spinifera, et floribus vasculis suprema parte stellatis similibus, raris, et coccineis conspicua, e radice fibrata, et napo simili. Cibis apta est. Succus, aut lac ejus sanguinem exspuentibus confert, inflammationibus medetur, et carnem oculorum supervacaneam absumit. Nascitur inter saxa, editis locis regionum temperatarum, qualis est *Mexicensis*, et *Metztitlanensis*.

CAPUT CXIV.

De TEOCOMITL, *seu olla Dei.*

Planta est spinifera, tria quatuorve capita producens, spinis scatentia, orbicularia, et capitis humani interdum magnitudine, sine ullis foliis: flores verò coccineos, et surculosas radices. Callus internus, qui purpureus est, lac effundit frigidum, atque glutinosum, et undique tegitur cuspidibus oblongis, densis, atque in spinas stellulas imitantes desinentibus. Esui aptus est, si cum seminibus Cucurbitae decoquatur, aut, quemadmodum fieri consuevit apud *Chichimecas*, efformetur in *Tamales*; neque alium accepi hujus

plantae usum. Sunt duo ejus genera, quorum alterum flores edit dilutiores, nisi hoc evenit diversitate soli. Nascitur saxosis in montibus.

CAPUT CXV.

De TOCAHUITZTLI, *seu araneo spinoso.*

Radicem fundit surculosam, atque e luteo rubescentem, fructum prunis virentibus similem, acervatim cohaerentem, spinis horridum pedum aranearum forma, unde sumsit nomen, quas interstat lanugo quaedam gossypio similis, et flores coccinei. Ulceribus medetur imposita lanugo, aut ipsa radix trita, quae saporis est insignis, atque odoris expers, frigidaeque temperiei. Nascitur in calidis et saxosis, asperisque locis, et Pineas orbiculatiores mirum in modum refert.

CAPUT CXVI.

De NOPALNOCHEZTLI, *seu Cocco Indico in Tunis quibusdam nascente.*

Reperiuntur apud Mexicanos in *Tunarum* quodam genere *Nopalnocheztli* vocato, hac sola ratione a pecorum, jumentorumque injuriis quibusdam in locis natura munitis asserto, vindicatoque, vermiculi rotundi, extra candidi, intra verò coccinei coloris, interdum sponte ipsius naturae, interdum hominum industria atque diligentia, semina supe-

rioris anni stato tempore *Tunis* admoventium, quae Indi *Nochezţli*, nostri verò *Cochinilla*, fortassis a cocco seu grano, cujus species sunt, appellare solent. Sunt, qui diversam rem hos esse vermiculos arbitrentur: verùm etsi non me clam sit coccum nostri Orbis non *Tunis*, quae nullae ferè ibi reperiuntur, sed Ilicis cujusdam, quam *Cusculium* recentiores vocant, foliis adhaerere, ideoque facultate pollere minimè adstrictoria, ejusque interna praestantiae, et honoris gratia vocari *Chermes*, seu *Chermesi*; exteriora verò, quae magis sunt vulgaria, adhuc graecam nuncupationem mordicus retinuisse; tamen cùm vermiculi utrique sint, et aequa tingendi lanas coccineo colore natura, atque conditio, et promiscuè sint pictoribus, tinctoribusque utiles; firmum habeo, ad coccineum genus, unde, velut diximus, fortassis Hispaniense nomen emanavit, non minùs ac hi, quos vocatae *Pampinulae*, Teucriive radicibus apud Peruinos innasci fama est, esse referendos. Ergo ex *Nochezţli* purpureus interdum, interdum verò coccineus pro varia parandi forma conflatur color. Fitque exquisitissimus, si teratur ex aqua decocti arboris *Tezhoatl*, de qua dicendum est suo in loco, addito alumine, atque sub sedimento efformato in placentulas. Adstringit ex aceto tritus admotusque in modum emplastri, vulneribus opitulatur, cor, caput, et ventriculum roborat, ac dentes egregiè extergit. Purpura-

rum sanguine usa est Antiquitas, quibusdam in venis gutturis earum contento, dum lanas tingendas curabat, et Tyrio honore decorabat vestes. Verùm jamdiu eo medicamine uti desiit Orbis, eadem repetiturus, cum libebit, pigmenta, neque unquam novis inventis satiandus, aut pedem aliquo in tempore fixurus.

CAPUT CXVII.

De CAHUAXEN.

Caules edit virides, longos quinque cubitos, ac digitum minimum crassos: radicem verò paulò crassiorem, candentem et prolixam, folia oblonga, Mali Medicae, minora tamen, et circa cuspidem obtusiora, florem parvum et palearem. Radix, cujus est praecipuus in Medicina usus, calefacit, exsiccatque ordine tertio, atque ita infusa ventris dolorem sedat, emundatisque intestinis, et morbi causa vacuata pellit aegritudinem. Succus ulceribus dicitur mederi. Nascitur in montosis *Pazcuari* provinciae Mechoacanensis.

CAPUT CXVIII.

De CANIAMOXACUA.

Simillima est sylvestri Angelicae nostrati radice, foliis, ac semine, eademve flore initio luteo, mox illum Foeniculi imitante, et cavis caulibus. Odora herba est, et acri

gustu. Jus decocti ejus febribus ajunt auxiliari, et dolorem capitis tollere, accessionum fortasse ablatis rigoribus, et humoribus alicunde vacuatis. Nascitur Mechoacani, et ad Elaphoboscum Dioscoridis videtur referenda.

CAPUT CXIX.

De PIPITZATLI, *seu Hoeitzitziquilitl.*

Eadem paene forma, et facultate constat Pipitzatli, et ad Smyrnii Creticae refertur species. Odora enim est, et nonnihil acris, caules rubri, et cavi, radix Angelicae, flores in muscarium compositi, umbellamve, folia verò serrata, oblonga, et altera parte, ubi prodeunt a pediculo, velut corrosa, et abscissa. Discutit jus decocti ejus praeter naturam tumores. Calida enim est tertio ferè ordine, foetorem oris exterminat, evocat urinam, flatum absumit, cor, et ventriculum roborat, sedat dolorem, et febribus, quemadmodum et praecedens, vacuata causa mederi solet. Nascitur in frigidis locis, et lacustribus, velut *Huexocinci.*

CAPUT CXX.

De majori CUERUNENDAX.

Radicibus insistit surculosis, unde profert caules fulvos: et in eis folia Urticae, sed majora, spicatosque et rubeos flores. Odora est, et Ocymum quadamtenus olens.

Jus decocti tepidum dysenterias compescit. Nascitur *Pazcuari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXXI.

De CUERUNENDAX *minori.*

Radice firmatur hirsuta, surculosa, fibrata, e qua caules mittuntur tres cubitos longi, folia Persici virore saturato tincta, ac Salviam, si confricentur, olentia, et in summis caulibus erinacei quidam virentes, et orbiculares. Trita radix, atque infusa dolores ventris mitigat, epota verò pectoris opitulatur morbis. Nascitur in montibus frigidis *Pazcuari.*

CAPUT CXXII.

De CAPTZARUQUA.

Radici fibratae insistit, unde fundit caules lignosos, duos cubitos plùs minùs prolixos, teretesque: et in eis folia oblonga, et serrata, flores quoque oblongos, luteos, et virentes, ex quibus vasa quaedam profert exigua, glandium forma, referta semine nigro, et sinapino simili. Amara est, et ordine tertio calefaciens, atque exsiccans. Radix epota semunciae pondere est utilis pannis. Nascitur montosis, ac frigidis locis provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXXIII.

De CAPITZARUQUA.

Species videtur praecedentis, eademve, et soli tantùm ratione differens; radix enim eodem modo fibrata est, folia oblonga, et serrata, sed majora, flores quoque oblongi, pallidi, et nonnihil purpurascentes. E jure decocti ejus cum melle nigro *Metl* fervefacto, donec coaguletur, fit unguentum scabiei utilissimum. Provenit *Pazcuari* montanis in locis.

CAPUT CXXIV.

De CAPSARUQUA

Arbuscula est surculosae innixa radici, foliis oblongis, circinatis, Limonis ferè forma, sed angustioribus, et obtusioribus, floribus oblongis, fissis circa margines, promiscuè virentibus, ac luteis. Pulvis radicum inspersus medetur ulceribus cancerosis: jus verò decocti totius plantae eisdem confert, necnon lavandis corporis partibus tumentibus, aedematisve aut pituita obsessis. Provenit *Chocandrani*, et *Tarequati* frigidis locis provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT CXXV.

De CUENDERI

Multas Cuenderi fundit radices similes surculis, tenues,

candidas, et intrinsecùs pallescentes, e quibus prodeunt caules virides, tenues, ac duos dodrantes prolixi, foliis angustis, et longis ornati, Olivae ferè, sed hirsutis, ac squallidis. Calida est et sicca ordine tertio, sapore amaro, et acri. Radix in farinam redacta, et devorata semunciae pondere medetur tussi ortae a frigidis, et crassis humoribus. Provenit autem *Pazcuari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXXVI.

De CURÚHCUME.

Radices agit similes fibris, unde profert caules tenues, teretesque: et in eis folia serrata, Origani ferè forma, florem luteum, comantem, et *Tyauhtlino* similem. Pars superior caulis trita, ac mista resinae medetur ulceribus. Sunt, qui Caríhcume vocent. Nascitur *Pazcuari.*

CAPUT CXXVII.

De QUARANHUECA *prima, seu medicina fractorum ossium.*

Radicem agit Raphani, fibratam, longam, et pallescentem ex candido, et inde caules volubiles, folia longa, et angusta, Rumici haud dissimilia. Frigida est, et glutinosa natura. Medetur in tumorem elevatis membris casûs aut ictûs gratiâ: dolores sedat, fracto pectori succurrit, alvi-

que fluxum cohibet. Nascitur in frigidis *Pazcuari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXXVIII.

De QUARANHUECA *secunda.*

Quaranhueca *secunda*, seu *herba luxatorum ossium*, Volubilis quoque est radici fibratae innixa, candidaeque; unde prodeunt folia Hederae. Radix principio dulcis est, ac demum amaritudinem quamdam ostendit. Luxatis, fractisque ossibus dicitur opitulari, unde evenit ei nomen. Nascitur in calidis, humidisque locis provinciae *Mechoacanensis* inter eas arbores, quas vulgus Hispanorum *Platanos* vocare consuevit.

CAPUT CXXIX.

De ZOTOLLIN, *seu planta Palmae simili.*

Nascitur apud *Mecatlanenses Aloes* genus quoddam tenerrimum, et quod adeo lubricum sit, et salivosum, ut in humorem facile liquescat, et convertatur. Admovetur erysipelatis, plagisque felicissimo eventu. Vescuntur flore, ac fructu indigenae. Hanc eamdem, aut congenerem puto, quam sub *Aloes Yacapichtlensis* nomine descripsimus in superioribus, quoniam in eo oppido fuerit rursus a nobis reperta.

CAPUT CXXX.

De COHACIHUIZPATLI, *seu medicina doloris.*

Radicem fundit Cohacihuizpatli minimum digitum craſſam, fibratamque, folia Buglossi, statim ab ipsa radice exorientia, caules foliis paulò altiores, tres, quatuorve, laeves, tenues, teretes, ac rubeos, flores in summis eorum partibus e viridi rubescentes. Insigni sapore caret, et tamen nonnullum calorem participat. Ajunt illius decocti jus mirabile esse adversùs gallicam luem. Mensura foliorum esto manipuli tres, et aquae totidem librae. Decoquenda autem sunt ad tertias, et sorbendae singulis diebus decem unciae matutino, velut jus decocti Guajaci assumi solet. Quin etiam interdiu potandum est, atque ita quosvis dolores, ac praecipuè articulorum placat. Nascitur in calidis regionibus *Papaloticpaci* inter saxa, praeruptis, cavisque locis. Adeo autem est mirabile sanandis doloribus medicamentum, ut inde invenerit nomen.

CAPUT CXXXI.

De CHAPOLXOCHITL, *seu flore cicadae.*

Chapolxochitl, quam alii *Mincapatli*, seu *sagittam*, alii *Pinipiniche*, alii *Tenapalitl*, seu *Sedum*, alii verò *Comalpatli*, seu *medicinam Comalis* vocant, Frutex est, qui e

radice surculosa, crassaque multos fundit caules, virore exsaturato tinctos, ramos lentos, et inconditos, molli refertos medulla, folia obrotunda, pinguiaque, et foliis Sedi non plurimùm dissimilia, flores in summis caulibus ex albo rubescentes, cicadis similes, unde nomen. Cortex lacte manat, quo placentulae subactae, donec cohaereat farina, et duarum drachmarum devoratae pondere, bilim praecipuè vacuant supra infraque non sine intestinorum dolore, et ita hydropi egregiè medentur, urinam evocant, et splenem impositae minuunt. Caules, et folia ipsa frigidae sunt et siccae temperiei, illitaque tumores praeter naturam repellunt, semen retentum vacuant, febrem exstinguunt, medentur ulceribus, et devorata auxiliantur casui, addita praecipuè *Chicomacatl*; lac verò acidum est, ac praedicta constans temperie, sed impensè glutinosum. Saxosis nascitur locis temperatis, ac calidis, qualis est *Mexicus*, *Tepecuacuilcus*, *Ytzocanum*, et *Mechoacanum.*

CAPÚT CXXXII.

De QUACHTLACALHOAZTLI.

Radicem fundit Quachtlacalhoaztli fulvam, Napi forma, a qua prodeunt caules lignosi, et multi, pleni ulmeis foliis, minoribus tamen, et asperioribus, flores Chamaemeli, toti lutei, et quatuor concinnati foliis. Jus decocti ejus

fluxum retinet. Calida est, et sicca ordine secundo; incoquenda verò radix unciae unius pondere viginti unciis aquae.

CAPUT CXXXIII.

De QUACHTLACALHOAZTLI *altera.*

QUACHTLACALHOAZTLI *altera*, quam *Ocopetlayucenses Zazalic* vocant, herba est hominis aequans altitudinem, radice Raphani, foliis serratis, et alterutra parte sinuosis, in triaque acumina desinentibus, fructu vasculorum oblongorum forma, et floribus e pallido rubescentibus. Folia calida siccaque, et amara sunt; radix verò glutinosa, et ulceribus e gallica lue profectis medentur. Colicis, et iliacis confert, cerebri defluxionibus opitulatur, et pestilentibus febribus est remedio. Sunt, qui dicant infusam aut epotam vacuare corpus, atque ita sistere diarrhoeas, et colicae mederi.

CAPUT CXXXIV.

De QUACHTLACALHOAZTLI *tertia.*

Volubilis est genus foliis longis, et angustis, obtusis, et ternis, fructuque circa postremas viticulas ramorum vermiculorum forma. Sapore, et odore insigni caret, frigidaque, et humenti temperie praedita est. Carnem oculis superexcrescentem absumit, et eorumdem medetur inflammationi: primum fortassis sedato defluxu, et exstincto nimio

calore, et natura ipsa hujusmodi praesidiis supervacaneam carnem absumente, atque corrigente. Provenit autem apud *Quauhtepecenses.*

CAPUT CXXXV.

De CEOALCHICHILTIC, *seu Vite sylvestri, Labruscave indigena.*

Proveniunt apud Novam Hispaniam Labruscae, Vitesve sylvestres multis in locis, nec tamen ad nostra usque tempora ab hac gente excultae, aut seorsim, ac serie aliqua plantatae. Usum enim bacchi non noverant, etsi aliis vini generibus libentissimè non modò explerentur, sed inebriarentur; neque parcant hodie nostrati, sed avidissimè hauriant. Fructus est crassiusculus, purpureusque, duriore callo, immitis, gratus tamen, ac dulcis, et qui, ut conjecto, cultura mitesceret: cetera nostris Vitibus similes. Frigida siccaque natura folia, ac palmites, et adstringenti constant. Appetentiam excitant, impetigines curant, tumores repellunt, calorem nimium exstinguunt, oculorum inflammationem arcent, febres placant, ulcerum leniunt dolorem, et saniem exsiccant. Sunt, qui *Xocomecatl* vocent, seu *acidum funem*, tum ob saporis genus, tum etiam ob palmites sese vicinis arboribus convolventes.

CAPUT CXXXVI.

De CHIPAHOACYZTIC, *seu pura, et adversa frigori medicina.*

Radices mittit dactylis similes, sed crassiores, extra e fulvo colore inclinantes in nigrum, intra verò candentes. Sapor earum acerrimus est, uruntque quidquid attingunt.

CAPUT CXXXVII.

De CUETLAXOCHITL.

Arbor est mediocris, folia magna ferens tricuspidia, et alterutra parte sinuosa, flores rubros praegrandes, ceteris arborum foliis, si colorem demas, persimiles. Folia augent nutricum lac, etiam senescentium, sive ipsa pro olere cruda coctave edantur, seu lac, quo affluunt, libeat lambendum exhibere. Nascitur quibusque regionibus, sive frigidae sint, sive fervidae, hortosque, et compluvia Indorum laeta, ac visu grata exornat.

CAPUT CXXXVIII.

De altera CUETLAXOCHITL.

Cuetlaxochitl *altera*, seu *coriaceus flos*, Arbor est magna, calidarum regionum alumna, foliis Pyri longioribus, multis insignibus interveniis, stipitibus, foliorumque pediculis nonnihil purpurascentibus, luteisque floribus. Fo-

lia tusa, ac mammis imposita tumores praeter naturam discutiunt, et lac evocant.

CAPUT CXXXIX.

De HOEIPOCHOTLI.

Arbor est magna, foliis Mali Medicae, altera parte virore tinctis exsaturato, altera verò dilutiore, summis in ramis septenis, floribus magnis, et purpureis, pulcherrimisque, et racematim dependentibus. Pulchra arbos est, umbraeque, vastitatis, et florum gratia a multis expetita, et a Regibus Mexicanis in suos hortos, ac praecipuè *Hoaxtepecenses* magna cura translata. Fructus est similis *Ahuacatl*, sed minimè edulis. Nascitur in calidis, atque adeo in ipsa *Haitina* insula, ubi *Ceibam* vocant. Cum ros caelestis abundat, solet super hoc arborum genere in mannam vocatam ab Arabibus cogi, sed paulò nostrate duriorem, et impensè glutinosam.

CAPUT CXL.

De CAMPOZACTLI *Tacapichtlensi, seu medicina tumorum.*

Arbor est mediocris, folia ferens oblonga, nervis secundùm longitudinem discurrentibus, supernè virentia, et albicantia infernè, flores candidos, racematim dependentes in vasculis oblongis pilorum forma, qui tandem abeunt in

pappos. Ajunt tumoribus praeter naturam mederi eisdem impositam, unde nomen. Frigida enim est, et glutinosa natura non sine quodam calore, colloque tumenti majori ex parte solet adhiberi.

CAPUT CXLI.

De CAMPOZAHUAC *Quauquechullae, seu tumorum medicina.*

Herba est foliis *Tetzalpatli*, luteisque floribus, et calycibus oblongis contentis, ac abeuntibus in pappos. Frigida, et sicca temperie constat, aut moderatè calenti, tumoresque praeter naturam repellit, unde nomen. Nascitur in calidis regionibus.

CAPUT CXLII.

De POZTECPATLI, *seu fracturarum medicina.*

Poztecpatli, quam alii *Tetzapatli*, alii *Campozaquahuitl* vocant, Arbuscula est ficulneis stipitibus, ac teneris, vitigineis foliis, ac luteis floribus, compositis in muscarium, parvis, stellatis, et contentis vasculis oblongis. Radix amara est, odoraque, necnon calida, siccaque ordine tertio, et glutinosa natura. Permista *Axin*, de qua alibi, dolores mitigat; per se verò abortum prohibet, fracta restituit ossa, luxataque in propriam sedem reducit. Jus decocti infusum dysenterias curat, necnon dolores capitis, et oculorum in-

flammationes. Sunt qui dicant adjecto *Texioquahuitl*, si crura laventur, phreneticis mederi. Fert eadem arbos semina melopeponis seminibus haud dissimilia, quae ferunt purgata, tusaque, et ex aqua trium drachmarum pondere devorata, supra infraque corpus vacuare.

CAPUT CXLIII.

De CHIAUHTLACOTL.

Herba est ad Pentaphylli differentias spectans, frigefaciens, atque adstringens, foliis tamen valde hirsutis, et rubescentibus, ut ceterae, radicibus. Virus gustata spirat haud injucundum, et febribus auxiliatur. Provenit in locis campestribus *Temuaci*.

CAPUT CXLIV.

De ZOLTOMATL, *seu coturnicis Tomatl.*

Frutex est foliis Olivae, minoribus tamen, et subalbescentibus, flore *Tlachichinoae*, sed minori, et fuscis caulibus. Medetur ulceribus antiquis.

CAPUT CXLV.

De CHIANMEMETA.

Radices fundit longas, et tenues, exiles caules, parvosque, folia haud majora semine *Chian*, unde nomen, at-

que exiles flores. Lacte manat, et ad species Chamaesyces, Pepliosve videtur pertinere. Radices unciae unius pondere tritae cum duobus Indicis siliquastris mediocribus vacuant hydropem patientes, suspiriososque; sed constantibus viribus opus est, ut possit vis hujus medicamenti innoxiè sustineri. Quamvis autem lactis ratione iis constent viribus; eo tamen privatae videntur spectare ad temperiem, et nullam excedentem participare qualitatem. Nascitur in calidis, et humidis locis.

CAPUT CXLVI.

De CHICHIOALMEMETA, *seu planta lacte manante.*

Herba est octo spithamas longa, teretibus caulibus, purpureisque, foliis paene Castaneae, serratis, et asperis, floribus oblongis vasculis similibus, rubris, sed circa extrema in luteum elanguescentibus, radicibus longis, teneris, fulvis, et geniculatis. Vacuat cortex ejus febre quartana, aut tertiana laborantes adeo felici successu, ut aegrotus statim ab evacuatione reddatur interdum incolumis. Assumendus autem duarum drachmarum pondere ex aqua resolutus. Sunt, qui misceant commendandi saporis gratia quatuor grana *Cacahoatl*, totidemve ponticas nuces, aut amygdalas, atque ita propinent die quietis, matutino tempore, vitato somno, ut et cùm cetera assumuntur pharmaca, fieri

consuevit. Nascitur locis saxosis juxta montes frigidarum regionum. Lacte manat, unde nomen, et magnae utilitatis fertur esse medicamentum, seu planta sui generis sit, seu ad Tithymalorum genera pertineat.

CAPUT CXLVII.

De MEMEYA *Ocopetlayucensi.*

Vidi *Ocopetlayucae* aliud Memeyae, Pepliosve genus quatuor dodrantes prolixum, radicibus innixum similibus fibris: et ex iis caules fundens laeves, cavos, rotundos, ac virore saturato tinctos: folia saligna, sed longiora, flores in postremis caulibus luteos, ac racematim dependentes. Lacte manat haec calido ordine quarto, et tamen exsucca radix frigida constat natura; quamobrem tumoribus praeter naturam solet adhiberi.

CAPUT CXLVIII.

De MEMEYA *Quauhnahuacensi.*

Radici insistit longae, et fibratae, unde profert caulem laevem, teretem, purpurascentem, ac per intervalla geniculatum, et in eo folia multiplicis ac variae figurae, et maculis quibusdam interstincta; flores in summa parte Tithymali, cujus apparet species, parvos, coacervatos, et candentes. Caulis duarum drachmarum pondere devoratus

dicitur pituitam per inferna perquamcommodè vacuare; quod evenire putandum est lactis ratione, velut urenti praediti natura (herba enim ipsa expers est odoris, et saporis) curantis carcinomata, noxia animalia interimentis, ampullas excitantis, et oscula, ubi opus est, aperientis; quarum rerum gratia vasculis vitreis illitis antimonio, argenteisve toto anno servari solet.

CAPUT CXLIX.

De YXPAPACHCA, seu herba oculis tenebras offundente.

Caules fundit Yxpapachca teretes, alicubi purpurascentes, et triangulares, folia oblonga, angulosa, et parva, et nonnihil purpurea, flores modicos, longiusculos, et purpureos, ex quibus granula generantur trigona, ubi continetur semen. Frigida herbula est, sicca, atque adstringens, et tamen lac illius ulceribus medetur, rumpitque tumores. Refertur in vocatas *Memeyas*, seu *herbas lacte manantes*, nam lacte quoque manat. Nascitur apud *Yztlanenses*, et *Quauhnahuacenses*, ubi eam curavimus depingendam.

CAPUT CL.

De variis MEMEYARUM Indicarum differenti.

Consuevere Mexicani vocare *Memeyas* herbas ferè omnes lacte manantes; inter has Tithymalos, *Tlememeyas* vocatas

ab eadem gente, sileo, quoniam de eorum differentiis atque facultatibus quantum sat fuit, tradidit Dioscorides; si tamen admonuero, quam *Cucultzin* indigenae vocant, Graeci verò Helioscopium, in usu esse frequentissimo ad gallicam luem exterminandam. Ceterae, quae ad Peplios, et Chamaesyces spectant species, multorum sunt generum: quaedam enim foliis constant Portulacae parvis, ac per terram repentibus, aliae subrectae sunt, cetera similes, aliae praedictis assimilantur, sed serratis constant foliis, atque ex his ipsis aliae serpunt, aliae verò assurgunt in ramulos. Sunt etiam, quae foliis ornentur angulosis, aliae rubros caules edunt, aliae rubra quoque folia, nec desunt his etiam persimiles, verùm foliis magis orbiculatis: invenias alias, quae folia fundunt partim coccinea, et partim virentia visendo naturae spectaculo, et alias, quae varia amplaque; sunt et quae siliquas ferant, et flores *Xiloxochitl.* Calidae et siccae sunt omnes ferè naturae, etsi lacteo succo expresso nullum caloris sensum videantur praebere, immo frigidas esse, et febribus utiles contendant Medici Mexicani. Pituitam expurgant, interpellatas febres finiunt, oculis superexcrescentem carnem absumunt, dentium dolorem sedant, recentibusque, et vetustis medentur plagis, dehiscentem pellem conglutinant, membris corroborandis infusae conferunt, dysenterias coërcent, scabiemque curant et tubercula; lac discutit argema-

ta. Ubique naſcuntur, ſed in locis fertilibus in majorem aſſurgunt altitudinem, ac fiunt laetiores.

CAPUT CLI.

De ZACAYYAUHTLI, *ſeu Yyauhtli herboſa.*

Multas fundit radices Zacayyauhtli ſimiles ſurculis, et ex his caules purpureos, floreſque, et folia *Yyauhtlinis* haud diſſimilia; ſed folia ſunt magis acuminata, ternaque, flores verò purpuraſcentes, et piloſi. Odor eſt ſuavis, ac ſimilis *Yyauhtlino.* Calida eſt ordine tertio, amara, odoraque, et nonnihil glutinoſa. Valere inquiunt adversùs puerorum diarrhoeas et febres, vacuata fortaſſis alicunde cauſa, aut pulſis rigoribus, etſi ſciam Indorum Medicorum animis altiùs inſediſſe, calorem calore profligari; quod fortaſſis omnino vanum non eſt, et cui nihil ſubſit veri. Naſcitur in locis montium acclivibus calidarum regionum, qualis eſt *Tlatenchi.*

CAPUT CLII.

De YYAUHTLI, *ſeu nubiloſa herba.*

Herba, quam ob flores comantes, qui nubila imitari quadamtenus ſolent, aut quia nubes oculorum diſcutit, *Yyauhtli* appellant, caules edit cubitales e tenuibus radicibus aſſurgentes, folia ſaligna, ſerrata, flores luteos, in umbellam compoſitos, odore, et ſapore citra diſtinctionem ul-

en parte, en ciento mod
caules: los tallos.
folia saligna, como la
del sauz: serrata, dentad
ó como sierra: umbellam
quitasol

lam Anisi, qualem folia quoque, et ceterae ejus plantae partes referunt; quo fit, ut Anisi speciem quampiam esse existimare aliquis possit. Calidae est, ac siccae quarto ferè ordine temperiei, gustu acri, et subamaro, ac subtilium partium. Urinam elicit, menstrua evocat, abortum gravidis procurat, emortuosque partus trahit quaevis ejus plantae particula, quocumque modo illam corpori libeat admovere pectori, tussique confert, flatum discutit, sistit alvum nimis fluidam, oris halitum commendat, lac generat, venenis adversatur, venerem stimulat, dolorem capitis levat, amentibus fert opem, et a fulmine perterritis, atque stupefactis, fluxum sanguinis compescit, sitim hydropicorum exstinguit, frigora febrium suffitu, illituve arcet, et viperino adipi mistam, epotamque ajunt ruptas venas resarcire; vaporem verò juris decocti ejus naribus immodico humore perfusis ferre opem, et tritam, inspersamque malè habentibus auribus. Tumores praeter naturam tusa, atque admota dissipat, ventriculum calefacit, satietati, ac praecipuè puerorum medetur. Renum, ac vesicae lapillos, arenas, ac crassiorem pituitam ibidem infarctam extergit, humores extenuat, admota cum melle ventriculo vomitum coërcet, pus gignit, ulcera sanat, utero confert, cimices fugat, arcet hemicraneas, ac mille alia hujusmodi praestat commoda. Praecipua utilitas est, aquam, ubi aliquamdiu

maduerit, novem diebus matutino sumtam lichenas, et impetigines mirè sanare. Vocant eam *Mechoacanenses*, apud quos etiam provenit, *Tzitziqui*. Temperata amat loca, quales sunt Mexicenses agri, et calidiora quoque exornat; quamquam in montibus soleat interdum provenire. Floret imbrium tempore, id est a Majo usque in Septembrem: quod tempus Veri nostrati respondet. Colligitur semen Novembri, folia, caulesve Februario, sed Decembri radix. In Orbem nostrum delata Carpetano, quantum conjectando assequi valeo, gauderet solo, hortosque Philippicos laeta exornaret.

los empeines y salpullidos

CAPUT CLIII.

De AHOYAC Yyauhtli, seu Yyauhtli odora.

Praecedenti similis omnino esset, nisi radices paulò conspicerentur crassiores, ac capillatae, flores dilutiores, atque odor suavior, unde nomen, similisque ei, quem poma maciana, quae apud Hispanos ab anetho nomen habent, effundunt, nerveos verò foliorum discursus rectos. Vis etiam eadem propè est, et natale solum.

CAPUT CLIV.

De YYAUHTLI montana.

YYAUHTLI *montana*, seu *Tepeyyauhtli*, quam alii *Yyauhtli* citra cognomen ullum nuncupant, multis radicibus fibra-

rum in modum innititur, e quibus fundit ramos, altos tres cubitos, folia *Tyauhtli* similia, saligna, sed tamen minimè serrata, ac longiora, flores coccineos, et calyculorum forma oblongos. Gustu acris est, et odorata, ac facultate tertio ordine excalfaciente, tenuiumque partium. Succus dicitur mederi oculorum morbis, aut illitus eis, aut admotus capiti, urinam ac menses evocare, et quidquid in viis urinariis, renibus, et vesica praeter naturam continetur. Absumit flatum, ventriculum, visceraque omnia ob frigus languescentia confirmat, colorem vitiatum emendat, alvumque cohibet. Calidarum, ac frigidarum regionum alumna est, convalliumque, ac montium incola, et Septembri mense floret. Bibitur pulvis ejus ex potione *Cacahoatl* adversùs tussim, et pectoris frigiditatem. Suffiuntur aulae ex ea herba in ignem conjecta contra gravem earum odorem, et potissimum a morbidorum hominum halitu injucundo profectum; medetur satietati, alvi torminibus, ac ventriculo frigida affecto intemperie.

CAPUT CLV.

De TLALLI *Tyauhtli, seu Tyauhtli terrestri.*

Radices fundit capillorum in modum, albasque, et ex his virgas tenues, ac rotundas, ex quibus folia prodeunt circa terram purpurea, superiùs verò viridia, ac similia

Tyauhtlinis; a quibus mutuatum est nomen: flores cyaneos, oblongos in vasculis, semine nigro refertos, ac supremas caulis partes hinc inde occupantes. Frigida, et humenti natura constat, subtilibusque partibus, et sapore ferè nullo. Radix trium drachmarum mensura devorata urinam evocat, et ardentem refrigerat; folia verò gingivis admota exstinguunt earum immoderatum calorem.

CAPUT CLVI.

De TEYYAUHTLI, *seu Tyauhtli saxorum.*

Haud dissimilis est Teyyauhtli foliis ac floribus *Tyauhtli*, de quo paulò ante sumus locuti: verùm longiora sunt *Teyyauhtli* folia, minimè serrata, salignis tamen similia, angustiora, glutinosaque. Tusa mistaque *Ecapatli*, Lauri nempe speciei, de qua suo loco est a nobis dicendum, et ei Palmae, quam Mexicani vocant *Yczotl*, vomitum compescit, et ventriculum corroborat.

CAPUT CLVII.

De TEYYAUHTLI *Ocoitucensi.*

Arbuscula est foliis Amygdali, paulò tamen majoribus, serratisque, candidis floribus, modicis, ac racematim dependentibus. Amara sunt folia, calida, siccaque, et aliquantisper adstringentia. Tumoribus praeter naturam im-

ponitur. Nascitur in montium fragminibus, et locis aquosis.

CAPUT CLVIII.

De TEYYAUHTLI *tertia.*

Radici insistit crassiusculae, et fibratae, brevique, unde profert caules purpureos: et in eis folia ocymina, parva, et serrata, flores coccineos, vasculis oblongis contentos, comantesque. Herba est glutinosa, et apiana redolens mala.

CAPUT CLIX.

De TEYYAUHTLI *quarta, quam alii Tzanaicxitl vocant.*

Herbula est radici insistens capillatae, unde profert caules breves, teretes, ac purpureos: et in eorum ramulis foliola Lenticulae, brevia, et angusta, in ordinem utrinque digesta, adversaque in se. Trichomanes videtur et forma, et natura constare, eisdemque nascitur locis.

CAPUT CLX.

De YYAUHTZIN, *seu Yyauhtli parva.*

Radice firmatur crassa, et brevi, cum quibusdam appendicibus, extra nigra, intus alba, ex qua multi prodeunt caules referti Oxyacanthae foliis, interdum rubris, et in suprema parte prolixis, floribus longo piperi simi-

libus. Frigida est, sicca, et adstringens, valetque semunciae mensura devorata adversùs dysenterias.

CAPUT CLXI.

De TLACOYYAUHTLI, *seu Yyauhtli effundente caules virgarum forma.*

Radici innititur crassae, brevi, nigrae, et surculosae, unde profert caules crassos, teretes, ac virore tinctos exsaturato: et in eis folia Amygdali, sed breviora, ac flores e pallido rubescentes, oblongos, ac vasculorum figura. Gravi odore constat, ac natura frigida, aut parùm calenti, et adversùs febrilem calorem illinitur. Sunt, qui *Ecapatli*, necnon qui *Tlacacehoaztli* vocent.

CAPUT CLXII.

De QUAUHYYAUHTLIPATLAHOAC *frutice.*

Frutex est Quauhyyauhtlipatlahoac ab una radice surculosa multos mittens stipites, pollice crassiores, folia serrata, sexdecim uncias longa, et lata integram spithamam, acuminata, ac ferè cordis figura; caules striatos, teretes, virore exsaturato tinctos, cavos, geniculatos, et longos, ac flores, ut referunt, candentes. Acria sunt folia, et quarto ferè ordine calida. Jus decoctorum frigus pellit, et quae ab eo proficisci solent, incommoda. Provenit *Hoaxtepeci* juxta aquas.

CAPUT CLXIII.

De *QUAUHYYAUHTLI herba.*

Herba est similis *Yyauhtli*, serratis foliis, candentibus floribus, ac in pappos abeuntibus, sapore aliquantisper amaro, odoroque. Calida est, et sicca natura ordine, ut apparet, secundo. Frigora accessionum arcet illita corpori. Nascitur montosis, et humilibus locis *Quauhnahuacensibus*, et in *Xoxotlensi* etiam agro.

CAPUT CLXIV.

De *QUAUHYYAUHTLI arbore.*

Arbor est magna, foliis Leguminis, sed longè majoribus, floribus magnis ex albo rubescentibus, et siliquis octo uncias longis, partim coccineis, et partim ex viridi pallescentibus. Cortex est frigidus, ac glutinosus, devoraturque adversùs febrium aestum. Jus decocti ejus medetur scabiei. Seritur haec arbos juxta *Cacahoatl*, ut solem arceat, offundatque umbras. Folia videntur Lotûm urbanam quadamtenus olere. Nascitur in calidis *Hoitzoci*, editis, ac montosis locis, necnon juxta flumina. Est et alia arbos eodem nomine, quam vidimus *Chiauhtlae* purpureis constantem foliis, serratisque, et querneis haud dissimilibus, longioribus tamen; amarae, calidaeque naturae, et crassarum partium.

CAPUT CLXV.

De CECECPATLI *Tepexicensi, seu frigida medicina.*

Herba est radice firmata longa, ac minimum digitum crassa, unde profert caules tenues: et in eis folia Persici, latiora, et breviora, ac flores pallentes. Cortex radicis paulisper est dulcis, ac moderati caloris. Bibitur laevigatus ex aqua duarum drachmarum pondere adversùs febres, praecipuè ab infantibus. Nascitur in collibus regionum temperatarum, qualis est *Tepexicensis Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXVI.

De COAPATLI, *seu medicina serpentis Tepexicensi.*

Frutex est folia ferens Limonis Mali, oblonga, infernè subalbida, et hirsuta, supernè verò colore tincta exsaturato, stipites teretes, squallidos, et lignosos e radice surculosa, quae nullum insignem saporem gustata ostenderet, nisi quaedam subesset amaritudo. Frigidus est, aut caloris moderati. Radix dolorem capitis dicitur curare tusa, atque illita, eodemque modo ictibus serpentum mederi, et purgare alvum unciae unius infusa mensura. Nascitur in temperatis *Tepexicensibus Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXVII.

De COLOPATLI *Tepexicenſi.*

Arbor eſt ſpinifera, foliis rutaceis, ac floribus, ut referunt, luteis. Radix eſt acris, et urentis paene naturae. Eadem laevigata devoratur trium drachmarum pondere adversùs ictus ſcorpionum, unde nomen accepit, ac ventris dolorem. Naſcitur *Tepexici Miſtecae* inferioris.

CAPUT CLXVIII.

De ZAZALICPATLI *Tepexicenſi.*

Vidimus apud *Tepexicenſes* aliam ZAZALICPATLI, ſeu Lithoſpermi ſpeciem, quam ea gens *Ytzitzin* vocat, ſequenti per omnia forma, et facultate ſimilem, atque ideo, aut eamdem, ſed loci tantùm natura differentem, aut congenerem, ſed foliis minoribus, quod ſilendum minimè duxi.

CAPUT CLXIX.

De COYOTENTZON, *ſeu barba Coyotl.*

Herba eſt folia proferens parva, ſtipantia caulem, longiuſcula, et anguſta, et ſiliquas teretes productas in longum, fulvo ſemine, orbiculari, complanato, et piloſo refertas. Frigida eſt, aut temperati caloris. Illita corpori febrem ſedat. Naſcitur in calidis, et ſaxoſis locis *Miſtecae* inferioris.

CAPUT CLXX.

De CACALOTLTHUAX, *seu corvinis siliquis.*

Herba est constans foliis oblongis, cuspidis obtusae, infernè subalbidis, supernè verò aurei coloris, ac Loto urbanae similibus, binis tamen, et majoribus, luteis floribus, et fructu Casiae fistulari vocatae persimili. Teruntur folia pariter cum illis *Nanahuaxochitl*, ex aqua resolvuntur, illinunturque hydropi, aut cuivis alteri tumori; adstringit verò non sine quadam acrimonia, et calore ordinis ferè tertii. Nascitur apud *Mistecam* inferiorem.

CAPUT CLXXI.

De CUMPATLE, *seu ollae medicina.*

Frutex est folia Origani ferens, sed infernè subalbescentia, et hirsuta, supernè verò nigra, radicem pollicem crassam, longam, et coccineam. Frigida, et lubrica natura constat. Curat febrem, et affectibus cordis auxiliatur drachmae unius pondere ex aqua devorata, pectorique illita. Nascitur juxta fluvios *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXII.

De CHACHATACA, *seu herba fusa.*

Radicibus insistit longis, tenuibus, et coccineis, unde

profert caules molli refertos medulla, rotundosque: et in eis folia Sennae vocatae, semen minutum, et racematim dependens, ac candentes flores. Radix est frigida, sicca, adstringensque, et diarrhoeis, praecipuè puerorum aptè medetur tusa, atque resoluta ex aqua. Nascitur in planis *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXIII.

De altera CECECPATLI *Mistecae inferioris.*

Radice firmatur longa, tenui, et surculosa, unde proferuntur cauliculi tenues, teretesque: et in eis folia trifida, longa, et tenuia, et in duos profundos sinus hiantia, floresque, ut ajunt, lutei, et parvi. Frigida constat natura, et contra febrem unciae unius exhibetur pondere potanda. Nascitur in collibus *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXIV.

De CIMAPATLI *Acatlanensi priori, seu radicis medicina.*

Radici insistit glandi, cui surculus appendeat, simili, unde profert caules exiles: et in eis folia parva, terna, et in duas divisa cuspides, flores, ut referunt, coccineos, et modicos. Opitulatur dysentericis semunciae epota pondere; frigida enim constat, et glutinosa natura. Nascitur in temperatis *Mistecae* inferioris juxta montium cacumina.

CAPUT CLXXV.

De COCOCPATLI *Acatlanensi.*

Radicem fundit pollicarem, et fibratam, unde prodeunt caules tenues: et in eis folia angusta, longiuscula, et exilia, floresque lutei, qui demum in pappos abeunt. Radix est acris, calidaque, et sicca ordine tertio temperie. Argemata oculorum dicitur discutere radix redacta in farinam, atque resoluta ex aqua. Nascitur in calidis, editis, ac campestribus locis *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXVI.

De COZTICPATLI *Acatlanensi.*

Radices fundit surculosas, obrotunda folia, et luteos flores, parvosque. Dulcis est, et nonnihil calens. Succus medetur oculis, dissipatque leucomata. Nascitur in calidis jugis *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXVII.

De ZAZALICPATLI *Acatlanensi.*

Radicibus insistit longis, ac tenuibus, unde mittuntur caules tenues, teretesque, et per terram serpentes, ac in eis serrata folia, Urticae aemula, et flores, ut ajunt, lutei. Lubrica est, et caloris moderati. Diarrhoeis puerorum

subvenit radix redacta in pulverem, et ex aqua resoluta drachmae unius pondere, ac praeter naturam tumoribus; aliorum verò majori mensura devorata. Nascitur in calidis, planisque locis *Mistecae* inferioris, necnon *Teloloapae*, ubi folia videtur proferre minora.

CAPUT CLXXVIII.

De CECECPATLI *Acatlanensi.*

Radices agit longas, et tenues, unde profert caules exiles, folia tricuspidia, parvaque, flores magnos, ut ajunt, et cyaneos. Dulcis est radix, moderatè calida, et facultatis adstrictoriae. Eadem cum foliis trita, atque ex aqua devorata semunciae pondere medetur febribus, sistitque diarrhoeas, et eadem praestat illita. Provenit temperatis locis, et campestribus *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXIX.

De CIMAPATLI *Acatlanensi altera.*

Radicem mittit longam, ac minimum digitum crassam, fibratamque, unde oriuntur caules tenues, teretesque: et in eis folia cinerei coloris, Stoechadi similia, ac coccinei, ut ferunt, flores. Radix est initio dulcis, ac Glycyrrhizae similis; deinde verò amara, calidaque, et exsiccans ordine secundo. Exanthematis dicitur mederi, dolorem ventris e

frigore ortum sedat, ac fluxum coërcet uncia una radicis ex aqua devorata. Nascitur in collibus temperatarum regionum, ac praecipuè juxta *Mistecam* inferiorem.

CAPUT CLXXX.

De COLOPATLI *Acatlanensi.*

Arbor est spinifera, foliis Menthae, obrotundis, hirsutis, et mediocribus, altera parte subnigris, altera verò argenteis, stipitibus nigrescentibus, et lanugine obductis. Acris est et amara, calidaque, et sicca ordine quarto. Ventris dolorem sedat radix trium drachmarum pondere ex aqua devorata, flatum discutit, colicis medetur, obstructiones reserat, et urinam elicit, praestatque alia ad hunc modum auxilia, quae hujusmodi temperiei propria sunt, et peculiaria. Nascitur in collibus temperatarum regionum, ac praecipuè *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXXI.

De CECECPATLI *Acatlanensi altera.*

Radicibus insistit longis, ac tenuibus, unde edit caules: et in eis folia multa, similia rutaceis, sed tamen minora. Radix est dulcis, adstringens, et moderatè calida, et tamen referunt ventris tineas interficere, mederi dysenteriae, scabiei, pustulis, et vulneribus ictericis, vacuare bi-

lim, et pituitam, ac dolorem ventris sedare unciae unius pondere epotatam. Nascitur in calidis campestribusque locis, et praecipuè *Mistecae* inferioris. Sunt qui vocent *Charapehuari*; sunt qui *Xoxocpatli*; nec desunt qui *Qhuerambeni.*

CAPUT CLXXXII.

De CECECPATLI *Acatlanensi tertia.*

Haec est herba illa, quam sub nomine *Texcalpachtli* alibi describimus. Referunt *Acatlanenses* pectori conferre, etsi frigida, et adstringenti natura sentiatur; nam lubricam quamdam substantiam videtur quoque participare.

CAPUT CLXXXIII.

De COZPATLI *Acatlanensi, seu pallida medicina.*

Radix est longa, et tenuis, extra nigra, intra verò rubens, caules parvuli, et foliola *Mizquitl.* Radix adstringit haud sine quodam calore; medetur eadem ulceribus, et pannis. Differt facultate ab ea, quam *Yztacpatli*, aut *Tlanoquilonipatli* vocant, etsi forma videatur similis. Nascitur in collibus regionum temperatarum *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXXIV.

De COAPATLI *Acatlanensi*, *seu serpentum medicina.*

Radicem fundit *Batatae* similem, caules modicos: et in eis folia Lini, longa, tenuiaque, et flores coccineos. Medetur ictibus serpentum imposita, unde nomen. Radix succo manat, frigidaque, humenti, et lubrica constat natura. Nascitur in editis, planisque locis regionum calidarum *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXXV.

De COZAMALOXIHUITL, *seu herba Iridis.*

Herbula est radici tenui, et longiusculae innixa, unde profert caules: et in eis folia rutacea, stipantia utrinque caulem ordine quodam, floresque albos et candentes forma *Hoaxim.* Frigida est, sicca, et adstringens. Extergit dentes, gingivas carne explet, ac putredinem omnem dissipat; qua in re praestanda mirabile est medicamentum, si tusa ipsa, commansave, aut ejus succus applicetur: ulceribus etiam pudendorum succurrit, aliaque non pauca praestat auxilia praedictae temperiei peculiaria. Nascitur in calidis, temperatisque collibus *Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXXVI.

De COZTICPATLI *Acatlanensi altera.*

Herbula est Adianto similis, radicibus innixa fibris similibus, ac intra luteis, unde prodeunt caules tenues: et in eis folia paene Adianti, flores verò pilosi, parvi, exilesque. Radix est dulcis, et amaritudinis cujusdam particeps, subtiliumque partium. Jus decocti radicum epotum urinam evocat, et renum calorem, et dolorem mitigat, fluxum verò alvi puerorum cohibent radices epotae ex aqua semunciae mensura, et succus opitulatur oculis. Nascitur juxta flumina, et loca humentia calidarum regionum, ac praecipuè *Mistecae* inferioris. Videtur verò ad species *Cocoztic* pertinere.

CAPUT CLXXXVII.

De CECECPATLI *Acatlanensi quarta.*

Radici insistit longae, tuberosaeque, unde prodeunt caules tenues, teretes, et per terram sparsi: et in iis folia Origani, terna, et minimè serrata, ac flores modici, et purpurei. Radix est aliquantisper dulcis, et moderati caloris. Oculis medetur succus ejus tentatis inflammatione, capitis tollit dolorem, et intertrigines curat. Nascitur in temperatis *Mistecae* inferioris regionibus juxta fluminum ripas.

CAPUT CLXXXVIII.

De COCOZXUCHIPATLI, *seu medicina lutei floris.*

Radices fundit Paeoniae similes, Buglossi folia, et flores Buphthalmi luteos, unde nomen. Radix est calida tertio ordine, glutinosaque. Dysenteriis medetur unciae unius mensura devorata, vomitum sistit, sanguinemque undecunque defluentem. Nascitur editis, planisque locis regionum temperatarum, quale est *Acatlanum Mistecae* inferioris.

CAPUT CLXXXIX.

De CAMOPATLI, *seu Batatae medicina.*

Radices fert multas, Asphodelo, aut *Batatis* similes, unde nomen, et inde caules mittit tenues: et in eis folia frumentacea, longa, et tenuia, flores luteos, parvos, et vascula referta semine. Acris est radix, ac paene quarto ordine calefaciens, et subtilium partium. Lumbricos pellit, ac ventris dolorem sedat semunciae pondere semel, aut bis singulis diebus epota. Provenit in *Misteca* inferiori.

CAPUT CXC.

De CECECPATLI *Atoyaquensi prima.*

Herba est radici innixa capillatae, unde oriuntur caules tenues, teretes, et fragiles: et in eis folia Urticae, aut

Chamaedryos serrata. Radix est dulcis, moderati caloris, Glycyrrhizae similis, et suberneo cortice vestita. Exhibetur jus decocti radicum pituitosa excrementa cum lotio reddentibus, aut aqua, in qua radices contusae aliquandiu sint maceratae. Nascitur in collibus temperatis, aut frigidis *Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCI.

De CACAOAPATLI.

Arbor est folia ferens obrotunda, venosa, bina, et ordine ramos stipantia, floreque, ut referunt, nullo. Cortex tritus, et epotus sex obolorum pondere curat dysenterias. Nascitur *Atoyaque Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCII.

De COLOPATLI *Atoyaquensi.*

Radix est crassa, Mali Medicae folia, ac flos nullus. Radix est acris, nonnihil amara, calidaeque et siccae ordine ferè quarto temperiei; atque ita drachmae unius mensura devorata flatum discutit, ac dolorem ventris tollit. Provenit in montibus, jugisque calidarum regionum *Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCIII.

De COZPATLI *Atoyaquensi.*

Radicibus insistit surculosis, candidisque, sed luteo cortice vestitis, unde oriuntur caules lignosi: et in eis folia Rorismarini coronariae, ac flos albus, et modicus. Sapore insigni caret, frigidaque, et sicca temperie constat. Radix tosta, in laevorem redacta, atque ex aqua resoluta, devorataque semunciae pondere, exhibetur sanguinem cum urina reddentibus, ac pituitosa excrementa. Nascitur in collibus calidis *Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCIV.

De CECECPATLI *Atoyaquensi secunda.*

Radicibus firmatur longis, et tenuibus, unde eduntur Peucedani folia, ac in summis caulibus pallentes flores, acervatique. Radix est insipida, aut nonnihil dulcis, frigida, humidaque, aut caloris moderati, cum quadam lubricitate. Eadem trita, epotaque duarum drachmarum pondere bis die, doloribus universi corporis medetur. Nascitur in collibus, montibusque regionum calidarum *Mistecae* inferioris, magnamque cum Panace Asclepio habet similitudinem.

CAPUT CXCV.

De COMALPATLI *Atoyaquensi.*

Radix est crassa, et aliquantisper fulva, caules longi, et hirsuti, folia Sennae, ordine ex utraque caulis parte disposita, flores purpurei, et fructus phaseolorum modo. Radix est amara, sicca, et adstringens. Eadem in laevorem redacta, ac semunciae pondere ex aqua bibita, lienis medetur affectibus. Nascitur montosis, ac campestribus locis regionum temperatarum *Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCVI.

De ZACALICPATLI *Atoyaquensi.*

Radice firmatur longa, et tenui, unde oriuntur caules dodrantales: et in eis folia pennis avium similia. Nonnihil sentitur dulcis, et moderatè calefacit, lubricaque est, unde nomen. Morbis oculorum subvenit, et carnem supervacaneam reprimit succus ex gossypio instillatus. Nascitur in collibus, et convallibus temperatis *Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCVII.

De COZTICPATLI *Atoyaquensi.*

Radicem fundit parvam, et tenuem, *Batatae* modicae forma, tres, aut quatuor cauliculos, pediculosve, quorum

singulis appendet folium Ocymi quoddam, exiguum, orbiculare, paulisper serratum, et florem candentem. Radix sentitur dulcis, ac moderati paene caloris, etsi nonnullam amaritudinem praeseferat. Radices, foliaque tusa atque ex aqua devorata febribus medentur, illita idem praestant. Nascitur temperatis montibus *Mistecae* inferioris.

CAPUT CXCVIII.

De CIHUAPATLI *Tepuzculullae.*

Radici insistit Napo simili, et e viridi candescenti, unde oriuntur caules tenues, quatuor dodrantes longi, ornati foliis mucronibus hastarum similibus, et qua parte maximè amplificantur, quatuor latis uncias, ac flores candentes. Saporis est expers, frigidaque, et humida natura, ac nonnihil glutinosa. Jus decocti foliorum abortum cohibet. Nascitur in calidis *Tepuzculullae Mistecae* superioris.

CAPUT CXCIX.

De COZAHUIZXOCHIPATLI, *seu medicina floris lutei.*

Radicem profert longam, et tenuem, et ex ea caules quatuor dodrantes longos, ornatos foliis serratis, oblongis, subalbidis, et hirsutis infernè, supernè verò non adeo, similes *Yxtomio*, ac flores luteos, unde nomen. Ostendit radix nonnihil amaritudinis, et secundi ordinis calorem cum

quadam dulcedine. Dolorem ventris puerorum, ortum e frigore, curat; neque aliud narratur de ea herba praesidium, quamobrem depingendam non curavi. Provenit in frigidis *Tepuzculullae* juxta flumina *Mistecae* superioris.

CAPUT CC.

De CHICHILTICPATLI *Yanguitlanensi.*

Radici innititur molli, succo plenae, transversim sitae, et magnae; unde proferuntur caules teretes, longi, fusci, cavi: et in eis folia Origani, minimè serrata, et flores coccinei, unde nomen. Frigida humidaque, et glutinosa natura radix constat, necnon et linguam, atque os, dum gustatur, lancinante, quemadmodum facere solent quae *Quequexquic* dicuntur ab Indis; quo fit, ut inflammationes repellat admota. Nascitur in collibus, vallibusque regionum frigidarum *Mistecae* superioris.

DE HISTORIA PLANTARUM

NOVAE HISPANIAE,

LIBER SEPTIMUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De COHIXIN, seu Lacerta.

Radice firmatur Cohixin surculo fibrato simili, unde nomen; e qua funduntur caules exiles, geniculatique per intervalla, et triangulares: folia Ocymi, terna, majora tamen, et minimè serrata, ac flores, ut referunt, nulli. Radices sunt dulces, frigidae temperiei, aut caloris temperati. Tumores praeter naturam repellunt tusae, et admotae, praeter alia remedia, quae ex ea temperie vir non omnino amethodus assumere potest. Nascitur in calidis *Thualani.*

CAPUT II.

De CEYCXI, *seu pede unico.*

Radices fundit similes capillis, et candentes, folia oblonga, exilem et purpureum florem, et caules dodrantales. Frigidae, et adstringentis est naturae; quo fit, ut folia tusa, atque applicata medeantur praeter naturam tumoribus. Provenit *Tepecuacuilci.*

CAPUT III.

De TOTOYCXITL, *seu pede Passeris.*

Totoycxitl vocata herba, quòd producat folia passerinis pedibus similia, sinuosa nempe, et in quinque, aut plures cuspides more Quinquefolii, aut Heptaphylli divisa, radicem fundit ovis gallinarum Pyrove forma, et magnitudine similem, lacte affluentem, ex qua caulem profert teretem, lentum, repentem humi, et in eo qualia diximus, folia, florem Malvae purpureum, sed minorem. Radix, quae calidarum est virium, et grato sapore constat, tusa, atque ex aqua unciae unius pondere devorata universos inferna parte humores citra noxam, aut ullam molestiam purgat. Temperato, frigidove gaudet caelo, Augustoque, aut Septembri mense floret. Sunt, qui vocent eamdem herbam *Caxtlatlapan*, quoniam more ceterarum herbarum hu-

jus nominis sese vicinis ramis advolvat, quales sunt *Atotonilcenses.*

CAPUT IV.

De CUIXTAPAZOLLIN, *seu nido Lacertarum.*

Radix est longa, digiti crassitudine, fibrataque, purpurei caules, tenues, et intercepti geniculis, folia Mori, terna, flores rubei, et parvi, semenque simile phaseolis. Radix Glycyrrhizam sapore imitatur, attinetque ad temperiem, aut moderatum calorem cum humiditate, et lenitione. Jus decocti radicum, aut ipsae radices devoratae conferunt his, quibus venter tumet, aut aqua inter cutem molesta est, qua libeat mensura. Illinitur eadem affecto loco quotidie, donec aegrotus restituatur sanitati. Provenit apud agros *Tlachmalacacenses.*

CAPUT V.

De HOITZITZILTAPAZOLLIN, *seu nido Hoitzitzillin.*

Herba est Origano, aut Pulegio similis, sed floribus ex cyaneo in album colorem tendentibus, coacervatis in capitula Stoechadi similia. Calefacit ordine secundo, et salivosam quamdam participat naturam. Cachecticis drachmarum trium pondere devorata medetur. Scabiem, lichenas, praeter naturam tumores, ceterasque cutaneas infectiones extergit, exsiccatque, et agro provenit *Chiauhtlensi*, atque *Tetellensi*, ubi *Chiampatli* vocant.

CAPUT VI.

De CUPITIN.

Herbula est foliis constans oblongis, obtusae cuspidis, et serratis, floribus spiniferis, parvis, et Dypsaco forma similibus, purpurascentibusque, radicibus fibrarum in modum. Coriandrum indistincta sapit similitudine. Calida, et sicca constat natura, et subtilibus partibus. Folia tusa, et bibita ex vino, sudore evocato, curant febres.

CAPUT VII.

De CHALALACTLI.

Arbor est Chalalactli folia fundens oblonga, quinaque, sed medium omnium maximum, aspera, hirsuta, et infernè subalbida, serrataque. Cortex, qui frigidus est, atque exsiccans, tumores praeter naturam tusus, atque admotus repellit. Nascitur in calidis, quale est oppidum *Tlachmalacacense*.

CAPUT VIII.

De CURAQUA.

Quam Curaquam vocant Mechoacanenses, et Mexicani *Quamochitl*, et *Hoitzquahuitl*, et Hispani *Brasilium* solent nuncupare, Frutex est spinosus, surculosis candidisque

insistens radicibus, unde profert stipites extra fulvescentes, ac intra rubeos, contortos, refertosque foliis cordis paene figura, sed mucrone appendentibus, frequentibus interveniis insignibus e dorso obliquo procedentibus in latera. Sapor est adstringens, frigidaque, et sicca temperies. Tingunt ejus ligno fila coccineo colore; est enim persimile arbori, quam vocant Santalon. Jus decocti ejus profert fulvum, ac deinde rubescit: quod si ampliùs decoquatur, cogitur in purpureum pigmentum, aut si misceatur alumen, in rubeum, et decentiùs cinnabari. Refrigerat haec arbos, febrem exstinguit, adstringit, et roborat. Nascitur in frigidis *Mechoacanensibus*, campestribus, ac montosis locis, ubi offenduntur aliae illius species, quarum altera *Pinguica*, altera verò *Uxaqua* nuncupatur.

CAPUT IX.

De CUNGURICUA.

Volubilis genus est ramos fundens lentos, et aliqua ex parte purpureos, teretes, laeves, ac tenues, radicem crassam, candentem, longam, et capillatam, folia longa, et angusta, multis nerveis discursibus insignia, flores purpureos, ac siliquas teretes, tenues, dodrantemque et quatuor uncias longas, refertas semine albo et orbiculari, quod tusum, atque epotum ex aqua, dicitur odium excitare eo-

rum, quae priùs summè erant chara. Radix insigni caret sapore, etsi in dulcedinem nonnullam inclinet, necnon et siliquae, semenque. Frigidus videtur natura, aut attinens ad temperiem. Provenit apud editiora loca calidaque Mechoacanensis regionis, ubi ajunt mederi cancerosis pudendorum ulceribus.

CAPUT X.

De altera CUNGURICUA.

Herba est fibratae insistens radici, crassaeque, unde multos profert caules: et in eis folia Limonis, et siliquas longas, et teretes. Ajunt indigenae siliquas ingestas conjugum amorem conciliare, et firmum efficere; neque aliud de hac planta, quod meminerim, accepi. Nascitur in frigidis provinciae Mechoacanensis locis.

CAPUT XI.

De QUARANQUEQUA.

Volubilis est genus scandens arbores vicinas, foliis exilibus, radice insipida, et impensè glutinosa. Luxatis articulis opitulatur, et fracta resarcit ossa. Radix est candens, folia tamen, stipites, et flores virescunt. Nascitur in calidis, humidis, et aquosis locis Mechoacanensibus inter eas arbores, quas quidam *Platanos*, alii verò *Musas* vocant.

CAPUT XII.

De TUXTEN.

Radices fundit hic Frutex pollicaris craſsitudinis, capillataſque, caules contortos, fuſcos, ſex longos dodrantes, refertos foliis rutaceis majoribus, et flores purpuraſcentes; cujus tuſa folia, atque ex aqua devorata, aut per ſe ingeſta opitulantur tuſsi. Odor, ſaporque eſt Thymi, calidaque, et ſicca ordine tertio natura. Naſcitur in temperatis *Tacambari.*

CAPUT XIII.

De altera TUXTEN.

Arbuſcula eſt radice fibrata conſtans, foliis Ocymi, odoratis, ac purpureis floribus. Tuſa folia, atque devorata tuſsientibus, ac difficilè ſpirantibus ferunt opem. Naſcitur in temperatis *Tacambari.* Eſt autem herba illa, quam Mexicenſes *Copalxihuitl* vocant, aut illi ſaltem congener. Sunt, qui in Majoranae ſpecies referant.

CAPUT XIV.

De CUINIQUICUMANCHUQUA, *ſeu umbra Muſtelae.*

Herba eſt quatuor dodrantes longa, radicem fundens fibratam, ac intus palleſcentem, unde profert caules tenues, teretes, et purpureos, folia paene Chamaedryos, ſerrata. Ra-

dices sunt ferè saporis expertes. Succus foliorum instillatus oculis opitulari solet: frigida enim, humidaque natura constat.

CAPUT XV.

De CUERAPOCIRANGUA *siliquata.*

Folia fert virentia, similia amygdalinis, siliquas longas, ac teretes, refertas semine, radices tenues, et fibratas. Saporis est, et odoris paene expers. Radices, ac folia tusa, et imposita medentur morsibus venenatis. Nascitur in frigidis *Tacambari.*

CAPUT XVI.

De CUERAPOCIRANGUA *per terram repente.*

Radicibus insistit Helleboro albo similibus, sed crassioribus, longioribus, et extrinsecùs nigris, intra verò candentibus, ex quibus mittit teretes, et virides caules, folia parva, et obrotunda, fructum vasculorum Ciceris forma, quae postea dividuntur secundùm longitudinem in vascula quina, longiuscula, referta nigro semine, cordis figura, quod gustatum dulce sentitur, atque odoris foetidi. Folia per terram repunt, unde cognomen. Radix tertio ordine calefacit, et exsiccat, acris est, et odora. Ventris dolorem tollit, stomachique, et ceterorum membrorum internorum, flatum discutit, colicis auxiliatur, et hujusmodi permulta alia ad-

fert juvamenta, aut epota, aut e vino infusa. Nascitur in calidis *Tacambari.*

CAPUT XVII.

De CUERAPOCIRANGUA *tertia.*

Frutex est foliis constans virore tinctis diluto, asperis, serratis, raris, atque oblongis, caulibus teretibus, laevibus, et per intervalla geniculatis cinereisque floribus circa summos caules orbicularibus, quique in pappos tandem abeant, crassaque, brevi, et fibrata radice, quae amara est, et acris, calefaciensque, et exsiccans ordine tertio. Eadem semunciae devorata pondere dolores alvi, et ventriculi sedat, flatum discutit, lentosque, ac crassos infringit humores. Nascitur *Tacambari* caelo clementi, et benigno.

CAPUT XVIII.

De CHARIRACUA, *seu sonali Anguis.*

Herba est caules sortita sex spithamas longos e radice fibrata: et in eis Salviae folia, sed latiora, scabra, serrata, et subalbida. Radix est odora, paulisper amara, calidaeque ordine secundo temperiei, et glutinosa. Tusa haec, et ex aqua epota semunciae pondere opitulatur asthmaticis, et ceteris aegritudinibus pectoris laborantibus, necnon infusa dysentericis. Est et alia planta eodem nomine, et

paene figura, praeterea etiam et tertia *Cahriuaca* nuncupata, floribus e rubro pallescentibus insignis, quae similiter adversùs dysenterias magnificè conferunt; verùm quoniam aut soli tantùm, et loci natalis ratione differunt, aut saltem congeneres sunt, ejusdemque speciei, simul de eis semelque dictum esse volo. Nascuntur omnes in temperatis regionibus provinciae *Mechoacanensis*.

CAPUT XIX.

De CHICHICTLAPALEZQUAHUITL.

Arbuscula est stipite humerum crasso, foliis Limonis, fructu modico, capitibus Papaveris simili; sed nullum usum medicum praestat; quamobrem non curavimus delineandam. Nascitur in calidis *Mecatlanicis*.

CAPUT XX.

De CHALLA, *seu herba sonante.*

Arbor magna est, et comata, calidarum regionum *Mecatlani* alumna, editis humilibusque promiscuè gaudens locis, folia proferens Mali Medicae, sed cuspidis obtusioris, siliquas verò quatuor latas digitos, ac sesquidodrantem longas, canali circa medium ducta cothurnorum suturae haud absimili, fabas quindecim continentes obliquè dispositas, ac siliquarum aequantes latitudinem, membrana opertas hirsu-

ta, candida, ac bombycina fila imitante, aut amygdalarum adhuc virentium lanuginem. Nuclei sunt virides, ac fabis vulgaribus pares. Coquitur fructus hic, atque in mensas venit, licèt saporis, odorisque ferè expers sit, et nonnullam dulcedinem praeseferat, quae ad temperiem, vel ad nonnullam videatur attinere frigiditatem.

CAPUT XXI.

De COACIHOIZPATLI, *seu medicina doloris.*

Volubilis est nascens in sylvis *Mecatlanensibus* juxta arbores alias, foliaque Mali Medicae ferens. Pulvis stipitum in aquam conjectus, ac bibitus efficax est adversùs quosvis dolores, etiam a gallica lue ortos. Matutino verò bibendus tempore, jejuno ventriculo, vespereque septem dierum, aut plurium, si opus sit, spatio ipse pulvis, aut aqua, in qua aliquandiu maduerit, victu tenui per ea tempora aegris praescripto. Calida autem constat natura, et amaro sapore.

CAPUT XXII.

De CONEPATLI, *seu infantum medicina.*

Herbula est floribus cyaneis, caulibus teretibus, hirsutis, et tenuibus, foliis Ocymi, hirsutis quoque, et minoribus. Propinatur infantibus satietatem passis, unde nomen, atque etiam eorum nutricibus. Nascitur editis, atque hu-

milibus locis temperatarum regionum *Quauhtutulani.* Acris est, calidaque, et sicca ordine secundo natura.

CAPUT XXIII.

De CHIPINTLI, *seu planta aqua conspersa.*

Herba est Chipintli tres quatuorve ferens cauliculos, teretes, laeves, ac, tenues, folia Mali Persicae, minutim serrata, radicem crassam, et candentem, flores longiusculos, et e luteo colore rubescentes. Folia trita, atque potata viperinis ictibus, aliorumque animalium venenatorum succurrunt. Saporem ostendunt initio dulcem, sed postea amarum. Calida est ordine ferè tertio. Nascitur in calidis *Quauhtullani*, editis, atque humilibus locis.

CAPUT XXIV.

De CHICONPATLI, *seu septem medicinis.*

Herbula est arboribus innascens *Mactlactlanensium* sylvarum, foliis, caulibusque obductis lanugine, crassis, ac Conyzae similibus, floribusque modicis, ac parvis. Saporis ferè est, atque odoris expers, frigidaque, et humenti natura. Succus illitus corpori exstinguit febres.

CAPUT XXV.

De COZCAXIHUITL, *seu herba pallenti.*

Herbula est caulibus exilibus, teretibus, et lenta medulla refertis, foliis Ocymi, serratis, floribus parvorum erinaceorum in modum. Saporis ferè est, et odoris expers, frigidaque, et glutinosa natura. Folia tusa, et admota tumores praeter naturam repellunt, placantque febres. Nascitur in calidis *Mactlactlanensibus*.

CAPUT XXVI.

De CUILLOXIHUITL.

Frutex est Limonis foliis, sed majoribus, et magis acuminatis, amarisque. Jus decocti eorum epotatum flatum discutit, ac alvum leniter solvit. Nascitur *Quauhchinanci* juxta fauces montium.

CAPUT XXVII.

De CUILLOXOCHITL.

Radicibus insistit fibratis, unde profert caules duas spithamas longos, refertos foliis parvis, longiusculis, et angustis, flores toto caulis discursu purpureos, et longos. Dulcis est, et aliquantisper calefacienti, et lubrica natura. Admovetur tamen commodè inflammationibus. Nascitur in frigidis *Amaquemecae*.

CAPUT XXVIII.

De CUILLOXOCHITL *altera.*

Herba est sex spithamas longa, foliis Origani, serratis, capillata radice, comantibus, et oblongis floribus, candentibusque, et qui in pappos abeant. Calidae est, et glutinosae naturae. Propinatur adversùs febres ex aqua epotanda, aut quia humiditate insita illis adversatur, aut quia vacuata per sudores causa exstinguit, veluti detracto fomite, febrilem calorem; nisi magis arrideat, quòd minùs calidum est intensius calidum exstinguere, atque mitigare. Nascitur *Amaquemacae.*

CAPUT XXIX.

De COAMECAPATLI, *seu medicina funis colubri.*

Herba est per terram repens, caulesque proferens volubiles, teretesque, folia Limonis, ac radicem capillatam. Trita, atque ex aqua devorata valet contra ictus serpentum, aliorumque venenum ejaculantium animalium. Provenit in calidis *Xonotlae.*

CAPUT XXX.

De CHACATLIXPATLI.

Arbor est magna, et excelsa, hominis crassitudine, fo-

lia Mali Medicae ferens, serrata tamen, et infernè magnopere candescentia, ac virentia supernè, cujus cortex admodum adstringit, amarusque est. Hujus succus instillatus oculis carnem excrescentem absumit, et leucomata dissipat, illustratque visum, unde nomen. Nascitur *Quauhchinanci.*

CAPUT XXXI.

De CAMATOTONCAPATLI, *seu medicina oris incensi.*

Radicem fundit Camatotoncapatli crassam, et surculosam, folia Ocymi, terna, subalbida, et minimè serrata, caules cinereos, teretesque, flores Polii montani juxta postremos ramos, ac siliquas tenues, et longiusculas. Cortex radicis tusus, ac gingivis tumentibus, et inflammatis impositus instaurat eas, et in pristinam restituit valetudinem, firmatque dentes: frigidus enim est, et adstringentis naturae. Provenit in collibus calidis *Acatlicpacensibus.*

CAPUT XXXII.

De CAMATOTONCAPATLI *secunda.*

Arbor est magna pallescentis corticis, foliis cordis figura, magnis, laevibus, crassis, ac firmis, infernè subalbidis, supernè verò virescentibus, ac fructu pari glandibus. Incisis pediculis fluit lac gingivarum carni instaurandae perquam accommodum, leniendisque et discutiendis earum in-

flammationibus, et firmandis dentibus. Frigida natura, atque glutinosa constat. Nasciturque in calidis *Yztolucae.*

CAPUT XXXIII.

De TOTONCAPATLI *crenata.*

Herba est radicem capillatam proferens, unde prodeunt caules tenues, fulvique: et in eis folia Xenopodis fissa per ambitum, et flores coccinei, minimè senescentes in vasculis oblongis. Cortex caulium Anethum indistinctè olet, videturque eisdem paene viribus constare, calidaque, et sicca ordine tertio natura; quo fit, ut febres interpellatas patientibus dicatur mederi. Amara est, et acris. Maturat, aperitque praeter naturam tumores. Nascitur in calidis *Hoaxtepecensibus*, et campestribus locis.

CAPUT XXXIV.

De TOTONCAPATLI *secunda.*

Ita vocant Geranei quamdam speciem foliis rotundis, magnisque, frigida, et adstringenti constantem natura; atque ideo tumores praeter naturam repellentem, et in majorem magnitudinem prohibentem elevari. Nascitur *Yacapichtlae*, ubi eam conspeximus, neque depingendam putavimus, firmum habentes speciem esse earum, quae cognitae sunt Hispanis.

CAPUT XXXV.

De TOTONCAPATLI *myosotica.*

Herbula est *Xochimilci* proveniens, foliis rutaceis, sed tamen longioribus, floribus candentibus, ac parvis, radicibus similibus capillis, caulibus tenuibus, et teretibus, gustuque odora. Alsines species nobis visa est. Ajunt ulceribus tusam, admotamque mederi, ejusve pulverem. Nascitur regionibus temperatis, aut frigidis, fertque in parvis et oblongis vasculis sinapinum semen, et est nonnihil calidae, et exsiccantis naturae.

CAPUT XXXVI.

De TOTONCAPATLI *quarta.*

Radici insistit fibratae, unde profert caules rubescentes, longos, geniculatos, teretesque: et in eis Bliti folia, flores e luteo rubescentes, exiles, et totos ornantes caules. Calida est ordine tertio, unde sortitur appellationem, amaraque. Horrores accessionum exterminat tusa, atque unius unciae mensura, aut ampliùs devorata.

CAPUT XXXVII.

De TOTONCAPATLI *quinta.*

Frutex est folia proferens Pyri, surculosas radices,

ramos cavos, purpureos, refertos luteis floribus, ac visu spectandis, qui initio cordis ostendunt figuram, mox verò hiant in stellulas quinque concinnatas foliolis; ex his vascula erumpunt, in quibus semen nigrum clauditur, exileque. Folia primo gustu apparent acida, postea verò planè amara sentiuntur; quamobrem calida, siccaque, et adstringenti natura constare a nobis est judicatum. Illita corpori frigoribus, rigoribusve accessionum narrantur mederi, enixas roborare, compescere diarrhoeas, satietatem pellere, et dysenterias curare infusa, ventrive admota, aut semunciae pondere devorata, praecipuè si cum radice *Tacacozauhqui*, de qua aliàs, permista sit.

CAPUT XXXVIII.

De TOTONQUITLACOTL, *seu virga calida*

Radicem fundit Frutex hic crassam, caules sarmentosos, argentei coloris, laeves, ac rotundos, folia Ocymi, sed minimè serrata, et magis acuminata, florem rubrum, exilem, et oblongum. Stipites, ac folia praedicta praestant auxilia trita, atque e vino devorata, praetereaque dolores a frigore ortos sedant.

CAPUT XXXIX.

De TOTONCAXIHUITL *Oapanica.*

Herba est similis *Ecapatli* forma, et viribus; siliquas enim fert, ac luteos, velut et illa, flores, et frigida quoque constat natura. Quin et intertriginem tusa, et illita curat; folia tamen sunt longè minora, et similia Legumini. Nascitur in planis.

CAPUT XL.

De TOTONCAXIHUITL *Mayanalanensi.*

Radices fundit surculis similes, folia Persicae Mali, majora tamen, ac flores pallentes. Sapore et odore insigni caret, frigidaque, et humenti constat natura, et adversante febribus. Vocant enim interdum Mexicani TOTONCAXIHUITL plantas, quae calori adversantur velut caloris medicamenta, sed magna ex parte, quae calida constant natura.

CAPUT XLI.

De TOTONCAXIHUITL *Teocaltzincensi.*

Folia fert oblonga, et mollia, fructum Oxyacanthae similem, initio rubeum, ac per maturitatem nigrum. Arbor est frigefaciens, et humectans, et quae tumores praeter naturam repellat applicata.

CAPUT XLII.

De TOTONCAXIHUITL *purpurea.*

Radici insistit fibratae, et purpurascenti extrinsecùs, intrinsecùs verò candenti, caules tenues, teretes, et purpureos, ac duas spithamas longos: et in eis folia aquaticae vocatae Anagallidis, sed purpurea, et interdum salignis similia, flores in culmine ramorum luteos, parvos, stellatosque. Radix est in usu medico, quae initio dulcis apparet, sed demum amaritudinem quamdam ostendit. Calida est ordine secundo, ac tumores praeter naturam curare dicitur admota.

CAPUT XLIII.

De TOTONCAXIHUITL *Hoaxtepecensi.*

Fundit haec capillis similes radices, et folia cordis figura, sed minori magnitudine, quàm sint illa sequentis herbae, et flores parvos ex albo pallescentes. Frigida, et humida natura constat, curatque illita erysipelata, et ceteras inflammationes.

CAPUT XLIV.

De TOTONCAXIHUITL *Quauhximalpensi.*

Herba est radices fundens surculosas, et candentes, ramos tres quatuorve spithamas longos, folia serrata, cordis figura, flores albos, et modicos. Frigefactoriis humenti-

busque constat viribus, ac febres exstinguit devorata. Provenit in montibus frigidarum regionum, qualis est *Quauhximalpensis*, unde distinctionis gratia fecimus illi cognomen.

CAPUT XLV.

De secunda TOTONCAXIHUITL *Hoaxtepecensi.*

Radices capillis similes fundit, purpureos caules, crassiusculos, teretes, ac sarmentosos, folia Ocymi, majora, florem luteum et modicum. Frigidae est, et humentis temperiei, nulloque insigni sapore, aut odore praedita. Repellit tumores praeter naturam, et nimio calori adversatur. Nascitur planis, et campestribus calidarum regionum.

CAPUT XLVI.

De tertia TOTONCAXIHUITL *Hoaxtepecensi.*

Radices fundit surculosas, et fibratas, caules teretes, et laeves, folia serrata, aut sinuosa, oblongaque, flores prolixos, purpureos, et vasculis contentos. Frigefacit, humectatque, et conglutinat. Medeturque tuberculis capitis ortis e calore.

CAPUT XLVII.

De TOTONCAXIHUITL *Teoiztlae.*

Herba est hominis aequans altitudinem, radicibus constans fibris similibus, caule partim purpureo, partim viren-

ti, foliis longis, et angustis, mediocris magnitudinis, ac minimè serratis, flore in ultimis caulibus spicato, Verbenacae rectae modo, fructuque. Paratur ex foliis dissolutis ex aqua balneum febricitantibus utile. Nascitur in collibus regionum calidarum.

CAPUT XLVIII.

De TOTONCAXIHUITL *Tyacapichtlensi.*

Radices agit surculis similes, unde profert folia longiuscula, et angusta, hirsuta, subalbidaque. Radix est dulcis, folia gustu odorata, nonnullum calorem participat, nec sine quadam adstrictione. Erysipelatis opitulatur, quae Indi appellant *Tlachinolli.*

CAPUT XLIX.

De TOTONCAXIHUITL *Tyacapichtlensi secunda.*

Herba est quatuor spithamas longa, radice firmata fibris adaucta permultis, unde eduntur caules: et in eis folia Ocymi, serrata, sed tamen minora, interveniisque secúndùm longitudinem discurrentibus insignia. Amara est, Thymum olet, calidaque, et sicca ordine tertio constat natura. Medetur illita febrium rigoribus, et quosvis corporis dolores ortos a frigore tollit. Nascitur *Tlaquiltenanci*, et *Yacapichtlae*, unde distinctionis gratia fecimus illi cognomen.

CAPUT L.

De TOTONCAXIHUITL *Atatacci.*

Herba est per terram repens, foliis orbicularibus, parvis, Geraneo proximis. Amaro sapore constat, et tamen febres curare dicitur. Nascitur *Atatacci*, unde cognomen.

CAPUT LI.

De TOTONCAXIHUITL *Ocpayocanensi.*

Radix est fulva, longa, et tenuis, caules exiles, et inferna parte fulvi, folia serrata, longa, et angusta, hirsuta, et subalbescentia; dodrantalis altitudo, calidaque, et sicca ordine tertio natura. Tumores praeter naturam discutit, si opportunè eis adhibeatur, pannos praecipuè, et lichenes. Provenit in collibus regionum calidarum.

CAPUT LII.

De TOTONCAXIHUITL *hederacea.*

Hederae, quam recentiores terrestrem vocant, similis est, frigidae, et humentis naturae, et quae sit febrientibus valde opportuna.

CAPUT LIII.

De TOTONCAXIHUITL *Quauhzulcensi.*

Herba est tenera, foliis mollibus, obrotundis, nerveis discursibus recta procedentibus, Plantagini similibus, caulibus teretibus, teneris, et purpurascentibus, flosculis luteis, in calycibus contentis. Frigida est, et humida natura; quo fit, ut nimium leniat calorem. Provenit aquosis *Quauhzulci* locis, unde illi factum est cognomen.

CAPUT LIV.

De TOTONCAXIHUITL *fibrata.*

Folia profert longa, et angusta, circa exortum rubescentia, caules binas spithamas longos, prodeuntes e radicibus multis, candentibus, ac fibris similibus, e quibus est impositum cognomen, florem oblongum, rubeum, et parvum. Semuncia radicum devorata sudorem evocat, atque ita dicitur inflatis membris mederi. Eadem videtur, aut congener, vocata *Pacxochitl*; nam et vis facultasque eadem.

CAPUT LV.

De TOTONCAXIHUITL *Calamentum forma foliorum imitata.*

Totoncaxihuitl Calamentum forma foliorum imitata, quam alii *Tzitziquiltic* vocant, radicem profert longam, fibra-

tam, et minimi digiti crassitudine, atque inde caules lignosos, fuscos, asperos, et contortos, geniculisque interceptos, et in eis folia Calamenti serrata, unde cognomen, sed longè minora. Radix, quae frigida, et humida natura constat, ex aqua devorata, febrientibus mirum in modum dicitur auxiliari.

CAPUT LVI.

De TOTONQUIXIHUITL *helleborina, seu herba, quae medetur calori.*

Parva herba est foliis Origani, hirsutis, et subalbidis, coacervatis per intervalla circumcirca caulem, qui geniculatus est, tenuis ac teres; flores latent inter folia coacervati quoque, et ex albo paulisper vergentes in luteum in calyculis oblongis; radices sunt fibris similes, unde cognomen; assimilantur enim illis Hellebori. Radices foliaque adversantur febribus, et maxima cum utilitate eis, quas comitantur puncta, ajuntque redundantiam sanguinis concitata alvo contemperare, et dysentericis mederi; unde *Tlaxiacenses*, apud quos etiam nascitur, *Ezpatli*, seu *sanguinis medicinam* vocant. Frigida, humidaque temperie constat, et sapore insigni nullo. Folia, radicesque solent propinari cum *Cacaoatl*, aut resoluta ex aqua, semunciae pondere: terunt eam Indi, et laevigatam in placentulas efformant, atque ita in annuos usus reponunt.

CAPUT LVII.

De TOTONQUIXIHUITL *juncea.*

Folia fert Totonquixihuitl Mali Persicae, admodum tenuia, caules longos, et junceos, extrinsecùs candenti membrana vestitos, intrinsecùs verò virides, radicem per intervalla geniculatam, capillatam, et magnam, et florem rubentem. Amari est saporis, ac calentis temperiei, atque ita devorata quaternum scriptulorum pondere febrium rigores profligare solet. Sunt, qui vocent *Totonquipatli.*

CAPUT LVIII.

De TOTONCAXIHUITL *Xalatlaccensi.*

Herbula est per terram repens, foliis parvulis, floribus luteis, ac modicis, et semine frumentaceis granis persimili. Amara aliquantisper est, sudoremque evocat, cujus usus gratia ab indigenis maximi habetur; ita enim ajunt placare calorem, et febres finire. Sunt, qui eamdem ex aqua propinent perfractis hominibus, et lassitudinem patientibus. Nascitur in frigidis, et humidis locis.

CAPUT LIX.

De ZAZANACA *Temimiltzincensi.*

Volubilis est modici genus, radicem crassam agens,

folia Ocymi , sed tamen magis acuminata. Frigida constat natura , soletque ad sedandam febrem exhiberi.

CAPUT LX.

De CHIQUILICHQUAHUITL.

Arbor est Chiquilichquahuitl , folia ferens longa, et angusta , obtusaque et similia illis *Tenamaznanapaloa* , firma, atque subalbida , et flores luteos modicos. Stillans e germinibus perfractis liquor , qui frigidus cum quadam adstrictione , et siccus est , et Legumen resipit , medetur inflammationibus oculorum. Nascitur in calidis *Mayanalani.*

CAPUT LXI.

De CHIQUILECH *Tyacapichtlensi.*

Frutex est rutaceis ornatus foliis , paulò tamen majoribus , frigida , et glutinosa natura , et tumores praeter naturam repellit. Nascitur in humidis faucibus montium.

CAPUT LXII.

De CACALACA.

Arbor est spinis horrida , stipites fundens fuscos , folia Leguminis obrotunda , florem pallentem , et orbicularem , et fructum phaseolorum figura. Folia resoluta ex aqua febrientibus opitulantur. Frigida siquidem sunt , et hu-

mentia, saporisque carent, et odoris. Nascitur *Mayanalani.*

CAPUT LXIII.

De CHACALXOCHITL, *seu flore parvae squillae.*

Arbor est magna foliis parvis, et obrotundis, luteisque floribus, frigidaque, et humenti natura. Folia illita corpori febrientibus ferunt opem.

CAPUT LXIV.

De CHACALXOCHITL *altera.*

Herba est folia ferens Coluteae, et flores coccineos, floridis manipulis, et corollis tantùm utiles.

CAPUT LXV.

De CHACALTZONTLI, *seu capillis parvae squillae.*

Frutex est folia Ulmi ferens, ac florem rubescentem ex albo, marsupiorum oblongorum forma, unde alii prodeunt valde longiores, et coloris ejusdem, atque ex his capilli quidam albi. Illita folia utilia sunt adversùs febrium frigora, utpote ordine secundo calida, nonnihilque amara, et odora.

CAPUT LXVI.

De CHACHAYACTLI.

Herba est *Hoaxin* persimilis ; cujus radix fluxum alvi coërcet epota. Frigida enim est, siccaque, et adstringenti natura, rubeoque tincta haud aliter, ac *Quapatli*, colore. Nascitur in collibus plagarum calentium.

CAPUT LXVII.

De CHACHAYATZIN, seu planta sonanti.

Radices surculosas fundit CHACHAYATZIN, caules hirsutos, quatuor dodrantes longos, Leguminis folia, siliquas longas, et angustas, semine nigro refertas, et luteos flores. Impetigines bis die admota curat. Nascitur in calidis *Oapáni*.

CAPUT LXVIII.

De COCOYXTLI, seu oculo internodii.

Radix est capillis similis, caules tenues, ocymina folia, minimè serrata, et lutei flores, nodis quibusdam intrinsecùs exorientibus, *Oceloxochitl* similibus. Calida est quarto ferè ordine, et acris saporis. Dolorem dentium, ac potissimùm pituita exesorum mitigat pulvis florum impositus. Nascitur in calidis *Yohalani*.

CAPUT LXIX.

De QUAMIAHOATL, *seu spica arboris.*

Quamiahoatl, quam alii *Tlamacázypápan*, seu *capillum sacerdotis* vocant, radice innititur capillata, et rubescenti: unde mittit caules ejus Sedi, quod recentiores Vermicularem vocant; cui similis esset, ni folia apparerent tenuia. Haec tusa, admotaque capiti capillorum ubertatem procurant, quod etiam praestant reliquis corporis partibus admota, in quibus pili solent oriri. Omnes humores vacuare narrant devoratam ex aqua duarum drachmarum mensura, sed pituitam praecipuè, atque ita mederi cachecticis, hydropicis, morbo gallico, aut articulorum doloribus oppressis, et orbatis motu. Sapore caret insigni, etsi virus quoddam spiret caliditatem ostendens. Tithymalo Paralio similis etiam est, et in ejus, ut conjecto, species referenda, quamquam rami e caulibus a radice prodeuntibus rursus oriantur, quod in Paralio fieri non video; cujus gratia et describendam, et depingendam curavi, etsi non dubitem, aut eamdem illi esse solis natalibus distantem, aut saltem congenerem. Nascitur saxosis montanisque *Tepoztlani* locis, et in hortis quoque medicinae causa seri consuevit.

CAPUT LXX.

De ZACAMEXCALLI, *seu Maguei sylvestri.*

Species est *Metl*, cujus succus medetur ulceribus quantumvis hiantibus, et magnis, haud aliter ac oleum nobile, quod nomen habet ab *Apparicio*. Radix est crassa, fibrataque, fusca, et lineis quibusdam transversis, undulatisque praecincta, unde prodeunt folia rubeis spinis horrentia, pinguiaque, velut ceterae differentiae. Nascitur in calidis *Cocolani*, Mexici, et *Tanguitlani*, ubi *Tepemetl* vocant, ajuntque mederi febribus, necnon *Teloloapae*, ubi *Zacametl* vocant, asseruntque foliorum succum his, quos argenti vivi vapor laesit, potum mederi.

CAPUT LXXI.

De METL, *seu Maguei.*

Radicem fundit Metl crassam, brevem, et fibris scatentem, folia Aloes, sed longè majora, et crassiora, arboris enim mediocris interdum aequant longitudinem, utrinque spinifera, et in rigidum, acutumque desinentia mucronem; caulem triplo majorem, et in ejus parte summa flores luteos, oblongos, juxta cacumen stellatos, ac procedente tempore semen asphodelino persimile. Innumeri paene sunt usus, qui desumuntur ab hac planta; tota enim illa

lignorum, sepiendorumque agrorum usum praestat; caules tignorum, folia verò tecta tegendi, imbricum, lancium, papyri, filique, ex quo calcei, lintea, et alia vestium genera, quae apud nos ex lino, cannabe, gossypio, aliisque huiusmodi parari solent. E mucronibus fiunt clavi, et aculei, quibus perforandis auribus macerandi corporis gratia Indis uti mos erat, cum daemonum vacarent cultui; item aciculae, acus, tribuli militares, et rastella idonea pectendis subtegminibus; praeterea e succo manante, qui evulsis germinibus internis, foliisvè tenerioribus cultris *Yztlinis* in mediam cavitatem stillat (planta unica quinquaginta interdum amphoras, quod dictu mirabile est, effundente) vina, mel, acetum, ac saccharum; qui succus menses ciet, alvum lenit, urinam evocat, renes, et vesicam emundat, lapides frangit, urinaeque extergit meatus. E radice quoque fiunt restes firmissimae ad multas res perquam accommodae. Crassiores foliorum partes truncusque decocta sub terra (quod genus elixandi *Barbacoam* vocant *Chichimecae*) edendo sunt apta, sapiuntque citrea frusta saccharo condita. Quin et vulnera recentia mirè conglutinant; fit enim succus assatione glutinosus, qui suapte natura frigidus, ac humens est. Folia quoque assa, et affecto loco imposita convulsionem curant, ac dolorem leniunt, praecipuè si succus ipse calens bibatur, quamvis ab indica proficiscatur lue, sensumque hebetant, et

torporem inducunt. Succus destillatione fit dulcior, decoctione verò et dulcior, et spissior, donec tandem cogatur in saccharum. Seritur ex germinibus, qui circumcirca matrem oriuntur quovis solo, sed praecipuè fertili, atque frigido. Planta haec unica, quidquid vitae esse potest necessarium, praestare facilè posset, si esset rebus humanis modus; non enim tempestatum, aut inclementioris caeli patet injuriis, aut per siccitates statim marcescit. E nulla re proventus est amplior. Vinum fit ex eodem succo diluto fontana aqua, additis corticibus malorum medicorum, limonumque, *Quapatli*, et aliis, quibus faciliùs inebrientur; quod ea gens maximè affectat quasi pertaesa rationalis suae naturae, et avida sortis brutorum, atque quadrupedum. Fit ex eodem succo minimè ignem experto adjectis radicibus *Quapatli* contusis, et soli priùs aliquandiu expositis, demum exemtis, vinum album vocatum, urinae evocandae et urinariis meatibus expurgandis utilissimum. E saccharo, quod ex eodem succo cogitur, parant acetum, nempe resoluto ex aqua, et novem diebus insolato. Sunt autem ejus plures differentiae, de quibus est statim a nobis dicendum. Succum *Metl*, cui incoctae sint *Piltzintecxochitl*, et *Matlalxochitl* radices, referunt punctis mederi.

CAPUT LXXII.

De MECOZTLI, *seu Maguei luteo.*

Species est *Metl*, sed marginibus foliorum luteis, spinis parvis, et nigris, foliis verò modicis, si cum foliis *Metl* praecedentis comparentur, caule binos cubitos alto digitumque lato, et rubro, cum flore e rubeo pallescenti cacumen eius occupante, et radice surculosa. Vis trium quatuorvè foliorum additis siliquastris ternis frigentes, ac crassos humores per secessum, et urinam paulatim vacuat; idem propinari solet ab Indis enixis mulieribus, aliquot diebus a partu corroborationis gratia; succus expressus ex semiassis foliis dicitur astmati conferre. Frigida verò constat, et lubrica natura. Sunt, qui *Cozticmetl*, et *Macozticmetl* vocent, nec desunt, qui *Hoeimetl*, seu *magnae utilitatis*. Campestribus locis Mexici nascitur quavis tempestate, etsi sola aestate floreat. Seritur e germinibus ortis juxta parentem.

CAPUT LXXIII.

De TLACAMETL, *seu Maguei magno.*

Species est *Metl*, eadem paene forma, et viribus, quibus ceterae, et eisdem quoque usibus; sed inter reliquas vigorem, ac robur addit feminis imbecillibus, aut syncope tentatis. Nomen habet a magnitudine.

CAPUT LXXIV.

De MEXCALMETL, *seu Maguei apto, ut assum comedatur.*

Species est *Metl* parva, valde spinosa, et virore admodum exsaturato tincta, cujus folia eduntur assa, et sunt prae ceteris grata gustui. Offendi eam in montibus *Tepoztlanensibus.*

CAPUT LXXV.

De MEXOCOTL, *seu Maguei prunorum.*

Spinosae etiam plantae, et ad *Metl* genera quoque referendae species est, sed fructu dulci, et acido, multiplici, ac persimili prunis, unde nomen, et in orbem Indicae Pineae quadantenus parem composito, qua pingitur magnitudine, et interdum ampliori, eduli succo pleno, et grati saporis. Folia sunt *Metl*, aut illis potiùs Pineae Indicae similia, spinosa, fulva, ac velut marcida. Radix fibrata, crassaque, caulis verò brevis, teres ac crassus; pruna sunt oblonga, candida, glandibus similia, et ex candido pallescentia, obducta membrana, intra quam continetur callus candens, ac, ut diximus, dulcis, et acidus, Pinearum Indicarum sapore, refertus semine principio candido, ac postea nigro, obrotundo, et duriusculo. Temperies est frigida, ac sicca. Medetur oris ulcusculis e calore ortis fructus commansus, ac gestatus ore. Nascitur in saxis regionum calidarum *Tepecuacuilci.*

CAPUT LXXVI.

De TEPEMEXCALLIN, *seu Maguei montano.*

Forma *Metl* constat, sed tenuibus spinulis. Contusa, aut devorata, illitave curat eos, quorum artus motu privati sunt ob nervorum convulsionem. Montosis saxosisque locis gaudet calidarum regionum, qualis est *Tepoztlanica.*

CAPUT LXXVII.

De TEOMETL, *seu Maguei divino.*

Species est *Maguei* inter numerosas alias, quae referuntur, numeranda, eadem paene facultate, et forma, longa radice fibrataque, et exilibus spinis; duas spithamas longa sunt tantùm folia. Succus verò epotus, aut illitus febres exstinguit. Nascitur in frigidis et calidis locis, editis, atque campestribus.

CAPUT LXXVIII.

De XOLOMETL, *seu Maguei servi.*

Species est *Metl*, tribus velut orbiculis aggregatis radice constante firmata, et fibris aucta rubescentibus, unde proferuntur folia coccineis horrida aculeis, raris, et a medio adusque mucronem procedentibus. Succus foliorum expressus, ac bibitus decem unciarum mensura universi corporis dolores, et praecipuè articulorum tollit, ac motum

impeditum restituit. Verùm, quo bibitur, tempore corpus est magna cura operiendum. Nascitur *Huexocinci* juxta fauces fluminum.

CAPUT LXXIX.

De XOTLACTLI, *seu lubricitate saxea.*

Arbor est Iridis foliis, latioribus, crassioribus, et valde asperis, serratisque exiliter, flore *Metl* simili, cujus fortassis est species, etsi in arboream magnitudinem adolescat; radix est crassa, atque fibris rubescentibus terram amplexa. Regum heroumque exornat compluvia, neque alius, quod adhuc acceperim, illius narratur usus.

CAPUT LXXX.

De PATI, *seu Metl ex quo fiunt lenissima fila.*

Similis est *Metl*, sed foliis angustioribus, minoribus, et tenuioribus, magnaque ex parte purpurascentibus, et radice fibrata, crassaque. Species est vocatae *Pitae*; parantur ex ea fila tenuissima in magno habita pretio, pannisque lineis pretiosis texendis aptissima.

CAPUT LXXXI.

De QUETZALICHTLI, *seu Maguei simili Quetzalli, seu plumis Quetzaltototl.*

Quetzalichtli, quam alii *Metl Pitae* vocant, ad species

Metl videtur posse referri. Assurgit in arboream altitudinem, radicem fundit crassam, fibratamque, et sensim gracilescentem, folia verò spinifera, et *Metl* similia. Fit ex ea quidquid ex *Metl* fieri consuevit, sed ex ejus filis delicatiores, et majori in pretio habitae parantur vestes. Provenit in calidis *Quauhquechulae*, et *Mecatlani*.

CAPUT LXXXII.

De NEQUAMETL, *seu mellis potatrice.*

Species est *Metl*, aliis congeneribus plantis facultate similis. Rara est forma caulis, fructusque; caulis enim brachii crassitudinem aequat, cujus cacumen fructus occupat oblongus, pyrorum parvorum forma, undique sepiens caulem; folia sunt digito transverso paulò crassiora, aspera juxta latera, ac impensè acuminata circa cuspidem. Nascitur in calidis, quales sunt *Quauhnahuacenses*. Sunt et aliae quamplures species, quarum, quoniam facultate paene similes sunt, et forma parum differentes, nomina tantùm, et loca iconum subjiciam. Prior omnium vocatur *Mexoxoctli*, seu *Metl viride*. Altera a cinereo colore *Nexmetl*, reliquis etiam similis. Tertia *Quametl*, seu *Maguei montanum* squallenti colore, fibrata radice, et longo crassoque insigne surculo. Quarta *Hoitzitzilmetl*, aculeis longis, purpureisque radicibus, et spinis. Quinta *Tapayaxmetl*, seu *Magueitapayaxin* praecedenti ferè simile.

Sexta dicitur *Acametl*, seu *Maguei arundineum*, albidioribus iuxta radicem foliis, et rubescentibus spinis, atque radicibus. Septima dicitur *Maguei nigrum* ob colorem atrum, quamquam spinae, radicesque ex nigro fulvescant. Octava *Xilometl*, seu *Metl pilosum*, rubeis spinis, et radicibus, quae rariores praecedentibus quadantenus videri possunt.

CAPUT LXXXIII.

De CUILXILXOCHITL, *seu flore ani.*

Nomen invenit ab utilitate, et juvamento; reducit enim in propriam sedem decidentem anum. Radicem fundit tenuem, et ex ea caulem unicum, viridem, et in eo folia Olivae, sed minora, et florem in summa parte stipitis capituli instar, coccineum, ubi procedente tempore generatur semen. Amara est, nec sine quadam acrimonia, et calore, et salivosa etiam natura, qua creditur reductum intestinum in propriam sedem firmare. Nascitur in calidis, et saxosis collibus.

CAPUT LXXXIV.

De CHIPEIYATEUH, *seu flore daemonis.*

Radices fundit longas, digitum crassas, et ex eis caules volubiles, hirsuta folia, mollia, et subalbescentia, ex utroque latere sinuosa, et media parte crenata; florem candentem, fructum vesicis similem, semine longo, et tenui

refertis, et salivosa quadam substantia delinito, frigida, humidaque, et nonnullum acorem participante, capreolis sese hinc inde convolventibus. Frigida, et humenti natura constat; quo fit, ut tusa, atque ex aqua resoluta, illitaque inflammationibus medeatur, et curet intertriginem.

CAPUT LXXXV.

De CACAPACXIHUITL seu herba lenta.

Radicibus insistit surculosis, et capillatis, e quibus mittit caules cavos, purpureos, et foeniculaceos, folia Ocymi, minora, et serrata, flores coccineos, ac fructum per intervalla acinis similem. Lac ejus, quod frigidum, ac humidum est, medetur tumoribus praeter naturam. Nascitur in calidis *Ytztlanicis* juxta rivos.

CAPUT LXXXVI.

De ZÓCONÁN.

Arbor est foliis Sennae, minoribus, fuscis stipitibus, candidis tamen punctis distinctis, floribus in muscarii modum albis, et rubescentibus ex albo. Folia tusa ac resinae permista tineae ac lichenibus medentur imposita. Haec amara sunt, et adstringentia, secundoque ordine exsiccant, atque calefaciunt. Nascitur in jugis *Ytztolucae*: herba insignis ob duo morborum genera ferè insanabilia, quibus dicitur mederi.

CAPUT LXXXVII.

De COZAUHQUIXOCHITL, *seu flore luteo.*

Frutex est foliis *Xochinacaztli*, majoribus tamen, et multis, luteis floribus, in muscarium compositis. Frigida est, et glutinosa. Nasciturque *Atatacci.*

CAPUT LXXXVIII.

De ZAZANACA *Tlacotepecensi.*

Herba est caules fundens aculeatos, folia mollia, et hirsuta, subalbida, oblonga, angulosa, et illis vocatae Spinachiae quadantenus similia, radices longas, et minimo digito tenuiores. Frigida est radix, propinaturque adversùs febres. Videtur nonnihil amaritudinis prae se ferre, sed statim elanguescens, desinensque in dulcedinem. Nascitur in fragminibus montium *Tlacotepeci*, ubi visa est a nobis, et posteritati imagine, ac descriptione tradita.

CAPUT LXXXIX.

De CUECUETZPATLI, *seu medicina arundinis.*

Magnam agit Cuecuetzpatli radicem, ac ex ea tres, quatuorve caules ramosos, folia hirsuta, Lysimachiae forma, luteos flores, et capitula oblonga, ubi semen flavescens latet. Radix duarum drachmarum mensura devorata confert

ad arcendas recidivas, tremorique, unde sumpsit nomen. Est autem sapore acri, et glutinosa natura.

CAPUT XC.

De CHACHALACAMETL *Arbore, seu Maguei perstrepente.*

Arbor est magna, folia ferens obrotunda, mediocria, laevia, paulisper crassa, paucisque distincta interveniis, fructum zizypharum forma, et magnitudine, primò viridem, ac demum rubescentem, includentem nucleum saporis glandium elixarum, non sine quadam amaritudine. Fructus est edulis, nèque alius hujus arboris narratur usus.

CAPUT XCI.

De CUIXTAPAZOLI, *seu nido accipitrum.*

Arbor est parva caulis subalbidi, Origani foliis, laevibus, obtusis, nullis prope interveniis, ac fructu, ut ajunt, et flore carens. Folia illita febrilem calorem exstinguunt. Nascitur in collibus calidis *Texaxahuaci*, frigidaque, et humenti natura constat.

CAPUT XCII.

De COCOTLITEZOQUIL, *seu luteo turture.*

Herbula est foliis ternis, obrotundis, frigidaque, et glutinosa natura. Ulceribus medetur. Nascitur *Xoxotlae.*

CAPUT XCIII.

De COCHIZPATLI, *seu medicina soporem inducente.*

Herba est quatuor dodrantes longa, purpureis caulibus, foliis ternis, et rotundis, luteis, ut ajunt, floribus, parvisque, ac modicis siliquis. Frigida est, ac glutinosa. Succus infusus naribus soporem infert, unde nomen. Nascitur in calidis *Anenecuilci* circa campestria loca.

CAPUT XCIV.

De COCHIZQUILITL, *seu soporifero olere.*

Arbor est *Tzompantli* similis, adeoque ejus species, sed minimè spinifera. Succus expressus acori infantium instillatus somnum dicitur evocare, unde est impositum ei nomen. Nascitur apud *Ytzocanenses.*

CAPUT XCV.

De COCOCÁTON *Yyacapichtlensi*, *seu herba nonnihil acri.*

Herba est parva, radicibus innixa fibris similibus, e quibus profert caules tenues, ac breves, et in eis folia Ocymi, serrata, et in summis caulibus flores Corrudae capitibus similes, initio nonnihil purpurascentes, et procedente tempore candidos. Frigida, et lubrica constat natura, quamobrem inflammatis oculis egregiè medetur. Nascitur in locis campestribus *Yyacapichtlae.*

CAPUT XCVI.

De COHUIXTMECATL, *seu fune Lacertae.*

Volubilis genus est foliis longis, et angustis, floribus, ut ferunt, albidis. Frigida, constat et humida natura, nonnihil foetida, et cujus succus placet febrem. Provenit *Tzompanci* frigidis locis juxta aquas.

CAPUT XCVII.

De ZUMETL.

Herba est excelsa, oblongis foliis, et floribus similibus Chrysanthemo. Calida est, et glutinosa natura, dysentericis utili, praecipuè si misceatur fumus *Ocotl.* Folia tusa, et imposita scabiei, et aliis parvis inflammationibus dicuntur mederi. Provenit in calidis *Quauhquechullae.*

CAPUT XCVIII.

De CHAPOLQUAHUITL, *seu arbore Cicadae.*

Radici insistit magnae, e qua fundit caules tenues, floresque hirsutos, et modicos. Radix adstringit haud sine quadam calefactione, et cortice rubro tegitur. Sapit castaneas, quae ferculorum gratia exsiccari, et in annuos usus recondi solent. Aliquantisper verò amara est. Cortex tritus medetur parvis tumoribus, et scabiei.

CAPUT XCIV.

De CACAMILXOCHITL, *seu flore sementis corvorum.*

Herba est radicibus insistens glandibus similibus, multisque, unde profert caules, et in eis folia trifida, ternave, longa, et angusta, flores in cacumine binos, purpureos in ambitu, circa medium verò pallentes, stellatosque. Radices sunt acris saporis, et nonnihil amarae, calidaeque ordine tertio temperiei, pectori utiles, et gustu odorae.

CAPUT XCV.

De COZTICMIXIUHCAPATLI.

Radicem profert fibratam, folia Leguminis, flores spicatos purpureosque, et caules quatuor dodrantes longos. Insigni sapore caret, videturque aut ad temperiem pertinere, aut frigoris nonnihil participare; et tamen exhibentur folia tusa, ac resoluta ex aqua unciae unius pondere enixis, seu ad menses evocandos, seu ad membra interiora, ut habent de more, corroboranda, et exanthemata expellenda. Nascitur *Tanguitlani*, oppidi nobilis *Mistecae* superioris, necnon apud *Hoexotzincenses*.

CAPUT XCVI.

De CACAHUAXOCHITLI prima, seu flore Cacahuatl.

Radices fundit crassas, fibratasque, caules dodrantales, folia cordis figura, et flores purpureos. Dulcis est radix, et nonnullam praefert amaritudinem, et cum siccitate calorem. Eadem laevigata, ac epota semunciae pondere dysenteriis medetur. Nascitur *Yanguitlani Mistecae* superioris.

CAPUT XCVII.

De CHIMALPATL, seu Momauhcapatli.

Herba est parva, obrotundae insistens radici, pontica nuce paulò majori, unde profert caules tenues, teretesque, et in eis folia parva, exilia, et per intervalla caulis coacervata, flores verò longos, tenues, et coccineos, hinc et inde exorientes. Radix est candida, tenera, frigida natura, et nullo insigni sapore, aut paulisper dulci, et salivoso. Lacte manat, quod medetur antiquis plagis. Nascitur in temperatis collibus *Atoyaquensibus Mistecae* inferioris.

CAPUT XCVIII.

De CHICHILTICMECAPATLI Tepexicensi, seu medicina Volubilis rubei.

Radicibus firmatur tenuibus, et brevibus, fibratisque,

unde prodeunt cauliculi teretes, tenues, duos dodrantes longi, et volubiles; et in eis folia per intervalla ramulorum terna, per ambitumque scissa, Origani forma, et magnitudine, et flores coccinei. Frigida, humidaque, et glutinosa natura constat. Jus decocti foliorum, atque radicum ejus confert diarrhoeis, et dysenteriis, caloremque corporis universi contemperare dicitur. Nascitur in frigidis collibus *Tepexicensis* agri.

CAPUT XCIX.

De CEMPOALPATLI *Anguitlanensi.*

Radicibus adhaeret lignosis, Batatis parvis similibus, unde prodeunt caules longi, tenues, teretesque, et in eis folia saligna, cyanei flores, orbiculis multis, et parvis inter se cohaerentibus similes, ubi continetur semen. Saporis videtur, odorisque insignis expers, et mediocris caloris, aut temperiei in frigus nonnihil inclinantis; et tamen venerem mirum in modum excitare dicitur radix trita, et ex vino semunciae potata pondere; quod fiet, aut ratione humoris, et caloris moderati, aut proprietate quadam nobis incognita. Nascitur in collibus vallibusve frigidarum regionum *Mistecae* superioris.

CAPUT C.

De COAPATLI, *seu medicina serpentum Tancuitlanensi.*

Radicem fundit longam, ac tenuem, et ex ea frequentes ramulos ornatos foliis longis, angustis, hirsutisque infernè, et subalbidis, et luteos flores. Frigida videtur, et lubrica natura. Medetur venenatis potionibus, ictibusque serpentum, ter, aut quater per singulos dies admota vulneri, aut semunciae mensura e liquore congruenti resoluta, atque epotata. Nascitur in collibus frigidis *Mistecae* superioris.

CAPUT CI.

De COACIHUIZPATLI *secunda, seu medicina dolorum.*

Radices profert longas, tenues, et capillatas, et inde caules teretes, et tenues, ornatos foliis Origani, nonnihil serratis, cavosque, velut et radices. Insigni sapore caret, aut paululùm est dulcis, atque moderati caloris. Adversùs corporis dolores dicitur vim habere maximam, et articulares morbos illita, aut devorata. Provenit *Anguitlani Mistecae* superioris in locis frigentibus.

CAPUT CII.

De ZAYULPATLI *Huaxacensi.*

Zayulpatli, seu *Herba muscarum*, planta parvula est,

ac tota exilis, repens per terram, candidis, et stellatis omni ex parte referta flosculis; radicibus, ac foliolis parvis, et tenuibus, cauliculis verò geniculatis. Nonnihil calens, et amara est, cujus unciae unius decoctae ex aquae unciis duodenis ad tertias epotum jus per superna, atque inferna vacuat pituitam, ac bilim, atque ita appetentiam excitat, et vomitum coërcet: sumendum tamen matutino quatuor, aut pluribus, si opus sit, continuis diebus. Nascitur calidis, et sabulosis *Huaxacae* locis.

CAPUT CIII.

De altera ZAYULPATLI *Huaxacensi.*

Radicem profert digitalis amplitudinis, et crasso cortice vestitam, folia serrata, quina, Angelicae ferè forma, aut Elaphobosci, cujus speciem esse arbitror: nam et flores in umbellam compositi sunt, et ex albo pallescentes, ac semen orbiculare est, salivosum, odorum, et paulisper acre: radix, quae calida, et sicca est ordine secundo, initio Pastinacam sapit, ac tandem acris sentitur, et guttur pungens. Eadem tusa, et admota umbilico dicitur diarrhoeas, devorata verò tussim compescere, et raucedini auxiliari. Provenit in planis temperatisque locis, ac montium faucibus agri *Huaxacensis*, et *Ytzocanensis*, ubi *Cacapultic* vocant, necnon *Michuacani*, ubi *Caniume*.

CAPUT CIV.

De COTOTENTZON *Huaxatensi , seu barba Vulpis.*

Herbula est cauliculos tenues , ac teretes proferens, lignososque e radice magna , longa , et unguentum olente, atque sapiente , folia terna , parva , ac Medicae sylvestri similia. Ajunt radices ejus permistas *Texcalpachtli* , et *Tlatlancuaiae* , seu *Herbae piperis longi* , illitasque affecto loco, paralysi mederi , et intermortuae paene carnis sensum excitare. Nascitur in temperatis *Huaxacae* locis , campestribusque , ac montium faucibus , ubi narrant dentium , temporumque admotam dolorem sedare.

CAPUT CV.

De COACIHUIZPATLI *tertia , seu medicina doloris.*

Herbula est radicis longae , ac tenuis et exilibus cauliculis per terram sparsis , refertis tenuissimis foliis , per intervalla coarcervatis , ac candidis flosculis. Amara est radix, acrisque , et gradu tertio calens , ac sicca. Eadem dolores ac praecipuè dentium lenit , et nervorum contractiones solvit duarum drachmarum pondere ex aqua devorata aliquot continuis diebus , singulis quibusque semel. Nascitur clementi *Huaxacae* , et *Tilanci* caelo.

CAPUT CVI.

De COCOQUAHUITL *Huaxacenſi.*

Arbor eſt Leguminis ferens folia, et circa eorum exortum exiles floſculos, ac rubeſcentem ſuccum. Frigida ſiccaque conſtat natura. Syncopi, et laſſitudini dicitur conferre ſuccus ſemunciae devoratus menſura ſemel, aut bis ſingulis quibuſque diebus.

CAPUT CVII.

De CHICHILPATLI *Huaxacenſi.*

Radicibus inſiſtit ſurculoſis, unde mittit caules tenues, rectos, rotundos, hirſutos, et ſubalbidos, et in eis folia Origani, anguſtiora, rara, et per intervalla terna, et in cacumine floſculos coccineos, longiuſculos, et comantes. Sapore, et odore inſigni caret. Frigida eſt, nec paulùm adſtringens; et tamen dyſentericis dicitur conferre. Naſcitur in temperatis *Huaxacae* locis.

CAPUT CVIII.

De altera COACIHUIZPATLI *Huaxacensi.*

Herbula est surculosis innixa radicibus, unde caulicu-los profert tenues, teretes, et lignosos, et in eis foliola exi-lia, ac luteos flosculos. Radix est amara, calidaque et sic-ca ordine tertio, gutturque urens. Eadem tusa impositaque quorumvis membrorum sedat dolores, hydropi medetur, sanguinem fluentem cohibet, et tumores praeter naturam discutit trium drachmarum pondere resoluta ex aqua, atque epotata. Nascitur in temperatis collibus, saxosisque, et montium faucibus agri *Huaxacensis.*

CAPUT CIX.

De CHILLI *Indiae orientalis.*

Quod Mexicani Chilli *Orientale* vocant, Arabes, Per-sae, et Turcae *Gengibil* appellant, Officinae vero *Gingiber*, aut *Zingiber*, nascitur in omnibus Indiae provinciis excul-tum satumque semine, aut radice: nam quod sponte prove-nit, flocci penditur. Nascitur etiam in Insulis Philippicis, translatumque jam est ad *Haitinos*, et Mexicanos, ubi id ad vivum exprimendum curavimus, et ut existimo, etiam ad Hispanos, etsi nesciam, an apud eos nasci voluerit. Duo sunt ejus genera, mas, et femina. De mare sub *Ancoae*

nomine aliàs nobis dictum est. Femina, seu vulgare *Zingiber* herba est duas, tresve spithamas longa, radicibus tuberosis, et transversis, unde profert caules Arundini similes, et in eis folia longa, et angusta, Iridi, aut Gladiolo paria, et in summis caulibus capitula Stoechadi quadantenus similia. Seritur pingui, stercoratoque, et pulchrè exculto solo, et humilibus quibusdam arboribus adumbrato, regionum calidarum mense Martio, radice in frusta pollicis magnitudini dissecta, quinque digitorum intervallo, ac totidem paene profunditate, tegitur terra, rigaturque statim a satu, ac deinde bis per singulas quasque septimanas, aut semel tantùm, si udus sit natura locus. Sarriendum etiam est, sed ita, ut plantae novellae non convellantur, aut ulla afficiantur injuria. Est autem terra ter, quaterve per singulos annos repastinanda. Vindemia fit arescentibus foliis, quod juxta initium Januarii accidere solet. Vulso verò, ut commodè recondi possit, corradendus cortex exterior est, conjiciendumque in labellum plenum muria, et permittendum ibi horam unam, aut dimidiam manere; mox soli exponendum aequali temporis intervallo, ac demum stragulis sub tecto insternendum, donec humor omnis exhalet; quod si adhuc madens perseveret, soli rursus exponi oportebit: si verò aliò transferri conveniat, terra opertas radices servari erit necessarium thecis inclusas,

dulcique aqua, aut imbribus, quoties dictum est, irrigatas noctu operiri, atque interdiu patere caelo. De facultate nihil in tanta luce habeo dicere: illud narrant Indiae orientalis incolae conscissam hanc radicem, permistamque aliis herbis, et aceto, oleo, ac sale conditam in acetariis edi, nam non in quibusque Indiae partibus, praecipuè, si humidiores sint, aequè est, ac apud nos, acris, et urens.

CAPUT CX.

De COZAUHCAPATLI, *seu lutea medicina.*

Herba est radici insistens napo simili, unde profert volubiles caules, et in eis folia laevis Smilacis, sed undulata per ambitum et alterutra velut alata parte, fructum verò obrotundum, et rubentem, nucis ponticae forma, et magnitudine, quatuor tamen distinctum striis. Calida, siccaque natura constat, et subamaro sapore, resinosoque. Pectori confert, et febrium intermittentium horroribus medetur. Nascitur in editis locis, et faucibus montium regionum temperatarum, atque adeo agri Mexicensis.

CAPUT CXI.

De CECECPATLI *Tepexicenſi.*

Radicem fundit tenuem, et capillatam, et inde caules ornatos foliis Amygdali, minutim serratis, ac albis, ut ferunt, floribus. Frigida natura constat; unde nomen. Erysipelatis dicitur mederi, praecipuè si *Tlachinolxochitl*, et *Tepehuexotl* adjungantur. Nascitur in collibus temperatis *Tepexici.*

CAPUT CXII.

De ZOLPATLI *Tunallae.*

Ad Limonii genera videtur pertinere; verùm radices capillis similes sunt, unde prodeunt cauliculi tenues, inferna praecipuè parte ornati foliis obrotundis, parvis, Betae similibus, ac circa superiora semine exili rubeoque. Folia sunt frigida, siccaque cum nonnulla amaritudine. Tumores praeter naturam applicata repellunt, et fluxiones devorata sistunt. Nascitur in calidis locis juxta fluminum praecipuè ripas, et humida alia loca.

CAPUT CXIII.

De COACIHUIZPATLI *Tilancenſi.*

Herba est sesquidodrantem ferè longa, tenuibus caulibus, foliis Ocymi, serratis, floribus exilibus, purpureis-

que, et vasculis, quae hiantia, et in tres partes divisa ostendunt semina orbicularia, parva et similia lithospermo. Frigida, et humida videtur constare natura, aut moderatè calida, salivosaque. Eadem ex aqua epota unciae unius pondere dolores mitigat, unde nomen. Nascitur frigidis, planisque *Tilanci* locis juxta ripas fluminum.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER OCTAVUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De EPAXIHUITL, *seu herba Vulpeculae Indicae.*

Radicem profert fibratam, folia Ocymi, circinata, et oblongiora, flores luteos, capillorum longiusculorum et tenuiorum instar. Radix est temperata, aut in frigiditatem nonnihil inclinans, odorisque gravis, unde nomen. Curat aurium dolorem, et saniem inde effluentem extergit succus radicum foliorumve auribus instillatus. Idem praestant folia trita, ac circumcirca applicata: radices verò ipsae semunciae pondere devoratae quartanis dicuntur mederi.

CAPUT II.

De ECAPATLI, *seu medicina venti.*

Lauri species est, sed nostrate minor, ac minoribus foliis, cetera similis. Ejus suffumigio paralysi indigenae medentur, jus verò decocti adhibent lotionibus, ac balneis, aufert lassitudinem, et puerorum epilepsin. Nascitur in montibus Mexicanis.

CAPUT III.

De ECAPATLI *Pahuatlanensi.*

Radice firmatur capillata, ex qua caules funduntur striati, quadratique, ac tres cubitos longi, folia ferè ocymina, et serrata, ac flos purpureus, modicus. Acris est, gustu odora, calidaque et sicca ordine tertio natura. Seritur in hortis, ac semen profert *Chian* simile. Folia trita, infusaque infantes, aut pueros satietatem patientes, in pristinam sanitatem restituunt, praecipuè si a nutrice resoluta ex aqua contingat devorari, et dolorem ventris solvunt. Nascitur in calidis.

CAPUT IV.

De ECAPATLI *Malinalcensi.*

Herba est caules fundens homine longiores, teretes, ac plenos medulla: et in eis folia mollia, longa, magna, serrata, ac flores circa extrema candentes, et circa medium

luteos, chamaemelinis similes. Nonnihil praesefert amaritudinis, atque caloris: verumtamen folia, floresque adversùs febres exhibentur. Nascitur in calidis *Hoaxtepecensibus*, et *Malinalcensibus*, unde factum est illi cognomen.

CAPUT V.

De ECAPATLI *Chietlae.*

Frutex est folia ferens infernè hirsuta, et subalbida, magna, sinuosa, et undulata, flores comantes, et luteos, fructum verò rotundum, plenum semine, et paulo cicere majorem. Amara est, odore gravi, calidaque, et sicca temperie. Medetur tussi, et pectoris dolori jus decocti bibitum, et applicatum. Sunt, qui dicant vaporem juris decocti ejus conferre his, quibus cum febre delirium accidit. Nascitur in calidis *Ytzocani*, et *Chietlae.*

CAPUT VI.

De ECAPATLI *Papaloticpacensi.*

Frutex est radici insistens surculosae, et extrinsecùs pallescenti, unde assurgunt caules virentes, geniculati, quadrati, concavi, et in suprema eorum parte folia oblonga, et crenata, floresque subalbidi, spissi, spicatique, qui demum in pappos abeunt. Calidus est, ac siccus ordine tertio; quo fit, ut ventriculo admotus satietati medeatur; est

autem subtilium partium, gustuque odorus. Nascitur *Papaloticpaci*, a quo oppido distinctionis gratia est illi inditum cognomen.

CAPUT VII

De YECAPATLI, *seu aquae dulcis medicina.*

Frutex est YECAPATLI hominis altitudine, foliis laurinis, sed tamen magis acuminatis, gravi odore, luteis floribus, violaceis forma similibus, caule sarmentoso et paulisper striato. Calefaciente videtur constare natura. Acris est, evocatque sudorem, et praestat intermittentibus febribus auxilium. Nascitur in montibus *Tepoztlanicis.*

CAPUT VIII.

De TLALTLAUHQUIECAPATLI, *seu Ecapatli rubra.*

Radices surculosas fundit, extra luteas, intra verò candidas, caulem cinereum, punctis interstinctum, Origani folia, ac spicatum, et coccineum florem. Folia tusa, atque epota, illitave, ventriculi sedant dolorem, necnon et alvi, ac flatum discutiunt. Calefacentia enim sunt, atque exsiccantia ordine tertio, odora, et subtilium partium. Provenit in locis montosis regionum calidarum, habeturque ab indigenis tum ob praedicta, tum ob alia, quae quivis ex temperie conjectare facilè possit, in maximo pretio.

CAPUT IX.

De EPATLINÁN.

Epatlinán, seu *Vulpeculae mater* (sic enim ob odorem gravem est vocata) radicem fundit Raphani, caules binorum cubitorum, teretes, et geniculatos, folia Mali Persicae, ampliora, tenuia, ac mollia, florem candidum, modicum, ac semen nullum. Folia tusa, atque ex aqua epota pugilli unius mensura febres feruntur exstinguere.

CAPUT X.

De EPAQUAHUITL, *seu arbore Vulpis.*

Arbuscula est virentibus, atque strigosis ramis, foliis Mali Medicae, sed majoribus, et malè compositis, supernè virentibus, et albicantibus infernè, floribus pallidis, parvis, spicatisque, unde acini fiunt rubescentes, in acinorum vitigineorum formam compositi. Amaro sapore constat, calentique, et sicca tertio ordine natura; quamobrem folia tusa tumores omnes, sed potissimùm ortos in collo dicuntur discutere. Nascitur quibusque locis frigidarum regionum, floretque mense Augusto. Aliam eodem nomine plantam vidimus apud *Quauhnahuacenses*, sed in magnae arboris altitudinem assurgentem, foliis Mali Medicae, valde ingrati odoris,

infernè luteis, et quae nullius essent in Medicina utilitatis; quapropter non curavimus depingendam.

CAPUT XI.

De EPAPATLI, *seu Vulpis medicina.*

Herba est Epapatli tres circiter ulnas longa, foliis amplis, et subalbescentibus, candidis floribus, in vasculis longis, ac tenuibus contentis totius caulis procursu. Febres exstinguit, nec Vulpeculam, ut indicare videtur nomen, olet.

CAPUT XII.

De EPAXIHUITL, *seu herba Vulpis.*

Ita appellant *Quauhnahuacenses* herbam quamdam Verbasco similem foliis, quae infernè valde hirsuta sunt, parvaque, floribus promiscuè albis, luteisque, racematim dependentibus. Amara est, et exsiccans, non sine quodam calore; verùm Indi Medici nullum ejus usum in Medicina excogitarunt.

CAPUT XIII.

De EPATLACHTLI, *seu Phaseolo compresso.*

Genus est Phaseoli hortensis, radicem tenuem fundens, folia Phaseoli, terna, florem parvum, et candentem, siliquas granis fulvis refertas, et nigranti colore maculatis, edulibusque. Tumoribus praeter naturam brevi occurrit. Frigida

natura constat, et insigni caret odore, et sapore, ideoque illita corpori adversatur febribus. Oritur in calentibus regionibus, et in hortis passim seri consuevit.

CAPUT XIV.

De EPATLACHQUILITL, *seu Olere compresso.*

Phaseolorum alterum genus est, edule, frigidum, ac valens adversùs febres.

CAPUT XV.

De EPATZIN, *seu Vulpecula.*

Herba est octo uncias longa, foliis Origani, sed minoribus, candidisque, et Vulpeculae praeferens odorem, unde nomen. Nonnullam haec amaritudinem, et caliditatem participat; quamobrem folia tusa, atque illita dicuntur febribus intermittentibus mederi.

CAPUT XVI.

De ELOQUILTIC, *seu olere Eloti.*

Radicem crassam fundit, geniculatam, et rubeam, et ex ea caules geniculis quoque interceptos, ac sarmentosos, rubeosque, et in eis folia saligna e viridi pallescentia, et in postremis caulibus vascula rubra, velut in spicas composita, ubi semen continetur. Edulis est, frigidaque natura,

et aliquantisper amara. Sudorem dicitur evocare, quod fieri conjectandum est victa febre, aut corroborata facultate, ni potiùs a partibus calidis, quae etiam huic herbae insunt, contingere quispiam verisimilius esse ducat.

CAPUT XVII.

De altera ELOQUILTIC.

Eloquiltic, quam alii *Tlatlancuaye* vocant, seu *Herbam geniculatam*, radices fundit surculosas, et rubescentes, caules sarmentosos, et nodis per intervalla divisos, partimque purpureos, folia Bliti, florem, semenque rubeum, atque minutum in conorum modum, velut et Blito dependentia. Sapor est nonnihil amarus, sed temperies cum humore frigida. Lac vitiatum nimii caloris causa emendat, febrem exstinguit, et sudorem evocat; pota, illitave punctis medetur, et opitulatur tussi. Jus decocti ejus, cui bolus armenus fuerit permistus, confert punctis, quae *Matlaltotonqui* Mexicenses vocant, lenit alvum, et medetur satietati. Nascitur in montibus regionum temperatarum, qualis est *Xochimilcensis*, et *Tetzcoquensis*. Non desunt, qui *Xotlilitzin*, seu *nigros pedes* vocent.

CAPUT XVIII.

De ELOQUILTIC *tertia.*

Caulem mittit tenuem, junceum, striatum, ac candidum ex radice longa, tenui, et fibrata, et in eo folia Mali Medicae, sed magis acuminata, et interveniis secundùm longitudinem procedentibus distincta, tinctaque diluto virore. Radices tritae, ac sex obolorum pondere devoratae, satietati medentur. Calefaciunt enim, et exsiccant ordine secundo.

CAPUT XIX.

De ELOQUILTIC *quarta.*

Radicibus innititur fibris similibus, et pallescentibus, unde profert caules initio luteos, ac deinde rubescentes, et in eis folia Ocymi, oblonga, ac flores *Cempoalxochitl*, sed tamen minores, luteosque. Editur cruda coctaque, et febres ingesta, aut illita tollit.

CAPUT XX.

De altera ELOQUILITL.

Edulis est, calidoque, ac grato nutrimento, et paulisper odorato. Folia sunt Ocymi, serrata, sed tamen longiora, flos Chamaemeli forma, luteus in medio, et in ambitu candens. Passim nascitur, et in hortis interdum colitur.

CAPUT XXI.

De TZITZIQUILITL.

Herba es folia ferens *Cempoalxochitl minoris*, radices similes capillis, et flores *Eloquiltic eduli* paene similes. Estur pro olere cruda, coctaque, et calens alimentum exhibet, odorum, et attenuans. Ubique provenit, sed praecipuè regionibus temperatis, aut paulò frigidioribus. Ajunt inspersum pulverem mederi vetustis ulceribus, et vaporem decocti ejus oculis. Est et *Tzitziquilitlpitzahoac*, foliorum tantùm tenuitate differens.

CAPUT XXII.

De ELOQUILTIC *Tetzcoquensi.*

Volubilis genus est, radicibus innixum surculosis, ex quibus profert caulem tenuem, Ocymi folia, quamvis magis acuminata, molliora, minimè serrata, exiliaque, et flores exiles, albos. Vis est refrigerans, et febri contraria. Nascitur in montibus *Tezoyucae Tetzcoquensis.* Sunt, qui *Ytzicatzintli* nuncupent.

CAPUT XXIII.

De ELOQUILTIC *quinta.*

Radici insistit crassae, et longae, unde profert caules fulvescentes, et in eis Ocymi folia, serrata, in summis ve-

rò ramis flores spicatos, et subalbescentes. Oleris praebet vicem, unde nomen.

CAPUT XXIV.

De QUAUHELOQUILITL.

Frutex est radice crassa, et fibrata, e qua funduntur caules per intervalla geniculati, teretes, ac circiter laeves, cinereique, folia per ambitum serrata, hastarum mucronibus haud dissimilia, et flores parvi, candentes. Jus decocti foliorum bibitur adversùs diarrhoeas, et flatum. Folia sunt sicca adstringentiaque, aspera, et nonnihil amara. Nascitur *Quauhchinanci.*

CAPUT XXV.

De QUAUHELOQUILTIC *altera.*

Radicem fundit crassam, brevem, et fibratam, stipitem geniculatum, et folia magna, cordis figura, serrataque, neque aliud accepi de ea planta.

CAPUT XXVI.

De ELELPATLI, *seu medicina satietatis.*

Radici innititur Elelpatli albae, crassae, et intestinorum instar convolutae, ex qua mittit caules cavos, minimi digiti crassitudine, albos, ac laeves, folia Salviae, flores candidos, comantes, et demum in pappos abeuntes, se-

men continentes tenue, et nigrum. Calida est, et sicca ordine ferè tertio. Nascitur in montibus *Xochimilcensibus*, qui Mexicensium temperiem aemulantur.

CAPUT XXVII.

De ELELPATLI *Yacapixtlae.*

Radicibus firmatur surculosis, ex quibus profert stipites, et in his folia obrotunda, magnaque ex parte terna; quamquam ex eodem pediculo interdum nonnulla alia minora producantur, quae ex majoribus videantur oriri. Radix est amara, calefaciens, et exsiccans ordine ferè secundo, etsi initio videatur dulcis, et devoratur adversùs febres, tumidae alvo infusa confert, et excrementa reddere minimè valentibus. Nascitur in calidis, et campestribus *Yacapichtlae* locis.

CAPUT XXVIII.

De ELELPATLI *Anenecuilcensi.*

Radice firmatur crassa, alba, et longa, unde profert caulem hirsutum, teretem, ac tenuem, et in eo folia Ocymi, subalbida tamen, et hirsuta, ac minimè serrata, florem, ut ferunt, candicantem, et modicum. Radix amaritudinis cujusdam sensum praebet, et nonnullum calorem participat. Cujus succus satietati medetur, et excitat appetentiam. Nascitur in calidis locis, et montuosis *Anenecuilci.*

CAPUT XXIX.

De ELELPATLI *Hoitzocensi.*

Radici innititur tenui, exilique, ex qua viridantes prodeunt caules, folia tenuia, et acuminata, semen foliis simile, et flores cyanei. Frigida temperie constat. Radix ex aqua devorata urinam mirè elicit, ac alvum lenitum solvit his, qui aut reddendi lotium, aut alvi exonerandae sunt impotes, unde sumsit nomen. Nascitur in calidis *Hoitzoci.*

CAPUT XXX.

De ELELPATLI *Hoitzocensi secunda.*

Radices fundit fibratas, ac intrinsecùs candentes, dulces gustu, ac Leguminis sapore, et ex his caules exiles, tres dodrantes longos, foliis ornatos rutaceis, per intervalla binis, sed majoribus, et magis acuminatis, flores modicos, ac purpurei coloris. Radix frigida est, et adstringens, folia verò frigida, et glutinosa. Offertur ejus radix cum Siliquastri fructu adversùs fluxum, ac dolorem alvi, apponunturque folia erysipelatis. Nascitur in calidis *Hoitzocensibus.*

CAPUT XXXI.

De ELELPATLI *Hoitzocensi tertia.*

Radices agit surculosas, caules tenues, folia exilia, floresque modicos, et pallentes. Radix sentitur initio dulcis, postea verò amara: calida autem siccaque ordine censetur secundo. Eadem tusa, ac semunciae pondere devorata ex vino, dolori ventris opitulatur, maximè si misceri contingat siliquastro.

CAPUT XXXII.

De ELELPATLI *Tyacapichtlae secunda.*

Radicibus insistit fibris similibus, unde mittit caules purpureos, et in eis folia Menthae, serrata, floremque candentem. Ajunt mederi satietati, corroborato nempe ventriculo; nam frigida est, atque adstringens.

CAPUT XXXIII.

De ELELPATLI *glandifera.*

Cognomen habet a forma radicis, quae glandi quadantenus similis est, unde producuntur exiles caules, foliis ornati exilibus, semineque contento in obrotundis vasculis. Radices sunt dulcis, ac grati gustus, et candentis coloris. Eae-

dem devoratae appetentiam excitant, suspiriosis conferunt, ac ventris sedant dolorem. Nascitur in calidis *Quauhnahuacensibus*, et *Yacapichtlensibus.*

CAPUT XXXIV.

De ELELPATLI *Quauhquechullae.*

Radix est prolixa, crassa, candidaque, initio dulcis, postea verò amaritudinem, et calorem aliquem ostendens, quae exhibetur adversùs satietatem, ac ventris dolorem, flos extra candens, intra verò pallescens, modicus, et cymbali forma. Haec verò planta aut eadem est cum *Hoitzocensi tertia*, de qua paulò ante sumus locuti, soli tantùm, caelique differens natura, aut illi prorsus congener.

CAPUT XXXV.

De ELELPATLI *Ytzocanensi.*

Herba est folia ferens Salviae, breviora, caules teretes, subalbidos, flores in cacuminibus exiles, coccineosque, et radicem longam, et tenuem. Odora est, calefaciensque, et exsiccans ordine tertio. Medetur satietati, ac fluxum quoque alvi dicitur cohibere. Sunt, qui *Elelpatlipapatlahoac*, seu *amplam* distinctionis gratia vocent, ut separent ab al-

tera vocata *Pipitzahoac*, de qua in sequenti Capite est a nobis dicendum.

CAPUT XXXVI.

De ELELPATLI *Pipitzahoac.*

Herbula est duos dodrantes longa, radicis fibratae, crassiusculae, et sensim gracilescentis, unde prodeunt caules, et in eis folia longiuscula, angusta, crenata, perque intervalla septena, et in summis caulibus flores comantes, parvi, lutei, longiusculique. Amara, et sicca est, et nonnihil glutinosa cum tertii ordinis calore. Stoechada indistincta similitudine sapit, atque olet, si manibus tantisper confricetur, possetque, ut conjecto, pro ea substitui. Ad Teucrii genus videtur attinere, etsi folia angustiora sint, crenae majores, et folia per intervalla acervata. Diarrhoeis puerorum arffimant Indi Medici mederi, satietatique, et pectoris dolori, unde nomen. Nascitur *Ytzocani*, apud quod oppidum vidimus aliam eodem nomine, et facultate plantam, parvam tamen, per terram repentem, subalbidam, atque hirsutam.

CAPUT XXXVII.

De ELOXOCHITL, *seu flore Eloti.*

Nomen habet a floris similitudine. Arbor est magna, stipitum strigosorum, Verbasci foliis, ac floribus quadantenus *Yoloxochitl* similibus. Folium unum ejus floris, qui pulcherrimus est, odorus, ac maximi ab Indis habitus, addi solet in *Cacahoatl*, ut frigiditatem ejus potionis temperet, commendetque gratiam odoris. Calida enim sunt folia ordine tertio. Nascitur regionibus frigidis, aut temperatis, humectis praecipuè locis, et aquarum defluxione exsultantibus.

CAPUT XXXVIII.

De QUAUHELOXOCHITL, *seu flore arboris Eloti.*

Arbor est magna, foliis Mali Medicae, coccineis floribus odoris grati, cujus tantùm usum praestat.

CAPUT XXXIX.

De ELOXOCHITL *altera.*

Radicem fundit tenuem, et longam, folia verò novena in pediculis longis, ac flores cyaneos in capitulis Stoechadis, aut *Eloti* similibus, qui tandem expanduntur in si-

liquas. Lupinorum sylvestrium species est, errore descripta hìc, et bis per totidem aetates depicta.

CAPUT XL.

De EPAZOTL, *seu herba odora.*

Herba est surculosis radicibus insistens, e quibus profert caules cubitales, et in eis folia oblonga, crenata, et rubescentia, et spicatum semen. Acris est, odora, et tertio ordine calefaciens; edulis etiam cruda, coctave, et adjecta condimentis corroborat, pectori, asthmaticisque confert, et gratam alimoniam praebet. Jus decocti radicum dysenterias coërcet, dissipat inflammationes, et noxia ventris pellit animalia. Nascitur in calidis, temperatisque regionibus, coliturque in hortis praedictarum, aliarumque commoditatum gratia.

CAPUT XLI.

De TEPEEPAZOTL, *seu Epazotl montana.*

Arbor est magna, folia vitiginea ferens, sed aliquantisper longiora, fructum obrotundum, nucibus ponticis ternis unica membrana inclusis similem, unde invenit apud indigenas Hispanos *abellinarum Indicarum* nomen. Vacuant hae, si quinque earum vino, aut aquae intritas, ac aliquandiu maceratas sumi contingat, humores omnes; sed

praecipuè pituitosos, per inferna, excitata tamen interdum vomitione. Cortex stipitis acris est, amarus, ac ordine tertio calefaciens, atque exsiccans, subtilium partium, ac moschum paululùm olens. Provenit regionibus calidis, velut *Ytzocani*, *Tlapae*, et in via publica, qua tenditur *a Divo Joanne Chichimecarum* ad *Zacatecas*. Sunt, qui *Concopalli* vocent; sunt qui *Hoelicpatli*, seu *gratam medicinam*; nec desunt, qui *Quauhtlatlatzin*, seu *crepitantem arborem*, quoniam cum sonitu dehiscat fructus.

CAPUT XLII.

De ECAUHTLI, *seu umbra.*

Herba est hominis aequans, atque interdum superans altitudinem, caulibus teretibus, purpurascentibus, et hirsutis, foliis oblongis, hispidis, serratis, ac mollibus, flore luteo, magno, spectandoque, calyci hirsuto innascenti. Adhibetur in corollas; calidaque constat temperie, ac modicè adstringenti: quo fit, ut ejus decocto hymen comprimatur, ac amissus pudor quadantenus instauretur. Ubique nascitur, sed calidis praecipuè locis, ac fortassis posset in species Bubonii, seu Asteris Attici referri. Est et alia herba eodem nomine, natura, et forma, nisi quòd flores pallescunt e rubeo, atque ideo *Xochipaliecauhtli* vocata; necnon et tertia floribus quoque, velut prior, luteis, sed minoribus et foliis latioribus circa exortum.

CAPUT XLIII.

De ESQUA.

Frutex est surculosis insistens radicibus, unde profert stipites sex cubitos longos, virides, contortos, et geniculatos, folia hirsuta, Solano paria, sed tamen magis acuminata (cujus speciem esse existimare quispiam posset), fructus dactylis similes cum latentibus ossiculis. Hos vorant Indi noctu, cùm interdiu jejunaverint, domumque lustraverint universam, ut ita, quae sibi rapta sunt, aut perierint, possint reperire, et intra lares inclusos furis imaginem conspiciant. Tusa, atque illita folia inflammationibus medentur. Vocant eam Mechoacanenses *Esquam*, Mexicani verò *Toloatzin*. Provenit regionibus temperatis, ac frigidis, quales sunt *Pazcuarenses*, et *Mexicenses*. Frigida, et humida constat natura, etsi radix sit paulisper dulcis.

CAPUT XLIV.

De ERVILIA *Tetzcocana.*

Genus est Leguminis, siliquas ferens, quod *Tetzcoqui* conspectum a nobis est, unde cognomen. Initio dulcis tantùm apparet, sed mox nonnullam praesefert adstringentiam.

CAPUT XLV.

De ELOCOCOZ, *seu Elote pallenti.*

Frutex est foliis Bliti latioribus, et floribus *Cozauhqui*. Additur in corollas, et floridos manipulos, quorum est apud hanc gentem creber usus.

CAPUT XLVI.

De EEXOQUILTIC, *seu Olere siliquato.*

Volubilis genus est radice firmatum rotunda, et intrinsecùs fulvescente, candentique extrinsecùs, et sapore dulci, ac jucundo, ex qua profert caules teretes, tenuesque, et per intervalla ramosos, foliis ornatos ternis, mucronatis, ac sagittarum imitantibus acumina, mediocris magnitudinis, rarisque, et in postremis caulibus flores cyaneos, et oblongos, unde generantur siliquae refertae semine. Phaseolorum species videtur. Radix, cujus est usus apud Indos Medicos, temperiei videtur attinere, sapore dulci constare, et odore insigni nullo. Provenit *Tenanci* saxosis ac montosis locis, gelidoque caelo. Exhibetur eadem unciae unius mensura ad febres exstinguendas, et facultates universas corporis roborandas, soletque lacti *Tlaolli*, ejus rei gratia, commisceri.

CAPUT XLVII.

De TLALEEXOTL, *seu terrestri Siliqua.*

Herba est radices fundens surculosas, caules duas spithamas longos, folia Leguminis, longiuscula, angusta, et cuspidis obtusae, florem ex albo pallescentem, modicum, et siliquas refertas semine. Acris est, calidaque, et sicca prope initium quarti ordinis natura. Succus radicis instillatus naribus trahit pituitam, purgatque caput: duarum verò drachmarum ipsius radicis mensura pituitam, bilimque vacuat per superna. Nascitur in collibus *Anenecuilci.* Vidimus etiam in via publica, qua tenditur a *Chietla* in *Ytzocanum*, Arbusculam eodem nomine, et forma, quam tamen non duximus describendam.

CAPUT XLVIII.

De TLALEEXOTL *altera.*

Frutex est Galegae vocatae a recentioribus similis, sed in Arbusculae assurgens altitudinem. Frigida constat natura, imponiturque inflammationibus. Visus est hic a me, cum e *Quauhyuca* in *Chietlam* recta agerem iter.

CAPUT XLIX.

De TLALEEXOTL *tertia.*

Radicem fundit magnam, obrotunda, et mediocria folia, parvos, ac purpureos flores, et siliquas octo uncias longas. Cortex radicum tritus ulceribus antiquis medetur, et repellit inflammationes, quae radices luteae intrinsecùs sunt, et adstrictoria pollent facultate non sine quodam calore. Provenit in montibus regionum calidarum, qualis est *Acatlicpacensis.*

CAPUT L.

De TLALEEXO.

Radicibus innititur surculosis, e quibus tenues, teretesque profert caules, folia mollia, longiuscula, et valde angusta, flores in postremis ramulis exiles, et purpureos. Calida est, et sicca ordine tertio, amaraque. Hemicraneis dicitur mederi radix, si redacta in laevorem, et conjecta in aquam naribus vacuato corpore instilletur; trahitque pituitam, atque ita exonerato capite dolorem tollit, sternutamentum ciet, et strumis medetur. Provenit *Tzompanci.*

CAPUT LI.

De HUEXOPATLI *Pahuatlanica.*

Parva herba est foliis mollibus, longiusculis, et angustis, floribus per singulos foliorum exortus luteis, ac binis, et surculosis radicibus. Hae tusae, ac resolutae ex aqua ea mensura, quae binis conjunctis digitis possit apprehendi, propinantur devorandae contra articulorum dolores, etiam a gallica lue profectos. Alii vocant hanc herbam *Huehuexotic*, ajuntque corticem drachmarum trium mensura haustum alvum solvere: verumtamen siccus adstringensque videtur cum pauco quodam calore. Nascitur in calidis, montosisque regionibus juxta aquosa loca, atque humentia.

CAPUT LII.

De HUEXOTIC.

Herba est radicibus fibris similibus innixa, e quibus caules edit purpureos, folia Salicis, longè angustiora, ac semen in vasculis orbicularibus, illis Nasturtii similibus. Frigida est, et adstringens. Medetur oculorum inflammationibus, et Legumen sapit. Nascitur in collibus *Anenecuicuilci.*

CAPUT LIII.

De HOEHOEXOTIC.

Frutex est sex dodrantes plùs minùs longus, caules proferens squallentes, folia Salicis serrata, radicem prolixam, ac pollicem crassam. Cortex radicis unius unciae pondere supra, infraque bilim, ac pituitam ex aqua vacuat devoratus. Nascitur in calidis *Tehoiztlae* editis locis, ac jugis montium.

CAPUT LIV.

De TLALPATLACHTLI, *seu Tlalhoexotl.*

Radicem fundit residuo plantae duplo majorem, extra luteam, et intra candentem, folia Ocymi, minimè serrata, et longiora, siliquas *Hoaxin*, unde nomen, ac florem, ut ferunt, coccineum. Dulcis est radix, et attinens ad temperiem, non sine quadam amaritudine, et adstrictione, et partibus calentibus, saporeque illum Glycyrrhizae quadantenus imitante. Radix tusa dicitur mederi scabiei, ventrisque ulceribus; curat dysentericos, et avellit infixa. Nascitur in calidis *Iohalani* agri *Quauhnahuacensis*, et *Hoitzoci* juxtaque colles *Tepecuacuilci*.

CAPUT LV.

De TLALHUEHUEXOTL, *seu Salice humili.*

Herbula est foliis constans longiusculis, et angustis, salignorum forma, a quibus sumsit nomen, et siliquis parvis. Sapor est Leguminis, amarus tamen; odor gratus, ac temperies calida, et exsiccans ordine tertio. Succus radicum naribus instillatus medetur morbidis oculis, atracta pituita, et vacuato capite. Sunt, qui dicant diarrhoeas compescere, etsi nullam gustu perceperim in ea adstrictionem. Sunt, qui *Tlaleexotl* vocent, nec desunt, qui *Yztacpatli.* Nascitur in calidis, et campestribus *Tlaquiltenanci* locis.

CAPUT LVI.

De TEPEHUEXOTL, *seu Salice sylvestri.*

Species est Salicis, foliis tamen Mali Medicae ferè amplitudine. Usus est materiei, quae tamen ignobilior est ceterarum Salicum materie. Provenit agris *Tetzconbensibus.*

CAPUT LVII.

De TEPEHUEXOTL *Teocalcincensi.*

Radicem fundit crassam, et refertam fibris, caules coccineos, Olivae folia, Salicisve, unde nomen, et in summis caulibus binos, ternosve acinos, initio virides, ac deinde coccineos, ciceribusque forma, et magnitudine similes; et quamquam modicè calidae sit radix, siccaeque, et adstringentis naturae, tamen Indi Medici testantur jus decocti ejus contusae potatum, aut radicem ipsam sex drachmarum pondere devoratam, vacuatis per superna, atque inferna humoribus, sed praecipuè per inferna mederi hydropem passis, ac ventris inflammationi. At quid mirum? quando Zarzamparrillam, Chinam, ac permultas hujusmodi plantas frigidas, et adstringentis temperiei, experimento habemus compertum, et quotidie observamus, similes usus praestare? discussisque, et vacuatis hinc inde rebellibus humoribus diversa fortassis partium natura inveteratis morbis, doloribusque mederi? Nascitur *Ocopetlayucae*, ubi *Tlalhoexolt* quoque vocant.

CAPUT LVIII.

De *ECATONXIHUITL.*

Frutex est hominis aequans altitudinem, foliis longis, acuminatis, et asperis, quae integra apposita ulceribus di-

cuntur eis citra alterius medicamenti opem mederi. Nascitur in calidis *Mactlactlanensibus.*

CAPUT LIX.

De ENGUAMBA.

Arbor est Enguamba mediocris, suberneo cortice vestita, sed luteo, et rubescente, ligno fusco, et pallescente medulla, foliis oblongis, et sinuosis, quorum nervi quoque e pallido purpurascunt, infernaque sunt valde subalbescentia, floribus in corymbi formam dependentibus, qui candescunt e viridi fructu acinoso, nigroque, ex quo oleum exprimitur pallens, tumoribus praeter naturam discutiendis, et persanandis ulceribus mirè utile. Nascitur in saxosis locis *Uruapae*, provinciae *Mechoacanensis*, ad temperiem, aut nonnullum attinentis frigus.

CAPUT LX.

De IXTLEHUAYOPATLI.

Arbor est mediocris, in calidis collibus agri *Tilancensis* proveniens, radicibus surculosis innixa, in quibus stipites mittit tenues, et in eis folia Limoniae Mali, sed infernè candida, hirsutaque, et nigricantia supernè, flores candentes, et modicos, ac fructum orbicularem, et parvum. Radices calidae sunt, et siccae gradu tertio, acres, et odo-

ratae gustu ; sapiuntque vocatos caryophyllos , et possent vicem eorum tum in ferculis , tum in medicamentis composi-tis supplere, atque sarcire. Cortices stipitum minùs cale-faciunt, et amaritudinis cujusdam sunt participes. Folia ad-huc minùs, Stoechada quadantenus odore imitantia. Stipi-tum cortices duarum drachmarum pondere tusi , atque de-vorati dicuntur dysentericis maximam opem ferre. Nascitur in calidis *Tilanci* collibus.

CAPUT LXI.

De ETLACOTL , *seu sude phaseolorum.*

Herba est parvae , fibrataeque insistens radici, unde pro-fert caules geniculatos , multos , et in eis folia longiuscula, et valde angusta, Stoechadique paene similia , et quina per ramorum intervalla e nodis prodeuntia, et in summo flores perpulchros , parvos, comantes , stellatos, et ex albo pur-purascentes. Cujus adhuc nihil memoratu dignum accepi.

CAPUT LXII.

De EPAPATLI *Tototepecensi.*

Radice firmatur crassa , et vestita cortice in multos velut surculos divisa , striataque , unde prodeunt caules quin-que prolixi cubitos, et in eis folia Amygdali , hispida, subal-bida , asperaque, et flores lutei, ac magni. Radix virus gra-

ve olet, unde nomen. Calida est et lubrica, et ideo dysenteriis dicitur conferre drachmae unius mensura semel quotidie devorata. Nascitur in calidis collibus.

CAPUT LXIII.

De EPAPATLI *Tototepecensi secunda.*

Herba est radices fibratas fundens, unde pullulant caules, et in eis folia Amygdali, sed latiora, et virentiora, ac candidi flores. Radix Vulpeculae virus olet, ac nonnullum calorem videtur praeseferre; quo fit, ut instillatus succus medeatur surditati, dentibus admotus dolorem eorum leniat, epotus verò duarum drachmarum pondere sedet frigora intermittentium febrium, et ipsas febres finiat. Nascitur in calidis juxta pelagus australe.

CAPUT LXIV.

De EZPATLI *Tototepecensi.*

Herba est campestrium, et calidorum locorum alumna, radicem fundens tenuem, longam, luteam, et capillatam, atque ex ea caules hispidos, et folia rara, Malvae similia, sed longis pediculis appensa, cyaneosque, et modicos flores. Frigida est, ac saporis prope nullius, dysenteriis medetur, et inde evenit illi nomen. Provenit in calidis, et planis locis.

CAPUT LXV.

De *EPAPATLI.*

Arbuscula est Limonis ferens folia, et flores candentes, spicatosque. Acris est, gustata alliorum, Vulpeculaeve odorem praefert, et quarti ordinis calorem, ac siccitatem. Alia herba allata est e *Tototepecensi* agro ejusdem nominis, ac floris candentis, nec dissimilium foliorum, aut odoris. Aurium, dentiumque lenit dolores, et intermittentium febrium est medicina; sed minori praedita calore. Sunt qui dicant ulceribus etiam prodesse.

CAPUT LXVI.

De EZPATLI *Ygualapenſi.*

Herba eſt radici unicae innixa, exili, et longae, unde fundit caulem unicum, circumſeptum foliolis *Coanenepilli*, eumdem amplectentibus, aliiſque majuſculis binis, et ſerratis, per caulis intervalla prodeuntibus, florem luteum, ac parvas ſiliquas. Frigida, ſiccaque natura conſtat, et menſtruorum immoderatum fluxum ſiſtit. Naſcitur in calidis, planiſque *Ygualapae* locis.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER NONUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De HOITZQUAHUITL, *seu Arbore spinosa, Brasiliove.*

Arbuscula est stipites ferens spiniferos multis in locis cavos, vestitos cinereo cortice, candido ligno, corde verò aut medulla rubra, Santalo Arbori haud dissimili, folia paene orbicularia, sed fissa circa cuspidem, fructum Oxyacanthae et flores pallentes, Chrysanthemo similes. Frigida, adstringentique natura constat; quo fit, ut jus decocti ejus sistat diarrhoeas. Finduntur rami, qui paululùm sunt dulces, in assulas, et novem integros dies ex aqua macerantur adjecto alumine, atque ita ex aqua illa percolata fit pigmen-

tum pictoribus utile. Nascitur in calidis, editisque montium locis *Tlaquiltenanci*, ubi eam Arborem curavimus depingendam.

CAPUT II.

De HOITZXOCHITL, *seu flore spinifero.*

Hoitzxochitl, quam alii *Yacahoitzxochitl* vocant ab spinarum mucronibus, Arbuscula est Buxi foliis, cinereis caulibus, spiniferis, et geniculatis, atque aculeatis floribus, Corallis rubeis, oblongisque similibus, in manipulos quosdam velut coacervatis, ac desinentibus in cuspides, qui, ut panduntur, capillos proferunt longos, rubeos, et circa postremas partes fissos. Calidis, frigidisque citra distinctionem ullam regionibus provenit, campestribusque, ac montosis locis. Cortex stipitum radicisque confert tussi, (calidus enim est, ac siccus ordine circiter tertio, amarusque, etsi folia acorem, et adstringentiam praeseferant) jure decocti ejus epotato; qui etiam dolori renum occurrit. Succus foliorum, et radicis instillatus naribus trahit e cerebro pituitosa excrementa, atque ita medetur surditati: permistus verò *Coyolxochitl* fluentem sanguinem retinet. Quin jus decocti ejus dicitur mederi morbo, quem vocant gallicum, sudorem evocare, ac bilim pituitamque educere. Stips subassus, admotusque dentium placat dolorem.

CAPUT III.

De HOITZXOCHITL *altera.*

Arbuscula est comata, folia ferens Myrthi, longè majora, sed rigidos, nocuosque mucrones praeseferentia: florem coccineum, orbicularem, et modicum, quem Indi filo transfossum in suis emporiis globulorum precariorum more venditare solent. Hujus est praecipuus, tum in medicamentis, tum in condimentis usus. Calidus enim est, ac siccus ordine secundo cum insigni quadam adstringentia, initio dulcedinem quamdam praeseferens, et tandem ostendens amaritudinem. Uterinis subvenit affectibus, cor roborat, et croci in condiendis, parandisve dapibus praestat vicem. Exhiberi autem solet praedictorum usuum gratia jus decocti florum ejus bibendum, aut infundendum. Sunt qui *Xochipaltic* vocent. Sunt et qui *Hoactzinxochitl.* Provenit verò *Cuixci*, et *Tototepeci* calidis quibusque locis, apud quos cortex ligni curat a gallica lue ortas eruptiones laevigatus, et inspersus; nuclei etiam fructus resoluti ex aqua, et naribus instillati dolorem capitis levant, et dentibus applicati eorum quoque leniunt dolorem. Sunt qui *Neuhxochitl* vocent.

CAPUT IV.

De tertia HOITZXOCHITL.

Hoitzxochitl *tertia*, quam alii *Hoitzpatlachtli*, seu *latam spinam* vocant, alii verò *Zacateoitztli*, Arbor est folia *Mizquitl* ferens, sed tamen exiliora, intersertis per intervalla binis, latiusculis, et acuminatis spinis, et siliquas magna ex parte octonas hic et illic congestas, rubeasque, et florem exiguum, et pallentem. Folia frigida, et humida temperie constant, et paululùm glutinosa, adstringentique, et inflammationes repellunt. Succus radicum expressus tussi dicitur mederi, quod mirum fortasse cuipiam videatur. Nascitur in calidis, planisque *Oapani* locis, necnon apud *Tepoztlanenses*, ubi *Tehoitzpatlachtli* vocant.

CAPUT V.

De HOITZQUILITL, *seu Olere spinoso.*

Volubilis est spinosum genus, radici innixum transversae, et magnae, et inde producens stipites brachii aequantes crassitudinem: cortex intus candet, medulla verò, aut cor lentum est, scandit arbores, ac eorum petit summa: folia sinuosa sunt, ac velut in novem alia non mediocria in dorsum usque divisa. Cortex hujus plantae devoratur ex aqua, qua libeat, mensura adversùs febres. Provenit in calido, montosoque, et pingui solo.

CAPUT VI.

De HOITZQUILITL *altera.*

Radices profert tenues, candidas, et spithamam longas, unde mittit sinuosa, et angusta folia, binos longa dodrantes, et rubescentia juxta exortum: caules binos prolixos cubitos, quorum apicibus extremis innascuntur capitula oblonga, spinifera, et purpurascentia ex rubeo. Cynarae nostratis saporem imitari videtur, formam verò Sylibi, et est pariter edulis. Nascitur temperatis regionibus, qualis est Mexicana in hortis, ac locis campestribus.

CAPUT VII.

De HOITZQUILITL *tertia, seu Mactlactlanensi.*

Hoitzquilitl, quam alii vocant *Ayohoitztli*, Arbuscula est, cujus stipites dulces sunt. Nascitur in calidis, humectisque regionibus, nec potui ejus facultatem aliam expiscari; meminisse tamen ejus decuit, ut, qui me sequentur, cetera investigent.

CAPUT VIII.

De HUITZQUILITL *quarta, seu Xalatlauhci.*

Spinae genus est hirsutum, horrens aculeis, et subalbescens, edulique radice; quam tamen pingi noluimus, quòd nihil de ea insigne nobis relatum sit: velut neque *Hoitzxo-*

chitl, cujus caulis; et folia hirsuta, atque aspera sunt, et purpurascens praeterea caulis, radix verò magna et surculosa, ac tota planta Anchusae nostrati persimilis, etsi *Xalatlauhcenses* eadem spina *Tzauhtli* permista utantur ad repellendas inflammationes, velut frigida, humidaque, et sapore insigni nullo. Praeterea *Ethuitzocuitlapilli* Spini quoque genus est, foliis constans subalbidis inferné, sed radice longa, crassa, eduli, et impensè dulci, quaeque possit ad Spinae albae genera referri.

CAPUT IX.

De HUITZCOLLÓTLI, *seu arcu spinoso.*

Herba est spinifera, unde nomen, duos dodrantes longa, forma *Metl*, sed foliis tenuioribus. Frigida, humentique natura constat, et saporis est, odorisque insignis expers. Sepimenti vicem praebet. Vidimus eam *Tepotzlani*, parietibus, ac hortorum vallis innascentem; pingi tamen noluimus, quòd permultae aliae species *Metl* essent jam tunc a nobis imaginibus expressae eadem paene facultate praestantes, ad quas et haec visa sit pertinere.

CAPUT X.

De HOITZCOLLÓTLI *altera.*

Volubilis genus est spinis horrentis, folia ferens Mori,

sed mollia, et serrata : florem candidum, et fructum racematim dependentem, cicerum rubeorum colore, et magnitudine, qui primò virides sunt, et deinde coccinei. Frigida, et adstringens planta est, qua ablui solent refrigerii causa febrem patientes. Nascitur apud *Temuacenses* in faucibus montium.

CAPUT XI.

De HUITZPATLI, seu spinifero medicamento.

Radices mittit fibris similes, unde profert folia herbacea, longa, angusta, spinosaque, unde nomen, luteos, et orbiculares flores, ac compositos in spicas. Radix sapore Siser refert, aut Pastinacam. Calida est ordine secundo, et dolorem alvi curat devorata. Nascitur in calidis, montosisque *Thualae* locis, ac floret Decembri.

CAPUT XII.

De HUITZPATLI secunda.

Radice firmatur Huitzpatli *secunda* crassa, sensim gracilescente, fibrataque, unde profert caules spinosos, coccineos, et in eis folia obrotunda, et rara, flores candentes, et modicos ; Frutex verò est sex longus cubitos, insigni sapore carens, et paulisper adstringens, ac odorem spirans Rhois obsoniorum. Pulvis radicis resolutus ex aqua dicitur tumentes testiculos mitigare, ac vulneribus inspersus mederi.

Nascitur in calidis, editisque *Tepecuacuilci* locis, et frigefacienti constat natura.

CAPUT XIII.

De HOITZMALOTIC, *seu acu spinosa.*

Spinosus est Frutex, longiusculis foliis, et angustis, spinulisque horrentibus, et radice crassa, surculosaque. Amarus est, calidaque, et sicca ordine tertio natura. Pediculos interimit, et ulceribus ab illorum ortis redundantia mederi solet, praeter alia, quae tali temperiei convenire possunt.

CAPUT XIV.

De HUITZTLACUATZIN, *seu Tlacuatzin spinosa.*

Radicem profert HUITZTLACUATZIN praelongam, et lignosam, fibratamque, et intra candentem, unde mittit caules prolixos, tenues, et spinosos, et in hominis altitudinem interdum assurgentes; in eis verò folia Salviae forma, et colore similia, sed paulisper ampliora. Radix nonnullam participat amaritudinem, et tamen tumores praeter naturam applicata repellit. Nascitur in planis, frigidisque *Chimalhuacanensibus.*

CAPUT XV.

De YCHIYAHOIZTLI, *seu saniosa planta.*

Radicem fundit brevem, crassam, fibratamque, et ex ea caules purpureos, pennam anserinam crassos, ac tres

spithamas longos; folia Ulmi, fissa per ambitum, ac flores diluti palloris, fulvis punctis distinctos. Diarrhoeas sistit per se, aut incocta *Coachtlacalhoaztli*, quae calida quoque est ordine secundo.

CAPUT XVI.

De TEHOITZTLI, *seu lapideis aculeis.*

Arbor est magnis aculeis horrens, et folia ferens avium pennis similia, flores luteos, et siliquas magnas. Frigida, et adstringenti temperie constat. Repellit praeter naturam tumores, dolorem capitis admota sedat, ac vulneribus medetur. Nascitur in collibus agri *Yacapichtlensis*, ubi illam curavimus delineandam.

CAPUT XVII.

De TEHOITZTLITEPITON *Chietlae.*

Arbuscula est spinosa, Frutexve foliis Legumini proximis, et adstringenti natura: cui innascitur aliud genus *Totocuitlatl*, Viscive, foliis longiusculis et angustis, orbicularique, et parvo fructu; quamobrem curavimus depingendam. Nascitur prope *Chietlam*, unde impositum est cognomen. Est et *tertia Teoitztli*, foliis *Mizquitl* parvis, siliquis amplis, longisque, et spiniferis stipitibus, tumoribus utilis, Leguminis sapore, frigida temperie, et in quamdam amaritudinem inclinans.

CAPUT XVIII.

De HUITZCOATL, *seu serpente spinoso.*

Frutex est spinosus, surculosae insistens radici, unde prodeunt lignosi caules, lutei, spinisque horrentes, et in eis folia parva, ternaque, et Lycio similia, ac flores exiles, et candentes. Radix est impensè amara, glutinosaque, et adstringens; quamobrem tumoribus praeter naturam dicitur egregiè mederi, et coërcere dysenterias. Sunt qui *Ezpatli vocent.* Nascitur in locis temperatis *Tepexicensibus.*

CAPUT XIX.

De HUITZCOAPATLI, *seu medicina colubri spinosi.*

Radicibus insistit longis, et tenuibus, unde profert caules, et in eis folia Rutae, longiuscula, angustaque, hirsuta, et subalbida, ac flores in postremis caulibus modicos, et purpureos. Adstringens est, et nonnihil calida. Pulvis radicis inspersus ulcera curat. Nascitur *Acatlani Mistecae* inferioris.

CAPUT XX.

De HUAPAHUIZPATLI *prima, seu medicina tensionis.*

Herba est radicibus insistens fibris similibus, unde eduntur caules dodrantem longi, tenues, ac teretes, et in eis folia rutaceis duplo majora, serrata oblongaque. Radix est

amara, et cujusdam acrimoniae particeps, gustu resinam olens, glutinosaque, calefaciens, et exsiccans ordine tertio. Eadem tusa, atque devorata medetur colicis; idem praestant folia unciae unius mensura aut ingesta, aut infusa. Nascitur *Acatlani Mistecae* inferioris, temperatis locis, campestribusque, nec rarò in jugis, aut acclivibus montibus. Aliam vidi *Tepaparecae* eodem nomine, forma, et natura, sed odore gravi, si gustetur, nec glutinosa, aut resinoso sapore; quam corpori illitam ajunt tensioni, et totius corporis dolori mederi.

CAPUT XXI.

De HUAPAHUIZPATLI *secunda.*

Arbor est magna, foliis Pruni, parvisque, et albis floribus. Cortex Vulpeculam, aut Vespertilionem olet, calidaque, et sicca constat natura. Uncia una ejus ex vino *Metl* devorata, aut eodem pondere infusa renibus medetur; nam et frigus pellit, et urinam provocat, extergitque vias; tensioni etiam confert, unde nomen. Nascitur in collibus temperatarum regionum *Tepexici Mistecae* inferioris.

CAPUT XXII.

De HUAPAHUIZPATLI *tertia.*

Herba est fibratae insistens radici, unde profert caules volubiles, tenues, teretesque, et in eis folia singulis ramis

terna, ac velut rhomboidali figura, ac flores media parte coccineos, ac media luteos. Radix temperato calore constat, et est nonnihil dulcis, et adstringens. Radices, foliaque tosta, tusa, ac devorata ex liquore quopiam adstringenti, drachmae unius pondere matutino alvi medentur fluxionibus. Nascitur in calidis, planisque locis *Acatlani*, nempe *oppidi Mistecae* inferioris.

CAPUT XXIII.

De HUAPAHUIZPATLI *quarta.*

Radici insistit crassae et surculosae, unde profert caules multos, hirsutos, fuscos, et tenues, et in eis folia Origani, circinata, et magis acuminata, hirsutaque, luteos flores, compositos in corymbos orbiculares, et parvos. Amara est, calidaque, et sicca ordine ferè tertio, dolori ventris medentur a frigore orto radices tusae, et devoratae unciae unius pondere, appositae verò tumoribus praeter naturam, et ulceribus, aliaque praestant auxilia, quae solent ab hujusmodi proficisci temperie. Nascitur in temperatis collibus, praeruptisque *Acatlani* locis, quod oppidum est *Mistecae* inferioris.

CAPUT XXIV.

De HUAUHPATLI, *seu Huauthtli medicina.*

Huauhpatli radices fundit longas, et tenues, unde prodeunt caules exiles, et prolixi, ornati foliis Lini, longiuscu-

lis, et angustis. Calida est prope tertium ordinem non sine quadam siccitate. Pulvis, succusve radicum dicitur mederi oculis, et argemata discutere, pectoris opitulari doloribus devorata radix, foliave pectori applicata, necnon vetustis ulceribus conferre. Radix est dulcis cum quadam amaritudine. Nascitur in calidis collibus *Acatlani Mistecae* inferioris.

CAPUT XXV.

De HOACTZINXOCHITL, *quam alii Hoacxochitl, alii verò Hoactzinquahuitl vocant.*

Arbor est magna, folia Olivae ferens, Myrtive, angusta, longa, et pungentia, et flores coccineos. Duorum est generum, forma, et facultate parùm differentium; quorum alterum latifolium est, et tenuifolium alterum. Fructum fert zizyphis similem, desinentem in mucronem, et includentem nucleum Oleae persimilem, viridem, tenerumque, humenti temperie constantem, et natura temperatè calida. Radix est dulcis, ac lubrica, calidaque prope quartum ordinem, et guttur urens. Admovetur cortex radicis tusus, ac resinae permistus pectori adversùs ejus dolorem, tussim, et anhelitum difficilem; est enim pectori valde amicus, naribus verò ex aqua instillatus pituitam trahit, et dolorem dentium placat; quin semunciae pondere devoratus bilem, et pituitam detrahens idem praestat efficaciùs. Nascitur in col-

libus calidis *Ytzocani*, necnon *Tepexici Mistecae* inferioris. *Panucenses* vocant *Quimichyxilihuani.*

CAPUT XXVI.

De YHYYOPATLI, *seu anhelitus medicina.*

Arbor est folia Amygdali ferens, in postremis ramis coacervata, floremque candentem, et modicum. Amara est radix, calidaque, et sicca ordine tertio. Folia tusa, ac unciae unius pondere per se, aut cum *Chilli* devorata, tollunt ventris dolorem, frigus pellunt, medentur colicae, ac flatum discutiunt, asthmatique opitulantur, unde videtur ortum nomen. Provenit in calidis *Tonallae*, non longè a *Misteca* superiori.

CAPUT XXVII.

De HOEIQUAHUITL, *seu arbore magna.*

Arbor est magna, folia ferens obrotunda, et firma, odore insigni carentia, frigidamque praeseferentia naturam. Febribus eadem adversantur illita corpori, et ulcera trita, atque inspersa curant. Nascitur *Mayanalani* campestribus, ac montosis locis.

CAPUT XXVIII.

De HUEIPATLI, *seu magna medicina.*

Radici innititur Hueipatli crassae, et longae, e qua multos fundit stipites, teretes, virore tinctos diluto, foliis re-

fertos ternis, angulosis, et pinguioribus, et flores parvos, subalbescentes. Bibitur radix contra febres unciae unius pondere. Nascitur *Teotihuacani*.

CAPUT XXIX.

De HUEIPATLI *secunda.*

Radici innititur Hueipatli crassae, et fibratae, candentique, unde profert caules exiles, longos, volubiles, et in eis folia Alsines, rara, et per intervalla bina, ac flores candentes, et modicos. Amara est, glutinosa, nonnihil acris, calefacientisque, et exsiccantis naturae. Radix semunciae pondere epotata urinam evocat, diarrhoeas sistit, dysenteriisque medetur. Nascitur in montibus frigidis, aut temperatis, quales sunt Mexicani. Sunt qui *Tzipipatli* vocent, etsi reperiatur altera *Tzipipatli*, de qua dicemus suo loco.

CAPUT XXX.

De HOEITLACOTL, *seu virga magna.*

Hoeitlacotl, quam alii *Ytzitzine* vocant, Arbor est magna, foliis oblongis, serratis, ac cirrhis per intervalla, fructuque malorum forma, et inaequali magnitudine. Nascitur *Tetzcoqui*, nec quidquam de ejus facultate, aut viribus memoria dignum ab incolis accepi.

CAPUT XXXI.

De HOEIXOCHITL, *seu Omiquilitl.*

Radice firmatur surculosa, unde profert caules foeniculaceos, teretes, purpurascentes, hirsutos, et per intervalla geniculatos, et in eis folia rara, magnaque, et cordis figura, infernè subalbida, et multis distincta interveniis. Olent haec, sapiuntque Anisum, aut nostratem Acacalida. Contusa, ac resoluta ex aqua propinatur recenter enixis: calidam enim esse apparet, siccamque ordine secundo, et subtilium partium. Sunt, qui eadem illinant febricitantium corpora, asserantque ita finiri febres, et ob eamdem rem jubeant decoctum ejus epotari. Caules edules sunt crudi, coctive, aut saccharo, melleve conditi, et restaurare dicuntur tabescentes, aut nimia venere exhaustos; jus etiam decocti propinatur adversùs tormina ventris, doloremque, ac flatum discutiendum; quin recens natos infantes eodem abluunt, creduntque ita membra omnia corroborari, et eos, quos laesit accessus ad enixas, aut menstruo sanguine manantes, in pristinam sanitatem reducere, evocare urinam, ac menses elicere. Haec est eadem cum ea, quae scripta est Libro primo, Cap. CXXIX. et fortassis cum ea, quae sub *Acuei* nomine Libro tertio Cap. XLI.

CAPUT XXXII.

De YHYOTL, *seu halitu.*

Arbor est folia ferens *Hoaxin*, siliquasque persimiles. Sicca est, et adstringens, nec omnino sine calore, et amaritudine. Diarrhoeas sistit, et aliis etiam defluxionibus opitulatur. Flos est albus, et modicus. Nascitur in calidis *Oapanensibus.*

CAPUT XXXIII.

De HOELICPATLI, *seu suavi medicina.*

Herba est duos dodrantes longa, foliis Rutae, aut Leguminis, Siliquis parvis, tenuibus, teretibusque, floribus coccineis, modicis. Radix est frigida, glutinosa, atque adstringens. Sistit dysenteriam, ac lumborum dolores unciae unius mensura devorata placat, eorumve, qui longo itinere, aut laboribus improbis defatigati sunt. Nascitur in montibus frigidae regionis *Hoitzilacensis.*

CAPUT XXXIV.

De HOELICPATLI *expurgante.*

Radices agit surculosas, et longas, gustu gratas, unde nomen (*Hoelicpatli* enim est *suavis medicina*) ex quibus edit caules volubiles, et in eis folia cordis figura, sed latiora. Vacuat humores per inferna radix unius ferè unciae ponde-

re devorata. Solet autem propinari ab Indis hoc pharmacum his, qui lassitudinem morbificam patiuntur, necdum in aegritudinem inciderunt. Nascitur in montibus regionum calidarum.

CAPUT XXXV.

De HOELICPATLI, *seu Ytzcuinyoyotli.*

Hoelicpatli, quam alii *Ytzcuinyoyotli*, seu *canis sonalem* vocant, Arbuscula est Persici magnitudine, foliis Mali Medicae, sed aliquantò minoribus, non sine venarum copia, fructu luteo, Paeoniae non absimili, referto granis Mali Medicae candentibus, et oblongis. Sapor fructus est aliquantisper acris, caloremque videtur praeseferre ordinis secundi; glutinosus quoque est; quo fit, ut labantes dentes mirum in modum firmet, ac restituat. Foliis hujus arboris carnibus inmistis trucidari solent pantherae, lupi, leones, aliaque immania, atque noxia animalia. Lac fructus curat impetigines, et lichenas. Nascitur in calidis *Ytztolucae* locis, montosis, editisque, et in temperatis *Xoxopanci.*

CAPUT XXXVI.

De HOELIC.

Radicem fundit tenuem, ac longam, e qua prodit caulis quaternum dodrantum, tenuis, et lignosus: folia in summis ramis Rosmarini coronariae, sed exiliora, et flos in culmine

calycum figura purpureus. Frigida constat temperie. Jus decocti radicum bibitus loco aquae curat febres, confert dolori renum, abstergitque eos semuncia radicum ex aqua devorata.

CAPUT XXXVII.

De HOACTZINXOCHITL, *seu flore arenti parvo.*

Arbor est magna, foliis in postremis ramis numerosis, coacervatis, longisque, angustis, et cuspide pungentibus, floribus inodoris, illis Tithymali Characias vocati similibus, ad cujus species videtur attinere. Cortex radicis laevigatus, et epotus binorum scriptulorum pondere per superna atque inferna vacuat pituitosos succos. Radix internè viret, sed cortice tegitur fulvo, aspera valde, ac *Tezontli* similis. Calida est, et salivosa, uritque gustata guttur, pungitque. Provenit in calidis *Yauhtepecensibus*, *Yacapichtlensibus*, et *Quauhnahuacensibus*, multisque aliis in locis, ubi montosa, et hortensia occupare, atque exornare solet.

CAPUT XXXVIII.

De HOACXOCHITL, *seu flore arenti.*

Arbor est magna, ramis fuscis, ac longis, et impensè angustis foliis. Ajunt *Ytztolucanenses*, apud quos nascitur, corticem ejus calidum esse, frigusque, et tumores praeter naturam exterminare; verùm cùm is mihi insipidus visus sit, ac

nullum praeseferre caloris sensum, frigidum ego potiùs judicavi, et inflammationes ea temperie posse repellere, calidumque innatum firmare, atque ita pellere distemperiem frigidam.

CAPUT XXXIX.

De HOITZITZILTENTLI, *seu rostro Hoitzitzilin.*

Volubilis planta est, lacte manans, foliis cordis figura, asperis, fructu cucurbitis longis simili, subalbido, et depicto semine, necnon lanugine argentea referto. Frigida, humentique temperie constat, et ideo inflammationes admota repellit. Nascitur *Ytztolucae* montosis, ac calidis locis.

CAPUT XL.

De altera HOITZITZILTENTLI.

Radici insistit fibratae, albaeque, unde caules eduntur partim virides et partim candescentes, folia Betulae, sed magis acuminata, serrata, et mediocris magnitudinis, flores verò candentes, et parvos. Medetur ulcusculis oris puerulorum, et tamen calida est siccaque ordine tertio, odora olfactu, et gustu. Nascitur in campestribus, calidisque locis *Hoaxtepeci.*

CAPUT XLI.

De tertia HOITZITZILTENTLI.

Folia profert Amygdali, serrata, minora tamen. Usus

est tantùm floris, qui ruber est, et prolixus, ac toto caulis, qui candidus est, procursu pendens ab eo. Provenit *Quamimiltzinci*, quo loco inventam depingi passus non sum, velut Medicinae inutilem.

CAPUT XLII.

De HOITZITZILTENTLI *quarta.*

Volubilis genus est vocato Iasemino forma persimilis, coloreque, et imagine totius plantae, foliis longis, et angustis: flos, ut ajunt, candidus est, sed minimè odorus. Frigida constat natura, ac provenit *Ocoituci*, et apud *Hoaxtepecenses* saxosis locis, ubi ajunt lac ejus leprae mederi.

CAPUT XLIII.

De HOITZITZILTENXOCHITL, *seu flore rostri Hoitzitzillin.*

Hoitzitziltenxochitl, quam alii *Cococxihuitl*, seu *acrem herbam*, alii verò *Hoeitlepatli*, seu *medicamentum igneum*, *et magnum* vocant, Ranunculi species quaedam est peregrina, hirsutis foliis, et radicibus Asphodelo similibus, sed tenuioribus. Urentis est naturae, et tamen ab Indis unius drachmae pondere adversùs ventriculi, et pectoris frigidas affectiones mos est devorari. Nascitur in frigidis, ac humentibus locis, quales sunt *Temuacenses.*

CAPUT XLIV.

De HOITZITZILTENXOCHITL *altera.*

Herba est radices parvas fundens, et ex his caules multos, nigros, et lignosos, folia Hyperici, sed tenuiora, et flores rubeos, oblongos, quorum est in coronamentis tantùm usus.

CAPUT XLV.

De HOITZITZILXOCHITL *prima.*

Herba est folia ferens Alsines aquaticae, majora tamen, et acuminatiora. Calida, siccaque temperie ordine tertio constat, Origanum resipit, et nonnihil est amara. Tusa, immistaque medullae cervinae pellem feminarum extergit, et maculas, vitiaque omnia faciei emendat, et tollit. Nascitur in montibus *Tlacubayae*, quod oppidum Mexicanum temperie imitatur.

CAPUT XLVI.

De HOITZITZILXOCHITL *secunda.*

Herba est radicem fundens surculosam, et ex ea stipites quadratos, et geniculis per intervalla interceptos, quatuor dodrantes prolixos, folia Ocymi, mollia, infernè albescentia, hirsutaque, flores purpureos, longos, et exiles, ac fructum nullum. Folia calefaciunt, et exsiccant ordine tertio. Eadem pugilli mensura devorata ex aqua febrium

arcent horrores. Radix est supervacua. Nascitur montanis, saxosisque locis, necnon juxta aquas regionum temperatarum, qualis est Mexicensis.

CAPUT XLVII.

De HOITZITZILXOCHITL *origanina.*

Frutex est ab una radice multos proferens ramos, lignosos, et in his Origani folia, unde est illi impositum cognomen; floresque coccineos, incurvos, et teli, quod *alabardam* vocant, persimiles. Odor est Salviae, sapor amarus, temperies ordine tertio calens, atque sicca, partiumque subtilium. Sunt, qui dicant punctis auxiliari, corde fortassis corroborato, et humore per meatus corporis expulso, aut proprietate quadam occulta, et incerta. Peculiare est ei flatus discutere, juvare coctionem, perfrigeratis membris mederi, dolores a frigida causa ortos sedare, ac in intestinis retentas emundare faeces.

CAPUT XLVIII.

De HOITZITZILXOCHITL *Mexicensi.*

Radicem fert magnam, et surculosam, pallentemque, et ex ea luteos caules, ornatos foliis ocyminis, serratis, minoribus tamen, et per intervalla coacervatis: flores coccineos, et oblongos, calyculorum figura. Usus est tantùm floris. Nascitur in agris Mexicanis, unde cognomen.

CAPUT XLIX.

De HOITZITZILXOCHITL *Tepoztlanica.*

Radicem profert Raphani surculosam, et ex ea tenues ramos, ornatos foliis longis, acuminatis, angustis, et circa cacumina floribus coccineis, ac media parte cinereis, quorum est tantùm usus.

CAPUT L.

De HOITZITZILXOCHITL *sexta.*

Hoitzitzilxochitl *sexta*, quam alii *Hoitzitziquilxochitl* vocant, herba est radices agens fibratas, unde profert caules tenues, teretes, atque purpureos, saligna folia, minora tamen, et angustiora, flores coccineos in vasculis oblongis, parvisque contentos, pendulosque. Radix calida siccaque constat natura, et amaro sapore, non sine quadam dulcedine. Confert pectori, frigidis affectibus, et urinam evocat, alvum emundat, atque ita demum, si fluxus adsit, sistit, sive infundatur, sive duarum, triumve unciarum pondere devoretur.

CAPUT LI.

De altera HOITZITZILXOCHITL *Tepoztlanica.*

Herba est unicum proferens caulem, sex longum cubitos, et in eo folia Marrubii, serrata, et aspera, sed majora, hirsutaque, caulem toto ejus procursu per intervalla ample-

ctentia, prodeuntibus a foliorum singulis exortibus binis ramulis, minoribus foliolis refertis, eodem per intervalla modo: flores occupant summas partes ramulorum caulis fistularum longiuscularum forma, e pallido rubescentes, ac velut coacervati in capitula. Pulchra herba visu est, nullo tamen sapore, aut odore insigni, sed frigida, et humenti natura; nec vim aliquam ejus medicam accepi. Nascitur *Tepoztlani*, unde cognomen; ubi *Papatlac*, *seu amplam* vocant. Est et alia herba *Tlaztalehualhoitzitzilxochitl*, seu *ex albo rubescens* vocata, fibrata radice, foliis Lini, longis, et angustis, per intervalla quaternis, senisve, et floribus ex albo rubescentibus, unde nomen, longis, vasculorum figura, et compositis in comas: quorum (quod adhuc compererim) tantùm est usus.

CAPUT LII.

De HOITZITZILXOCHITL *octava.*

Herba est radici insistens crassae, et surculosae, unde profert caules tenues, et purpurascentes, ornatos foliolis serratis, cordis figura, floribusque coccineis, atque pilosis, et orbicularibus: cujus nihil in Medicina adhuc egregium accepi. Vidimus aliam plantam eodem nomine, sed forma dissimili apud Aethnam Mexicanam, quae *Chichiontic* quoque vocaretur, et fluxum alvi cohiberet; quam tamen non censui depingendam.

CAPUT LIII.

De HOITZITZILLACOTL.

Radice firmatur surculosa, ex qua profert ramos multos, et in eis folia Chamaedryos, serrata, et flores coccineos, longos, et tenues. Frigida, et glutinosa natura constat; scabieique dicitur mederi imposita, atque illitus ejus succus febri. Nascitur *Xochimilci.* Vidimus aliam eodem nomine plantam apud *Ocoitucenses*, nec viribus dissimilem, sexangulo caule, ac juxta nodos obrotundo semine, coacervatoque, et Coriano prope simili referto; quo loco flores coccinei, rotundi, ac longiusculi, velut *Chilpan*, aut *Chilpanton*, emicuerant, atque pependerant. Est et tertia *Hoitzitzilacotl* foliis ocyminis, sed asperioribus, et flore rubeo, parvo, amara, calidaque constans natura, quae tumores praeter naturam apposita maturat, et rumpit, cutem extergit, intertriginem curat, enixis ducendis in balineum confert, ac Mexicanis nascitur agris: et tandem quarta herbula ferens folia exilia, odorata, ac fimbriata: quae omnes mihi haud tanti visae sunt, ut depingi, aut latiùs describi deberent.

CAPUT LIV.

De HOITZITZILTAPAZOLLI, *seu nido Hoitzitzillin.*

Herba est Origano, aut Pulegio similis, sed floribus ex albo in cyaneum colorem vergentibus, oblongis, et congestis in capitula Stoechadi similia. Calida est ordine secundo, ac lubricitatis cujusdam particeps. Scabiei, et vocatis variolis dicitur mederi. Nasciturque in calidis *Chiauhtlae*.

CAPUT LV.

De HOITZITZILXOCONOCHTLI, *seu Tuna acida Hoitzitzillin.*

Frutex est folia ferens rara, longas spinas, et angustas, florem verò, ac fructum rubescentem, de quo nihil dignum memoria aut reperi, aut accepi.

CAPUT LVI.

De HOLLACOTL, *seu virga resinosa resilienti.*

Frutex est caules ferens purpureos, rotundos, lentae medullae, folia aspera, longa, et serrata, flores luteos, acervatim emergentes. Calida paulisper natura constat; verùm corollas tantùm referunt Indi exornare.

CAPUT LVII.

De HOLQUAHUITL, *seu arbore Hólli.*

Duo sunt hujus Arboris genera. Alterum stipites profert magnos, laeves, fulvos, et lenta refertos medulla, floresque candentes; folia maxima, et orbiculos stellatos rubescentes ex pallido, adhaerentes stipitibus, et refertos fructu ponticis nucibus pari, candenti, lutea obducto membrana, et amari saporis; alterum verò folia Mali Medicae, sed tamen majora. Utriusque Arboris cortex amarus est, calidus ordine tertio, et paululùm lubricus: cujus decocti jus infusum gummi ab Indis *Hólli* vocatum medetur dysentericis, adeo undecumque resiliens, ut pilae palmariae, aut ejus, quae a vento nomen habet apud vulgus, in sphaericam aptatum figuram praestet vices, et ad multa praeterea utile sit. Nam urinam mirè evocat, emundat uterum, sterilitatem admotum vulvae fugat, menstrua elicit, si digito madenti succo *Yoloxochitl*, et *Hólli* vulva, anusque confricentur, et adhuc retentis devoretur *Chichicxihoitl*; diarrhoeis, dysenteriisque opitulatur devoratum per se, aut aliis, quae similibus viribus polleant, admistum, aut si adjectum *Picietl*, et conformatum in pilulas digito in anum, quantùm fieri possit, inducatur; additum cibis impinguat, et permistum vermibus *Axin* vocatis, ingestumque agilitatem quamdam, et ad volubiles corporis motiones promtitudinem

ingenerare dicitur, et ossa emollire, ut faciliùs homines contorqueri, flectique huc, et illuc possint, et corpus more petaurorum jactare, et venerem vehementer excitat. Colicis confert sedi admotum, trahitque alvi excrementa, et dolorem, sitimque sedat; ustum autem argemata discutit: pulvis verò ejus inspersus naribus hemicraneas tollit, capitisque alios dolores sedat, evocat pituitam, ac sternutamentum ciet. Nacitur ultimum genus apud *Mechoacanenses*, ubi *Tarantaquam* vocare consueverunt; primum verò *Mecatlani*, et *Yualapae*. Hoc est gummi illud nobile, quo Indi olim exercere solebant ludum *Patei*, spectatu mirum, quem cura Cortesii videre aliquot ab hinc annis Hispani. Folia sicca, et laevigata dicuntur leones, et alia animalia interficere.

CAPUT LVIII.

De HOLQUAHUITL *Quauhquechullae.*

Frutex est hominis aequans altitudinem, foliis obrotundis, multis distinctis interveniis, magnisque, et scabris. Frigida, et humida praeditus videtur natura; qua opitulatur febrientibus. Nascitur *Quauhquechullae*, unde cognomen.

CAPUT LIX.

De HUIRAPETI, *seu Huirapecuri.*

Herba est radices fundens surculosas, caules lignosos, fo-

lia Rutae, subalbida, parva, longiuscula, et angusta, in procursu caulis, qui tres dodrantes aequat altitudine. Saporis insignis, atque odoris est expers trita radix, ac liquefacta ex aqua morbis oculorum opitulatur, idemque praestat illius succus. Frigida, siccaque natura constat. Nascitur in vallibus *Pazcuari*, qui ad frigidam temperiem spectare videntur.

CAPUT LX.

De HUAPAQUILITL.

Huapaquilitl, seu *Olus durum*, radice firmatur geniculata, capillataque; unde profert caulem, et ab eo permultos ramulos, tenues, teretes, et volubiles, foliis ornatos sinuosis, mediocris magnitudinis, et inaequalibus, et floribus aureis per ambitum ac circa mediam partem coccineis, stellatis, ac fibratis vasculis contentis. Olus est edule, calidaeque, et siccae temperiei, nec absimili sapore constans alterius Sisymbrii, quod olim descripsit Dioscorides. Nascitur in calidis, temperatisve, et aquosis locis. Est et alterum olus eodem nomine, et paene forma, radici insistens fibratae, unde profert caules purpureos, hirsutos, teretes, sed altera parte striatos, folia oblonga, serrata, pennatis appensa pediculis, ac luteos in supremis caulibus parvosque flores, quibusdam cristis adnascentibus. Radix est gustu suavis, ac mediocri praedita calore. Folia tusa

appoſitaque diſcutiunt praeter naturam tumores. Provenit *Xalatlauchi*, frigido nempe loco, juxta aquarum fluenta.

CAPUT LXI.

De HURAPETI, *ſeu herba candidae radicis.*

Radicem profert longam, craſſam et candentem, unde nomen, ex qua funduntur tres, aut plures caules, et in eis folia oblonga, mediocris magnitudinis. Radix redacta in farinam, atque epota, dolorem ventris ſedat, quod etiam praeſtat jus decocti ejus; eadem illita ventri, epotave obſiſtit diarrhoeis. Radix eſt amara valde, calidaeque, et ſiccae ordine tertio temperiei, atque ita pectoris, et capitis dolores tollit, ſi pectori, frontive illinatur. Naſcitur *Pazcuarinis* agris provinciae *Mechoacanenſis*. Sunt, qui dicant devoratam radicem drachmae unius pondere febribus, atque in eis ortis punctis mederi.

CAPUT LXII.

De AHUAHUAUHYO, *ſeu herba ſimili Ahuauhtli.*

AHUAHUAUHYO, quam alii *Chichixihuitl* vocant, radicem craſſam, et longam mittit, ramos ſarmentoſos, cavos, et paululùm coccineos, folia tenuia, ad Mali Perſicae formam accedentia, ſemen in extremis caulibus emicans in criſtae formam, velut Bliti, aut Oxylapathi. Somnum ſeu per ſe,

sive permista aliis herbis, ut Capite de *Tecochitixihuitl* dicitur, inducit.

CAPUT LXIII.

De HOAHOAUHTIC, *seu herba simili Ahoauhtli, seu Atriplici agresti.*

Radicibus insistit capillis similibus, e quibus fundit duos, tresve caules, striatos, et in eis folia rara, et flores Atriplicis agrestis, purpurascentes ex albo. Immista haec *Ayahoxochitl* opitulari dicitur inflammationibus, etsi nonnullum calorem praeseferat.

CAPUT LXIV.

De HOAUHQUILITL, *seu Olere seminis in cristam compositi.*

Reperias in hac Nova Hispania plura Atriplicis agrestis genera, quae universim *Hoauhtli*, seu *Hoauhtquilitl* vocare Mexicenses consueverunt, et in hortis suis, atque viridariis magna cura serere, atque excolere, qualia sunt *Tlapalhoaquilitl*, seu *Tlapalhoauhtli*, radice crassa, brevi, et fibrata, unde prodeunt caules rubei, et in eis folia ejusdem coloris, oblonga, et serrata per intervalla, quae elixa eduntur, suntque adeo grati saporis, ut cùm gravi quadam aegritudine Mexici laborarem, nihil cupidiùs, ac id olus, assumserim, ejusve decoctos, conditosque cum oleo, et aceto cauliculos floribus rubeis, et in conos compositis. Praeterea

Nexhoauhtli viridis tota, edulisque, et *Chichichoauhtli*, quae ob amaritudinem locum non habet inter olera, foliis e viridi purpurascentibus, et coccineis floribus, et alia permulta, quorum nec usus est, nec rationem ullam habendam duxi, pro olere magna ex parte eduntur elixa. Frigida, et humenti natura constant. Alvum emolliunt, pannos apposita discutiunt: semen cum aqua mulsa epotum regium morbum (morbus regius: la ictericia.) sanat, et vocatos morbillos ad cutem pulso humore curat. Parant Mexicani e duorum primorum generum semine globulos, ac potionem *Michihoauatolli* vocatam, qua utuntur velut gratissimo cibo. Folia tusa, et *Hoilanqui* permista, inspersaque dicuntur ulcera extergere, carnem generare, exedereque superexcrescentem, et cicatrice tandem obducere; quin ranam eisdem involutam, coctam, atque ingestam prodesse dysentericis ferunt. Nascuntur calidis, ac frigidis locis, campestribus, et humectis sua sponte, et in hortis satae, ac cultae.

CAPUT LXV.

De HUACALXOCHITL prima flore cavo.

Dracunculi species est peregrina, volubiles proferens caules, et in eis folia oblongorum scutorum figura, flores media parte candentes, ac media luteos, teretes, et longos, minimi digiti crassitudine, pudendum virile imitantes, in-

clusosque quibusdam vasculis interna parte coccineis. Quarto ordine cum siccitate calet, ac eisdem, quibus Aron, viribus praedita est. Flores habebantur ab Indis in magno pretio, offerebanturque congesti in manipulos floridos heroibus, et his, quos *Tlatoani*, quòd eis solis loqui in hominum consensibus liceret, vocabant. Idem conjectus in aquae cados, doliave suavem odorem aquae conciliant. Nascitur temperatis, ac calidis regionibus.

CAPUT LXVI.

De HUACAXOCHITL *secunda.*

Dracunculi est altera species, radici insistens orbiculari, fibrataeque, molli vestitae cortice, ex qua unicum profert caulem, laevem, teretem, ac baculi crassitudine, sex dodrantes prolixum, et in ejus suprema parte folia oblonga, septena, et similia foliis quorumdam nostratium Dracunculorum; profert insuper alium caulem longè breviorem, cui appendet fructus acinosus, primò viridis, ac deinde luteus. Urenti facultate constat, velut et alii Dracunculi, quibus est congener. Sunt, qui *Huacalxochitic* vocent, seu *similem Huacaxochitl.* Fructum cauli appensum imponunt venatores umbellis cristae loco, ut pinguior, atque paratior eis praeda contingat; mercatores verò ita pinguius sperant obtenturos lucrum. Nascitur in locis calidis, et aquosis *Tepoztlani.*

CAPUT LXVII.

De TETLAXINCAXOCHITL, *seu Flore adulterino.*

Non ob aliud Herba haec magna, Frutexve TETLAXINCAXOCHITL vocata est, quàm quòd Moteccumae, Mexicanorum olim domini, concubinae, quae innumerae erant, ejus flore pudendi virilis loco ad obscaenam, et naturae legibus adversantem venerem exercendam, cum viri non suppeteret copia, uterentur. Viridis est tota, hominis altitudinem aequans, et interdum etiam vincens; folia fert impensè lata, ac similia foliis ejus Ari, quod Platanum Hispani, ad quos delatus jam est, vocare consueverunt, alii verò *Naume*, sed a dorso ad margines usque secundùm nerveos discursus transversim discissa, nec tamen omni ex parte, sed ovorum forma, ac interdum rotundis quibusdam foraminibus variata. Fructus est cucumeris mediocris forma, et magnitudine, nempe dodrantalis longitudinis, ac ternos digitos crassus, virens, ac quadamtenus similis *Coloto.* Constat hic granulis quampluribus, sexangulis, internam constipantibus basim, ac circa medium cavitatem quamdam praeseferentibus, oculorum forma, extuberante media velut pupilla fissa, fulvi coloris, hiantibus, si divellantur inter sese, velut nuces Cupressi solent. Tam folia, quàm fructus frigida constant temperie, atque ita conferunt diarrhoeis a calore ortis, et mem-

bris internis, atque externis distemperie calida vexatis, et imposita, et devorata. Ferventibus exsultat regionibus, irriguis locis, et campestribus, ac praecipuè juxta lacus, et stagnantes aquas, scandens arbores, quibus plerumque innascitur. Toto viret anni discursu, et Septembri mense profert florem.

CAPUT LXVIII.

De OCUMAXOCHITL, *seu simiae Flore.*

Ocumaxochitl Ari quoque est quarta species, folia profert in longorum quorumdam pediculorum summa parte septena, foliis Mali Medicae, majora, medium tamen illorum maximum, radices fibrarum forma; florem quoque *Hoacaxochitl* similem. Temperies est, quae ceteris congeneribus ferè plantis. Nascitur in calidis regionibus. Florem aestimant maximi Mexicani, offeruntque Regibus, ac Diis, sperantes vel hoc solo obsequio illorum gratiam affatim aucupaturos.

CAPUT LXIX.

De QUAUHNENÉQUI, *seu excelsitatis amatrice.*

Species est *Huacaxochitl*, sed foliis minoribus, flore verò persimili, sed media ligula candenti, ac viridante intrinsecùs vasculo, radice brevi, et fibrata, foliis pallescentibus, rubescentibusque parte inferna. Natura constat frigida, siccaque, et adstringenti. Diarrhoeas compescit, et

membris defluxu elanguescentibus roborandis est aptissima. Ferventibus nascitur regionibus, ac locis palustribus, et Septembri mense floret. Sunt, qui ob depictos more dracunculorum caules *Tlacuilolquahuitl* vocent.

CAPUT LXX.

De altera QUAUHNENÉQUI.

Minoris Dracunculi species est QUAUHNENÉQUI, sed excelsas scandit arbores, toto caulis procursu agens radices, folia septenis dividuntur sectionibus, caules non sunt variati coloribus, aut radix desinit in bulbum orbicularem, sed attenuatur sensim; cetera similis est Dracunculo minori a recentioribus imagine expresso; quamobrem depingendam hanc plantam minimè curavi. Lubricus est caulis, initioque apparet frigidus, sed mox ingentem praefert acrimoniam.

CAPUT LXXI.

De CARAMAQUA.

Species etiam est *Huacaxochitl*, seu Ari, sed floribus interdum candidis, interdum verò rubescentibus. Cujus radix, quae tenera, candida, et fibrata est, in farinam redacta humores omnes drachmae unius mensura purgare dicitur. Nascitur *Tarecuati* provinciae Mechoacanensis.

CAPUT LXXII.

De QUEQUEXQUIC, *seu lancinantis radicis planta.*

Species est Ari, foliis *Ñaumae*, verùm duplò majoribus, flore *Huacaxochitl*, sed omnino candentis, ac pallescentis vasculi. Urenti constat, sicut ceterae paene differentiae, natura: edi tamen cocta solet, ac Brassicam sapit.

CAPUT LXXIII.

De YXTLILXOCHITL, *seu Flore supernè nigro.*

Volubilis genus est, foliis Sagittae, calidaque, et salivosa natura, et acrimoniam quamdam postremò ostendente. Et quamquam res ita se habeat; posset quispiam existimare in Ari species referendam, aut *Huacaxochitl* ab Indis vocatae: nam tametsi in aquis nascatur, ac prominentioribus quibusdam alis, quae residuum folium aequare videntur, Sagittam a Plinio vocatam juxta easdem nascentem imitetur; quoniam tamen temperie Aron aemulatur, neque est forma valde dissimilis, ab ea fortassis sententia non queat avelli. Lacte ejus discutiuntur ungues oculorum, argemataque, et leucomata, et succurritur eorumdem tumoribus.

CAPUT LXXIV.

De TLILTOLLIN, *seu Iunco nigro.*

Ari videtur species, folia enim profert Ari foliis similia, purpureos flores in suprema caulium parte, et radices capillis similes. Caulis est purpureus, digiti crassitudine, ac Jaspidis modo quibusdam in partibus varium. Frigida temperie constare videtur, etsi acribus quibusdam, et mordentibus partibus non vacet.

CAPUT LXXV.

De QUEQUEXQUIC, *quam Hispani Platanum vocant, et Lusitani Naume.*

Ari est species, cujus radix per annonae caritatem decocta estur, neque insuave praebet alimentum, etsi cruda calida sit, et vehementer mordenti natura. Hanc nonnulli Petasitem Dioscoridis esse credunt, alii verò Fabam AEgyptiam veriùs, quemadmodum per majus otium planè ostendemus.

CAPUT LXXVI.

De altera QUEQUEXQUIC.

Species est Sagittae Plinianae, sed longioribus foliis illa, quàm Mathiolus exhibuit. Frigida est, et humida natura, et similis *Hoacaxochitl lancinanti*, unde sumsit nomen.

Nascitur intra aquas Mexicanae paludis.

CAPUT LXXVII.

De HUÁCALLACOTL, *seu virga striata.*

Frutex est quinque cubitos longus, foliis asperis Rubi Bati, floribus caeruleis in corymbos compositis, fructu nigro, moris Bati persimili, tribus granulis tamen constante, et purpurascentibus caulibus. Frigida, et sicca natura constat, neque quidquam aliud de ea planta ab Indis valui extorquere; posset autem in Rubi Bati differentias, sed minimè spiniferi, ut quidem existimo, referri.

CAPUT LXXVIII.

De HOILTEQUI, *seu sarta radice.*

Sic vocata est haec planta, quod radicis superior pars candida sit, et inferior rubea. Herbula est sex uncias vix superans, radice tamen longiore, et surculosa, extra colore praedicto, intra verò candenti: folia fert Violae luteae, albaeve flore, et caule vacat. Frigida, humentique constat natura, adeoque glutinosa, ut species *Zacacilin* videri possit. Utuntur ea Indi Medici adversùs febrium impetum; sed conglutinis cum sit, et refrigerantis facultatis, alios satis utiles pro eis viribus praestabit effectus. Nascitur *Totolapae*, regione algenti, et locis montosis gaudet, atque exsultat.

CAPUT LXXIX.

De HOILTECPATLI, *seu ventris medicina.*

Radicem fundit e candido vergentem in luteum, pollicarem, et fibratam Hoiltecpatli Herba, quam alii *Tlatlahuicpatli* vocant, caules dodrantales, folia Lini, tenuia, et longiuscula. Radix semunciae pondere medetur asthmati, pectorique; in pulverem verò redacta, et inspersa ulceribus pudendorum confert. Nascitur regionibus calidis, calidaque, et sicca praedita est natura.

CAPUT LXXX.

De TLECUITLAHUILTEQUI.

Radicem fundit surculosam, caules multos, tenues, teretesque, et in eis folia *Tenamaznanapaloa*, aut Leguminis, flores rubentes, et siliquas subluteas in ramulis geniculatis. Frigida natura constat, salivosaque. Repellit tumores praeter naturam, ac medetur ulceribus cortex radicis ejus; sapore verò est Leguminis: pulvis fluminibus inspersus piscibus torporem inducit, ita ut admodum facili opera capi possint a piscatoribus. Provenit in collibus *Temimiltzinci*.

CAPUT LXXXI.

De HOITZTECOLXOCOTL.

Arbor est mediocris, fructum ferens nucis abellinae magnitudine, et forma, refertum callo quodam thuri persimili odore, colore verò ex albo nigricanteque promiscuè commisto. Provenit *Teotlalci* montosis, calidisque locis. Quod intra fructum continetur, ulceribus gutturis mederi solet tritum, atque inspersum, epotum verò atque illitum tumores praeter naturam maturat, et rumpit.

CAPUT LXXXII.

De HOITZTECOLXOCHITL.

Reperias multas hujus plantae differentias. Omnium prior folia vitiginea fundit, flores magnos ex rubro candescentes, ac quinis foliis insignes. Altera majora folia, ac flores rubescentes e candido. Utraque frigida, humentique, et glutinosa constat natura, etsi frequentior sit florum ad coronam, quàm partis alterius ad medicinam, usus. Secundam speciem vocant nonnulli *Yztàchoitztecolxochitl*, quòd flos in candidum magis, quàm in rubeum colorem inclinet. Utraque provenit in calidis, ac ad temperiem attinentibus plagis, qualis est Mexicana, et *Hoaxtepecensis*. Est et tertia species, cujus folia praecedentibus similia sunt, sed flos ru-

bicundior, *Hoitztecolxochitl* etiam nuncupata. Est et quarta, *Tlalhoytztecolxochitl* nomine, foliis per ambitum rubescentibus ex pallido. Quarum omnium potissimus usus desumitur, ut dictum est, ex floribus.

CAPUT LXXXIII.

De HYDROLAPATHO *Indico.*

Offendi juxta lacus hujus Orbis Lapathi quoddam genus odoratum, ac calida praeditum natura, foliis tamen mucronatis, et nostratium foliis longioribus; de quo nihil notatu dignum accepi.

CAPUT LXXXIV.

De HOILANQUI, *seu Herba per terram repente.*

Radices fundit Hoilanqui longas, et tenues, cortalium pennas crassitudine imitantes, caules multos, purpureos, et valde exiles, exilia quoque folia, et mucronata. Universa planta minutissimo et copioso semine est referta, vesiculis quibusdam cordis figura contento. Frigida, et sicca constat natura, ac permista *Hoauhtli* ulceribus dicitur mederi.

CAPUT LXXXV.

De HOITZTAPALXOCHITL, *seu Flore spinae solutae.*

Duae sunt hujus plantae species: altera *Ytztontli* dicta, seu *parva novacula*, angustioribus foliis, ac flore pallenti, de

qua suo loco est dicendum ; altera latioribus , ac purpureis flosculis, de qua modò : radicibus innititur fibris similibus, unde profert caules quadrangulos, et in eis folia lata, hastarum mucronibus similia , ac flores oblongos, et purpureos, calyculorum forma , non sine quibusdam capillamentis in capitula lutea desinentibus. Florum , odoramentique praestat usum.

CAPUT LXXXVI.

De YTZTAPALXOCHITL, seu novacula soluta.

Ytztapalxochitl, quam alii *Ytztontli* vocant, Frutex est folia ferens Persici, serrata, luteos, oblongosque flores, et siliquas longas, ac teretes. Amari saporis est, calidaque et sicca ordine tertio natura. Siccata folia, tusaque, et resinae permista scabiei medentur, et tumores praeter naturam discutiunt; eorumdem devoratus pugillus succurrit asthmati, nec desunt, qui dicant ignibus sacris conferre; quod qui fieri possit, ipsi videant. Inveni aliam eodem nomine, foliis tamen minimè serratis, cetera similem. Prior nascitur Mexicanis, et *Tepoztlanicis* montibus; posterior verò *Yacapichtlae*. Ius decocti dolores ortos a causa frigida tollit, et folia laevigata, inspersaque medentur ulceribus.

CAPUT LXXXVII.

De HOAYACAN, *seu Ligno sancto.*

Ita vocant Indi eam Arborem, quam alii *Matlalquahuitl*, seu *cyaneam*; tale enim est ejus cor, seu medulla. Arbor est mediocris magnitudinis, strigosis, et inconditis stipitibus, ac velut spinosis, foliis verò paulò rutaceis majoribus, atque longioribus, et cyaneis floribus. Cortex est cinereus, etsi qui crassiores stipites vestit, sit fulvus. Lignum pallet, ac medulla, ut diximus, cyanea est, unde sumsit nomen. Cortex est abundè amarus, quo fit, ut calidus ordine secundo cum foliis quoque ipsis haberi possit cum manifesta siccitate, etsi medullam non senserim amaram: referre verò, quos effectus praestet in curanda gallica lue, aut quis sit administrandi modus, non putavi ad me modò attinere, praecipuè ad alia properantem; parabit fortassis Deus sedem quampiam tranquillam nobis, ubi majori cum otio, et quiete, latiùsque, et tersiùs, quae modò praestamus, peragentes et Regi maximo, et Reipublicae pro votis inserviamus. Nascitur in calidis *Ytzocanis*, ac *Mistecae* inferioris, quin et apud *Haitinos* copiosè quoque provenit.

CAPUT LXXXVIII.

De HOEHOEXOCHITL, *seu Flore senis.*

Volubilis genus est propinquas arbores amplectentis, foliis Mali Medicae, sed tamen tenerioribus, radicibus numerosis, longis, ac crassis, floribus *Tecomaxochitl*, luteis, magni cujusdam melonis forma, et magnitudine. Floris usum tantùm praestat.

CAPUT LXXXIX.

De HIHUATEN.

Radicibus surculosis innititur, numerosisque, unde profert caules, et in eis folia longa, aspera, et angusta, in summa veró eorum parte flores pallentes, et orbiculares, Chrysanthemo similes. Amara herba est, calidaque, et sicca natura. Radices tusae, et ex aqua matutino epotae, bilim feruntur vacuare per superna.

CAPUT XC.

De HOOXITL.

Arbor est magna, fructum ferens *Huayavis* vocatis similem, sed tamen minorem. In duas secatur eadem species; altera fert poma coccinea, et lutea altera. Edendo utraque sunt pariter cum nucleis, sed a *Huayavis* vincuntur suavitate.

Nascuntur in calidis *Tzotzocolci*; neque ullam de eis medicam accepi facultatem.

CAPUT XCI.

De HUAPAHUALIZPATLI, *seu convulsionis medicina.*

Frutex est hominis aequans altitudinem, foliis ornata longiusculis, et angustis, floribus exilibus, et pallidis, calycum forma, scabris caulibus, et magna ex parte nudatis foliis. Jus decocti cujusvis partis universae plantae propinatur manè, vesperèque tepidum, quinum, pluriumve, si opus sit, dierum spatio, ad motionem amissam restituendam. Frigida, siccaque temperie constare videtur; nam sapore, et odore caret: quamobrem conveniet hos effectus praestare proprietate quadam occulta, aut siccitate, et adstrictione; quod multis aliis medicamentis hujus Orbis videmus evenire. Nascitur *Hoeitlalpae* editis, ac campestribus locis.

CAPUT XCII.

De HUAPAHUALIZPATLI, *seu medicina tensionis.*

Radici insistit obrotundae, et fibratae, unde profert longos pediculos, et in eis folia oblonga, serrata, et sinuosa, praeterea caulem tenuem, teretemque, et in summa parte luteos, et orbiculares flores. Radices semunciae pondere tusae, et ex vino diluto potatae, tensioni, pectori dolenti, aut frigore affecto medentur. Nascitur in frigidis *Tlaxcallae*, servaturque in usus annuos.

CAPUT XCIII.

De HOILACAPITZXOCHITL, *seu Flore plantae volubilis.*

Volubilis planta est, Helxinae Cysampelo similis, tenuibus cauliculis, capreolisque, foliis scutorum forma, floribus ex albo rubescentibus, similibus vasculis, et radicibus capillis similibus. Frigida, et humida temperie constat; quo fit, ut succus instillatus inflammatis medeatur oculis. Nascitur regionibus temperatis, aut calidis, humectis, fertilibusque locis.

CAPUT XCIV.

De TEPEHOILACAPITZXOCHITL, *seu Hoilacapitzxochitl montana.*

Volubilis genus est, quod alii *Yzticmicapatli* nuncupant, saxis sese convolvens. Folia sunt Hederae, serrata, radix crassa, candens, et prolixa, flores coccinei toto ferè caulis procursu, forma calyculorum. Radix succo manat, frigidaeque, et humentis est temperiei, etsi nonnullam amaritudinem participare videatur, partesque naturae dissimiles. Utuntur ea Indi adversùs calorem, et ad tumores praeter naturam repellendos, necnon ad compescendum sanguinem, qui e vulneribus fluit, et curandos oculos inflammatione tentatos, praecipuè si misceatur *Toloatzin*. Duo sunt ejus genera eadem facultate praedita: sed primum folia habet, ut diximus, serrata, et Urticae similia; secundum verò scutorum potiùs un-

dulatorum forma. Naſcitur utraque apud Mexicenſes agros.

CAPUT XCV.

De NÁNACATL, *ſeu Fungorum genere.*

Tot, tamque varia offenduntur apud Novos Hiſpanos Fungorum genera, ut moroſum ſit, ac permoleſtum ſingula aut deſcribere, aut imaginibus demonſtrare; quamobrem conſultò pauca ſingillatim attingentes, quidquid ad doctrinam ſpectare videbitur, aut ad hiſtoriam rerum Naturalium hujus Orbis contexendam, pro occaſione enarrabimus. Ergo ſunt quidam e Fungis apud eam gentem natis lethales, mortiferique, *Citlalnanacáme* vocati; alii, qui mortem ingeſti non inferant, ſed amentiam aliquandiu permanentem, incondito quodam riſu teſtatam, inducant, quos *Teyhuinti* vocare mos eſt, fulvi, acres, et non ingrati cujuſdam viroris. Sunt et alii, qui citra riſum nihil non verſari ſub oculos cogant, velut bella, et daemonum ſimulacra, atque alii non minùs a viris hiſce principibus per ſua praecipuè feſta, et convivia exoptati, et pretio maximo, et pervigili cura conquiſiti, quam immanes, atque horrendi: quod genus fuſcum eſt, et quadam acrimonia praeditum. Sunt demum alii edules, frigenti natura, nulliuſque inſignis ſaporis participes, odoriſve, quos *Yztacnanacame* vocare conſueverunt. Quorum rurſus omnium nonnulli candent, pallent alii, alii

rubrescunt, quidam sunt fusci, pulli, nigrantes, varii, ac virescentes, totque distincti coloribus, quot nullus artifex, etsi industrius, ac diligens, praestare possit affectando; nec colore tantùm, ac viribus differunt, sed magnitudine quoque, et forma; sunt enim parvi, magni, mediocres, ovi figura, orbiculares, peltae imitantes amazonicae formam, lati, ac multis aliis figuris. Quid igitur facerem in tanta naturae lascivientis ubertate? Quatuor tantùm duxi depingendos, edules scilicet, coloris candentis, et qui ex unico caule multiplices prodeunt, et cautibus magna ex parte innatos, vocatosque a colore *Yztacnanacáme*, seu *candentes Fungos*; rubeos, quos *Tlapalnanacáme* vocant; luteosque, *Chimalnanacáme* dictos, quique innoxii sunt, et in ciborum usum veniunt; ac demum eos, qui, quoniam inebriare solent, *Teyhuinti* nomine nuncupati sunt, et e fulvo in fuscum vergant colorem, risum inopportunum concitent, imaginemque citra risum inebriantium possint exhibere.

CAPUT XCVI.

De OTLATL, *seu genere Arundinum.*

Multa reperiuntur apud Novam Hispaniam Arundinum genera; quorum alterum *Aotlatl* nuncupatum, seu *aquea Arundo*, foliis longis, et angustis constat, caulibus verò cavis, geniculatis, tenuis calli, et crassitudinis nostratium

Arundinum. Alterum, *Teotlatl* dictum, seu *lapidea Arundo*, solidis constat internodiis, gravibus, brachii crassitudine, baculorumque vicem praestat. Tertium genus, *Quetzalotlatl* dictum, cavos fundit caules, calli mediocriter crassi; sed femur aequantes amplitudine, folia longa quoque, et angusta, trabiumque, et tignorum ad aedes aedificandas usum praebet. Quartum vocant *Acatl*, et est nostras Carectum: nam nostratem vulgarem Arundinem vocant *Castillanacatl*; ut Mayzii, et Sacchari Arundines praeteream, frumentaceos culmos, ac varia alia Arundinum genera, quae hoc in loco non putavi singulatim numeranda.

CAPUT XCVII.

De HUITSIQUA.

Quam *Mechoacanenses* Huitsiqua vocant, Mexicenses *Xoxouhcapatli* nuncupare solent. Est autem Herba magna, Frutexve, folia fundens oblonga, serrata, et amplitudine foliorum Mali Medicae, insertis tamen quibusdam minoribus: semina verò, ac flores juxta foliorum exortus in acervos congesta. Folia calida, siccaque, et paululùm adstringenti videntur constare natura, et Stoechadem quadantenus olere. Pulvis eorum medetur nomis, et depascentibus ulceribus, tumidam faciem curat, et impositus capiti obsistit defluxionibus oculis offundentibus tenebras, naribus ve-

rò infusum fluxum sanguinis cohibet, phyasin curat, et medetur dysentericis, tumoresque praeter naturam aut discutit, aut maturat, et aperit. Succus infusus confert oculis, suffitus juris decocti ejus, et *Yztauhiatl* adversùs articulares dolores, et quasvis alias frigidas noxas praesentaneam fert opem. Nascitur calidis, atque humidis locis, quales sunt Mexicani.

CAPUT XCVIII.

De HOEHOEYTZONTECO, *seu capite senis.*

Herba est radici insistens longae, surculosae, et crassae, intusque candenti, ex qua profert caules duas spithamas longos, et in eis folia oblonga, similia Limonis foliis, et florem, ac fructum, ut referunt, nullum. Radix guttur urit, et in pulverem redacta, devorataque unciae unius mensura omnes humores purgat. Nascitur *Ocopetlayucae.*

CAPUT XCIX.

De HOELICPATLI *Yanguitlanensi.*

Radices fundit similes asphodelinae, unde oriuntur caules tenues, teretes, et duos dodrantes longi, ornati foliis Lini, longis, et angustis, et flores luteos, spicatos, parvos. Calida est, et aliquantisper glutinosa. Radix medetur diarrhoeis, et appetentiam excitat tosta, laevigataque, et semunciae pondere bis die ex aqua devorata, aut ex alio

congruenti liquore. Nascitur in frigidis, campestribusque locis *Tepexicensibus*, non longè a *Misteca* inferiori.

CAPUT C.

De HUEIPOCHOTL *Huaxacensi.*

Arbuscula est Vitium modo serpens, sinuosis, ac tricuspidibus foliis, floribus coccineis, parvis, et aggregatis in comam, unde generatur fructus nucis paene ponticae forma, et magnitudine, sed ternos includens Ricini more candentes nucleos. Toto anno folia, fructum, ac flores fert. Dulcis est, calidaque, et humida, aut moderatè frigida temperie. Liquor stillatitius vires elanguescentes ita instaurat, reficitque, ut homines jam paene mortuos ferant exsuscitare; idem refrigerat, et impinguat, aut ipsa arboris folia oleris vice devorata, nitidumque reddunt colorem; lacryma stillans e praefractis germinibus inflammationi oculorum mirum in modum confert: nuclei quini, aut si robustior homo sit, septeni emundati a quadam illos tegente membrana, devoratique vacuant egregiè pituitam, et bilem per superna, atque inferna, usque adeo securo eventu, ut vel levis momenti re ingesta, coërceatur, si ita expediat, medicamenti hujus vis. Nascitur apud *Huaxacenses*. Paulò post allata est eadem a *Panucensibus* stipite cubitali, subalbido, lento, levi, et spinifero, ubi vocant *Tzapaloachquahuitl*,

ajuntque lac ejus firmare dentes, et carnem exhauſtam inſtaurare.

CAPUT CI.

De HUITZQUILPATLI, *seu Olere spinoso.*

Radici innititur longae, et tenui, unde profert folia longa, et angusta, serrataque, nec Cichorio absimilia; cujus videtur species; etsi non desint, qui Scorcioneram noſtratem esse contendant, non sine errore. Vis est frigida, ac nonnihil amara, amica jecoris, ictibusque viperarum mirum in modum adversa, si unciae unius pondere expressus succus devoretur. Quin referunt, febres etiam exstinguere. Nascitur in montibus *Huaxacensibus*, unde est ad nos delata.

CAPUT CII.

De HUAPAHUAZXIHUITL, *seu Herba aspera, nervosa, et firma.*

Radicem mittit crassam, brevem, fibratam, et obrotundam, unde ascendunt teretes, et subfulvi caules, in eisque folia Ocymi, sed serrata, longiora, et acuminatiora, ac ternis lineis secundùm longitudinem procedentibus diſtincta, unde aliae in latera utrinque discurrunt, ac flores candentes. Cujus adhuc facultatem nullam medicis usibus congruentem cognitam habemus.

CAPUT CIII.

De HUAXATEN.

Herba est similis *Palancapatli* forma, et natura, luteis floribus, interdum verò in ambitu albis, et resinoso sapore, radicibus fibrarum instar longiusculis, amaris, et tenuibus. Eadem redacta in pulverem, aut mel ejus in spissitudinem usque decoctae admotum medetur ulceribus, scabiei, morbo gallico, haemorrhoidibusque: illitum verò hydropem curat, et dentes roborat. Sunt, qui *Huacatane* corruptè vocent, necnon qui *Thoaten.* Nascitur *Pazcuari*, provinciae *Mechoacanensis.* Videtur verò ad Bellis genera referenda.

CAPUT CIV.

De HUEMBERÉQUA.

Radici insistit longae, sensim gracilescenti, surculosaeque, unde profert caules prolixos, folia undulata, et terna, sed medium ceteris longè majus, atque obrotundius, ac fructum parvum, et racemosum toto caulis discursu ab exortu foliorum prodeuntem. Frigida, et adstringenti natura constat, qua febrientibus quoque conferre solet. Jus decocti corticis radicum, foliorumque dentium, si eo colluantur, dolorem tollit, et quemvis alium; quin idem inspissatum, illitumque ulceribus miram fert opem, et e gallica

lue ortis : pruritum, et exanthemata excitat desuper mejentibus, colligentibusque. Nascitur in frigidis, montosisque *Mechoacanensibus* locis.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER DECIMUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De YXOCUILPATLI, seu medicina vermium oculorum.

ITA vocata est haec Herba, quòd carnem in oculis vermis modo excrescentem absumat. Parvula est, sed magnae insistens radici, e qua profert caules teretes, striatos, et purpurascentes, et in his folia Urticae similia, ac scissa per ambitum, fibratam radicem, et pallentem, flores albos, et modicos, racematim dependentes. Frigida est, siccaque, et impensè adstringens. E germinibus stillans liquor illitus oculis mirum in modum confert. Nascitur in temperatis Mexicanorum agris, et in calidis *Temimiltzinci.*

CAPUT II.

De altera YXOCUILPATLI.

Radicibus tenuibus insistit, unde mittit cauliculos, et in eis folia longiuscula, fissa quibusdam in partibus, et florem Bellis vocatae minoris. Odora est, et acris. Oculis inflammatis medetur, discussis humoribus. Nascitur ubique locis planis, et campestribus calidarum regionum.

CAPUT III.

De YXOCUILPATLI *tertia.*

Radicibus haec Herba innititur surculosis, e quibus profert tres, quatuorve caules excelsos, rectos, teretes, geniculis interceptos, tenuesque, et in eis folia *Yztauhyatl*, longa, et angusta, ac flores in postremis caulibus candescentes, et asperos. Carnem oculorum ob sanguinis redundantiam superexcrescentem absumit, unde sumsit nomen. Nascitur in calidis montosis, ac planis locis.

CAPUT IV.

De YXOCUILPATLI *Yyacapichtlensi.*

Fibratis insistit radicibus, e quibus edit caules multos, fragiles, tenues, subalbidos, et paululùm purpureos, folia

Rosmarini coronariae, flores in postremis caulibus in pappos abeuntes. Radix in principio leguminis saporem praesefert, mox ostendit amaritudinem, ac guttur lancinat, videturque ordine calefacere tertio. Oculis medetur, discutiens quidquid visum impedire potest, unde sumsit nomen. Nascitur in calidis collibus *Yacapichtlae.*

CAPUT V.

De YXTÓMIO, seu lanuginosa Herba.

YXTOMIOXIHOITL, quam alii *Tomioxihuitl*, alii *Memeam*, alii *Quapopolton*, et *Quapopoltzin* vocant, caulem profert pallidum, duos cubitos longum, et in eo folia hirsuta, spinosa, undulata, et Anchusae proxima, flores candentes, parvos, calyculis contentos, et in pappos tandem abeuntes, et radices multas, fibris similes, quae duarum drachmarum pondere devoratae omnes humores concitato vomitu vacuare dicuntur. Calida enim, siccaque natura constant, et sapore aliquantisper amaro. Tussim devoratae sedant, et pectoris opitulantur morbis, renes, et vesicam abstergunt, ulceribus putridis pudendorum muliebrium, atque virilium succurrunt, curant haemorrhoidas, et vacuata priùs supernè defluxionis causa dicuntur quoque mederi diarrhoeis. Nascitur in vallibus, planisque locis regionum frigidarum, et in annuos usus vulsa radix servatur, atque reconditur.

CAPUT VI.

De TLALYXTOMIO, seu Yxtomio humili.

Radices fundit Tlalyxtomio mediocriter crassas, et surculosas, et inde caules purpureos, teretesque, stipatos foliis Portulacae similibus, sed aliquantò majoribus, et flores in summo purpurei quoque coloris. Radices tritae, epotaeque ex aqua duarum drachmarum mensura pituitam per superna expurgant, emundant intestina, ac colicis affectibus infusae medentur. Amarae valde sunt, calidaque, et sicca ordine tertio natura.

CAPUT VII.

De YXTLATLATZCA, seu oculo crepante.

Herba est radicem fundens fibratam, et inde caules teretes, squallidos, et tenues, et folia Mali Medicae foliis similia, florem verò, ut referunt, ac fructum nullum. Frigida constat, et humida temperie, et odore gravi. Folia tusa, atque epota, illitave dicuntur mederi febribus.

CAPUT VIII.

De YXTLATLATZCA secunda.

Radici innititur Yxtlatlatzca pollicari, fibrataeque, unde caulem profert candidis distinctum punctis, et folia cor-

dis figura, mollia, et paululùm serrata, quae odora sunt, amara, et acria, ac tertio, ut videtur, ordine calefacientia, necnon quamdam praeseferentia lubricitatem, et Stoechadis odorem, atque saporem imitantia. Cujusmodi temperiem peculiares effectus consequentur, praeterquamquod succi uncia una dicitur sistere diarrhoeas.

CAPUT IX.

De YXPATLI, *seu oculorum medicina.*

Radices sunt fulvae, ac fibris persimiles, unde prodeunt caules crassi, geniculati, teretes, et inconditi, volubiles, et circa geniculos capillati, folia verò hastarum ferreis mucronibus similia. Scissis stipitibus fluit lac oculis inflammationem patientibus juvamenti mirabilis. Nascitur in calidis campestribus, editisve *Xonotlae* locis.

CAPUT X.

De YXPATLI *altera.*

Radices fundit fibratas, cortice fulvo vestitas, sed ligno interiori pallescenti: caules tenues, cubitales, et in eis folia parva, tenuia, duobus fissa sinubus, et florem, ut ajunt, nullum. Aqua, ubi binae, ternaeve radicis fibrae aliquandiu maduerint, aut sex obolorum pondere, inflammationes oculorum curat. Nascitur montanis locis.

CAPUT XI.

De TEIXMINCAPATLI *, seu icti oculi medicina.*

Radicem fundit surculosam, et candentem, caules purpureos, folia longa, et angusta, semen geminum, luteum, rotundum, ac parvum. Amara nonnihil Herba est, calidaque, et adstringenti natura. Ulceribus oculorum medetur, unde nomen, pudendorumque muliebrium, et virilium, si pulvis foliorum, aut radicis inspergatur, lotis priùs ulceribus, atque emundatis aqua. Nascitur in calidis *Tepecuacuilci*, editis locis, ac summis montium jugis.

CAPUT XII.

De YXNEXTLACOTL *, seu sude desuper cinerea.*

Radicem fundit Yxnextlacotl surculosam, extra nigram, intra verò candescentem, et lignosam, unde proferuntur lignosi caules, teretes, ac vergentes in fulvum colorem, et in eis folia Amaraci, longiuscula, et angusta, parva, et obtusae cuspidis. Frigida est, sicca, atque adstringens. Folia in pulverem redacta medentur ulceribus. Nascitur in frigidarum regionum collibus, velut *Xalatlauci*.

CAPUT XIII.

De IXQUAMÒL, *seu ciliis.*

Nomen habet a forma foliorum haec Arbuscula, quae brevia, et tenuia sunt; de qua nihil, quod ad Medicinam spectet, adhuc accepi.

CAPUT XIV.

De YXCUICUIL, *seu oculo depicto.*

Radicem fundit similem Paeoniae, extrinsecùs fuscam, et intrinsecùs albam, ex qua prodeunt caules exiles, et geniculati, rutaceis foliis referti, sed longioribus, floribusque candentibus, et parvis circa singulos foliorum exortus. Radix, cujus est in Medicina usus, initio sentitur dulcis, sed mox exurit guttur. Pulvis ejus conjectus in aquam, atque ita infusus, aut devoratus, ventris aufert dolorem, pituitam detrahit, et urinam evocat, drachmae tantùm unius pondere. Calida, siccaque ordine quarto natura constat, ac urenti facultate. Servatur radix in annuos usus. Provenit in calidis, aliarumque herbarum expertibus collibus.

CAPUT XV.

Dè TLALYXMETZIN, *seu oculo humili femoris.*

Radicem fundit tenuem, et surculosam, extra purpura-

scentem, et ex ea caules purpureos, et lacte manantes, folia hirsuta, origanina, et cinerea, et interdum in rubeum colorem inclinantia, florem coccineum, et modicum. Saporis est, et odoris ferè expers, frigidaque, et adstringenti natura. Ulceribus pudendorum egregiè medetur, neque aliud quidquam de ea planta accepi. Nascitur in calidis *Tepecuacuilci* collibus. Nomen habet a forma florum.

CAPUT XVI.

De YXMATZAL.

Herba est radici insistens longae, fulvae, et surculosae, tuberosaeque, unde profert caules tenues, et per terram sparsos, refertos foliis paene salignis, et circa cacumina floribus coccineis, luteis vasculis, oblongisque contentis. Radix in pulverem redacta, et resinae permista, admotaque, pannos, furunculos, et strumas maturat, et aperit; verùm gallinarum pennis integunt medicamentum, nihil praeterea adhibentes. Nomen autem invenit haec Herba a geminis foliis ab alterutro nodorum latere prodeuntibus, adeo conjunctis, ut unicum, fissum, sinuatumque videatur.

CAPUT XVII.

De NEIXPOPOALLONI, seu oculos extergente Planta.

Herba est e surculosa radice caules volubiles proferens,

et in eis origanina folia, serrataque, flores tricuspides, virentes, et spicatos. Apta Herba est extergendis oculis, tum ob foliorum lenitatem, atque mollitudinem, tum ob facultatem moderatam, ac mordacitatis expertem, unde nomen est ortum *Neixpopoálloni*, seu *linteolum aptum oculis extergendis.*

CAPUT XVIII.

De NEIXPOPOALLACOTL, *seu virga apta oculis extergendis.*

Ad Verbasci genera videtur pertinere, caulem namque edit subalbidum, et hirsutum, folium pingue, et molle; sicca, adstringentique natura, et extergendis oculis apta constat, unde invenit nomen.

CAPUT XIX.

De YXTENEXTIC, *seu oculis cinereis.*

Radicem crassam, ac surculis refertam fundit, et ex ea caules purpureos, tenues, teretes, hispidos, ac cubitum longos, refertos foliis Limonis forma, et magnitudine, serratis tamen, hirsutis, scabris, et subalbescentibus, et flores Chrysanthemi. Radix est nonnihil amara, acris, urensque, cujus vim e vestigio persentiscit guttur. Gustu odora, sicca, et calefaciens ordine quarto, subtiliumque partium. Discutit haec tusa, atque apposita pannos, extergit lepram, et lichenas, curatque aegritudinem vocatam ab Indis Mexicanis

Tzatzayanaliztli, in qua universum dehiscit corpus, illita resina, inspersoque desuper pulvere radicis hujus, et praeterea gallinarum pennis. Habetur hoc medicamentum a Mexicensibus maximi. Provenit in frigida *Xalatlauhci* regione in collibus, atque vallibus.

CAPUT XX.

De YXPATLAHOAC, *seu oculo lato.*

Radicem fundit Herba haec Raphani longam, ac Lapathi folia. Radix siccata, et tusa, inspersaque ulcera putrida, ac depascentia curat. Est autem temperie paululùm calida, et exsiccante.

CAPUT XXI.

De YXTEZONTIC, *seu oculo aspero.*

Radici surculosae insistit, et extra nigrae, unde mittit caules teretes, hirsutos, cinereos, et refertos granulis, Ocymi folia, hirsuta, aspera, et infernè subalbescentia, et flores luteos, oblongos, ac parvos. Folia sunt impensè amara, et Italicam Nardum olentia. Calida, et sicca ordine tertio natura constat, subtiliumque partium. Jus decocti foliorum medetur dysentericis, si bis quotidie epotetur; satietatem curat, et flatum discutit, alvique tollit dolorem. Nascitur in calidis *Oapanensibus*, editis, ac montosis locis.

CAPUT XXII.

De MAZAYXTLI, *seu oculo cervi.*

Species est arboris ejus, quam iidem Mexicenses *Tzonpantli* vocant: nam forma, floribusque est illi proxima. Nullus verò, praeterquam florum, qui visu spectabiles sunt, usus memoratur, licèt sit alia tertia species, *Cochizquilitl* nuncupata, cujus succus ori puerorum instillatus somnum inducat. Provenit in calidis regionibus ubique.

CAPUT XXIII.

De TZONPANQUAHUITL, *seu Arbore Tzonpantli vocata.*

Tzonpanquahuitl, seu *planta corallorum*, Arbor magna est, et folia ferens cordis figura, siliquas racematim dependentes, digitum latum crassas, ac dodrantem longas, includentesque nucleos sapore, et forma phaseolos imitantes, sed ita coccineos, ut parum absit, quin corallos rubeos esse judices. Crocea materie constat, ac suberneo cortice, et levitate pari, in cujus locum substitui ab Indis saepissimè consuevit. Ubique nascitur, sed calidis praecipuè, cultisque, et humentibus locis hortorum valla, et sepimenta exornans.

CAPUT XXIV.

De TECUICIYXTLI, *seu oculo cancri.*

Herba est radicem fundens longam, ac digitalis crassitu-

dinis, caulem rubescentem, ramis per intervalla prodeuntibus, et in eis folia quinque divisa sinubus, obrotunda, serrata, ac multis distincta interveniis, fructum nucis juglandis figura, et magnitudine in magnae vesicae modum, refertum acinis candentibus, margaritis similibus, qui edules sunt, et gustati a me, antequam maturescerent, visi sunt adstringentes. Neque alium hujusce plantae accepi ab incolis usum. Similis est huic Herba *Zacatecarum* alumna, cujus radicem serpentis vocant, *Camotl* similem, caule cubitali, foliis ornato Ricini, ac fructu ternos nucleos includente, ricinis pares. Ricini videtur species. Radix vacuat bilim, et pituitam sex obolorum pondere per superna, atque inferna, vocaturque *Zacatecarum Pharmacum.*

CAPUT XXV.

De altera TECUICIYXTLI.

Radicibus insistit capillis similibus, unde mittit caules geniculatos, purpureos, et teretes, folia longa, et angusta, ac florem candentem. Frigida, et humida natura constat, et febrientibus illita confert. Provenit apud *Yohalanenses* juxta aquas. Aliam vidimus apud *Quauhnahuacenses* eodem nomine Plantam, radicis crassae, atque adstringentis, et paulisper calentis temperiei, odoratamque. Quin et quartam depingendam curavimus, fibrata radice, et ocyminis, serra-

tisque foliis, sed longioribus, cujus tamen nullam adhuc comperi facultatem.

CAPUT XXVI.

De TLALTXPÓLLIN, *seu Herba amplectente terram.*

Radicibus firmatur candidis, ac parvis *Batatis* similibus, unde profert folia herbacea, junceave, et flores in extremo caule luteos, unde vascula producuntur oblonga, et parva, referta nigro, et exili semine. Radix est frigefacientis, et humectantis temperiei, saporisque, et odoris insignis expers; quo fit, ut diarrhoeas puerorum sistat, praecipuè a calidis humoribus ortas. Nascitur in *Hoitzilaci* montibus.

CAPUT XXVII.

De YXTLAZOLXIHUITL, *seu Herba oculi stercoris.*

Radicibus firmatur capillis similibus, e quibus profert caules sex cubitos longos, et in eis folia Urticae, serrata, sed tamen latiora, cordisve figura, et in postremis ramis florem album, exilem, pilosumque, et abeuntem in pappos. Frigida est, et humenti natura, molli, et salivosa, etsi nonnihil participet amaritudinis. Admovetur pulvis ejus naribus, aut folia instillantur ex aqua resoluta, ut tractis ob calidas partes, quas participare indicat amaritudo, humoribus, qui in oculos defluunt, sanitati restituantur, fiantque incolumes.

Nascitur in calidis, editisque *Tlaquiltenanci* locis, aut juxta rivos, et aquarum fluenta.

CAPUT XXVIII.

De YXTOLLIN, *seu oculorum Junco.*

Volubilis planta est, caules edens virides, teretes, ac pennam anserinam crassos, folia cordis figura, supernè viridia, et infernè subalbescentia, florem luteum, ac modicum, et siliquas parvas, quarum jam planè maturarum succus medetur oculis calido laborantibus affectu, unde nomen. Nascitur in montibus arbores amplexa.

CAPUT XXIX.

De YXPIPITZAHOAC, *seu oculo tenui.*

Radicem crassam fundit, atque obrotundam, non sine quibusdam fibris, caulem purpureum, tenuem, lentumque, et folia Olivae, minora. Radix est frigida, siccaque, et adstringens. Adversatur febribus, ut testantur Indi Medici, sed mirè opitulabitur diarrhoeis, et quibuscumque affectibus opus habentibus adstrictione, et corroboratione. Nascitur *Ocoituici* humidis locis, ac faucibus montium.

CAPUT XXX.

De YZTAPATÒN.

Radices fundit surculosas, magnas, et fibratas, caule quatuor spithamas longos, folia Ocymi, majora tamen, et circinata, supernè viridia, et infernè subalbescentia. Frigida, ac impensè glutinosa natura constat, saxosisque locis regionum calidarum nasci consuevit.

CAPUT XXXI.

De YACACOCOLTON, seu intorta cuspide.

Herba est Verbenacae rectae similis, tum spicis, a quibus sumsit nomen, tum etiam foliis, quae tamen serrata non sunt. Frigida natura constat, et inflammationes applicata repellit. Nascitur in calidis *Yauhtepeci.*

CAPUT XXXII.

De YACACOLTON secunda.

Herba est tres spithamas longa, foliis Menthae, et scorpioidis floribus. Frigida natura constat, repellitque praeter naturam tumores. Nascitur in calidis *Oaxtepecensibus*, editis, et campestribus locis.

CAPUT XXXIII.

De YACAXIHUITL *Ocuilae , seu Herba acuminatorum foliorum.*

Radicem fundit haec Herba surculosam , caules cinereos , teretes, homine prolixiores , et in his folia Limonis, sed longè acuminatiora, flores pallescentes ex albo, orbiculares, ac veluti in comam compositos. Radix calida , et sicca constat temperie ; quae trita , ac duarum drachmarum mensura ex aqua devorata purgat opportunissimè arthriticos per superiora, atque inferiora. Provenit in regionibus declivibus ad calorem.

CAPUT XXXIV.

De YYACQUAHUITL *, seu Arbore foetida.*

Arbor est magna , et comata , fructum ferens viridantibus cerasis similem , verùm minimè edulem , ac racematim dependentem , folia lata , longaque , lentam materiem , et refertam medulla , caeparum gravem illum , ac foetidum odorem spirantem. Nascitur in calidis *Mecatlani* regionibus.

CAPUT XXXV.

De YACAMALNIQUI *, seu cuspide contorta.*

Radicem lignosam , crassam , et fibratam fundit , prolixamque , caules sex spithamas longos , folia Limonis , longè tamen acuminatiora. Radix sicca est, et nonnullum par-

ticipans calorem, atque ita pulvis ejus curat ulcera, si lotis priùs ex vino inspergatur. Nascitur in calidis *Tohalani* montosis locis.

CAPUT XXXVI.

De YACACOZAUHQUI, *seu cuspide lutea.*

Volubilis est radicem fundens candentem, et longam, tenuemque, folia Ocymi longiora, et minimè serrata, infernè squallentia, et viridantia supernè, pallentes flores, et modicos, ac *Tlalchichinoae* floribus pares. Frigida, et adstringenti constat natura. Provenit in frigidis, ac Augusto mense floret.

CAPUT XXXVII.

De altera YACACOZAUHQUI.

Frutex est caules edens fulvos, folia oblonga, Mali Medicae circiter figura, atque subalbida, et flores pallentes. Frigida est, sicca, et adstringens, quamobrem cortex radicis laevigatus ulceribus medetur inspersus, et devoratus duarum drachmarum pondere diarrhoeis. Majo floret. Provenitque in calidis *Tlaquiltenanci.*

CAPUT XXXVIII.

De YACACOZAHUIC *tertia, seu cuspide lutea.*

Radice firmatur ex pallido rubescente, unde prodeunt caules virides, duos cubitos longi, folia Menthae, sed oblon-

ga, subalbida, minimè serrata, et hirsuta, flores pallentes albidi, et orbiculares. Radix nonnihil caloris videtur praesefferre, sicca quoque, et adstringenti facultate praedita. Cortex ejus confert ulceribus, ac tumoribus praeter naturam, exhibeturque enixis. Nascitur *Hoitzoci* editis locis. Aliam eodem nomine vidi *Ocoituci* plantam, impensè adstringentem, radice longa, candentique, foliis asperis, albis, et minimè sectis per ambitum, floreque modico, et orbiculari. Cujus etiam succus pro earum gentium more solet enixis corroborandi gratia propinari.

CAPUT XXXIX.

De YZTACYACACOZAUHQUI, *seu Yacacozauhqui candida.*

Radici insistit longae, ac digitum crassae, candenti extra, intraque, ex qua proferuntur caules volubiles, eodem paenè colore, folia Limonis, mollia, et virentia, acuminataque. Amara est, ac tertio ferè calefaciens ordine, crassarumque partium. Ajunt radicem redactam in laevorem, atque devoratam, semen retentum pellere, et appetentiam excitare: ejus verò corticem duarum drachmarum pondere ventriculi frigiditatem pellere, alvum fovere, et urinam evocare. Nascitur in calidis *Yauhtepeci*, *Yacapichtlae*, et *Quauhtlani*, saxosis in collibus.

CAPUT XL.

De YACACOZAHUIC quarta.

Volubilis genus est, caules fundens ex albo virescentes, junceos, ac similes ficulneis, sed minores, et candidiores, folia rara, radicem pallentem, et orbicularem, ac nucem juglandem aequantem magnitudine. Haec unius drachmae pondere urinam evocat, praecipuè si cum *Ezpatli*, et *Tlallantlacacuitlapilli* misceatur.

CAPUT XLI.

De YACATOMAHOACQUILITL, seu Herba crassae cuspidis.

Volubilis etiam planta est, radicibus surculosis innixa, e quibus prodeunt folia longa, et angusta, latiorisque cuspidis, unde nomen. Aliquantisper acris est, calidaque, et sicca ordine secundo. Jus decocti corticum radices satietati mederi solet. Nascitur apud *Ytztolucanenses.*

CAPUT XLII.

De YACAMINIZIN, seu Herba cuspides mittente.

Volubilis est foliis Helxines Cissampeli, coccineis, et oblongis floribus. Liquor ex praefactis germinibus stillans inflammationi oculorum confert; frigida enim est, et humectante natura, odorisque, et saporis insignis expers. Nascitur in calidis juxta flumina.

CAPUT XLIII.

De YACANEXTON, seu naso cinereo.

Volubilis genus est radices fundens longas, ac tenues, folia Populi albae, minora, caulibus appensa tenuibus, flores comantes, qui ex luteo candescunt. Nullam tamen insignem facultatem praeseferre Indi norunt.

CAPUT XLIV.

De YACANEXTON Chiauhtlae.

Herba est caules proferens tenues, teretesque, folia verò *Tenamaznanapalooe*, angustiora tamen, ac flores purpureos, semen in siliquis contentum, et radicem crassam, atque strigosam; cujus semuncia epota vomitum ciet, ac bilim vacuat per superna. Calida videtur constare natura, humidaque, et glutinosa; dulcis est, et appetentiam excitat. Nascitur in calidis, planisque *Xochimiltzinci* locis.

CAPUT XLV.

De YACACHOLNOT.

Herba est radicibus insistens multis, fulvis, ac similibus capillis, unde profert teretes caules, rubescentes, laeves, et geniculis per intervalla interceptos, et in his folia Solani, verùm inaequaliter fissa per ambitum, ac malè com-

posita, et flores in postremis stipitum flagellis purpureos, parvosque, ac velut racematim compositos. Odora Herba est, aliquantulùm acris, ac ordine secundo calida. Sumitur adversùs ventriculi cruditatem, satietatemque, et cum vivae calcis exigua quadam portione dicitur sistere diarrhoeas. Sicca etiam apparet, et subtilium partium.

CAPUT XLVI.

De YACATZON, seu Herba pilosi nasi.

Parvula Herba est, radices fundens capillis similes, folia in tria brachia cruciatim divisa, serrataque. Bibitur adversùs ictus, et casum. Nascitur *Copitlani* inter saxa.

CAPUT XLVII.

De YACACHILTON, seu Chilli acuminato.

Herba est excelsior homine, salignis foliis, tereti caule, laevi, et virente, floribus e luteo rubescentibus, collectis velut in manipulos, siliquis teretibus, similibus siliquastro, sed tamen minoribus, refertis semine argenteo, tenui, atque latiusculo. Germina commansa ulceribus opitulantur oris. Nascitur in calidis *Tehoitztlae*, juxta flumina, alveosque aquarum. Radix est velut prolixum quoddam lignum fibris auctum, sapore dulci, temperie mediocri, aut paululùm inclinante in frigus, et humiditatem.

CAPUT XLVIII.

De MELONE *Indico.*

Nascitur apud Indos *Melonis* genus praegrande, et oblongum, quod licèt a nostratibus dulcedine, et suavitate superetur, refrigerat tamen magnopere, humectatque universa paene carne sese in liquorem solvente; cujusmodi fructum *Badeam* vocatum recolo apud Hispalenses, et Granatenses degustasse: nam et Baetici Arabes ejus meminere. Quin et apud *Haitinam* insulam memini vidisse fructum quemdam meloni mediocri persimilem, quem *Patillam* vocant indigenae, extra viridem, et intra candentem; cujus caro frigidissima degustanti mihi visa est, urinae eliciendae, perfrigerandisque febrientibus aptissima, dulcisque, sed parùm grata, et suavis gustui.

CAPUT XLIX.

De TXPATLI, *seu oculorum medicina.*

Herbula est radici insistens obrotundae, pontica nuce paulò majori, unde profert cauliculos quatuor uncias longos, folia longiuscula, et tenuia, et florem modicum, ac pallescentem. Lubrica est radix, guttur urens, subamaraque, et tertii ordinis caloris. Medetur oculis, ac carnem excrescentem in eis cohibet, et absumsit, hydropem curat, syncopimque; et bilim, ac pituitam per superna, et inferna

duarum drachmarum pondere devorata vacuat, atque ita cordis opitulatur morbis, dolorem capitis levat, et luem hispanicam abigit. Nascitur in frigidis, humidisque, et campestribus *Mistecae* superioris locis, et in *Huaxacensi* quoque agro. Est autem Apios Dioscoridis, aut illi congener.

CAPUT L.

De YZTICPATLI *Tanguitlanensi.*

Radicem agit brevem, tenuem, et lignosam, et ex ea breves caules, teretes, tenues, lignososque, serrata folia, Origano similia, etsi aliquantò minora, flores parvos, et luteos, ex quibus gignuntur vascula, ubi continetur semen. Medetur febrientibus illita, epotaque. Frigida natura constat, et ideo depingendam non curavi. Nascitur in frigidis, humidisque, et planis locis *Mistecae* superioris.

CAPUT LI.

De YEPAPATLI *Tanguitlanensi, seu vulpeculae medicina.*

Herba est radici insistens longae, ac tenui, unde proferuntur caules sex spithamas longi, et in eis Mali Medicae folia, et flores lutei racematim dependentes. Calida tertio ordine apparet, nam acris est, et aliquantulùm amara. Dolori capitis dicitur mederi, et rumpere pannos, tumoribusque praeter naturam, et ulceribus auxilio esse. Nascitur in

frigidis, humidisque montibus *Mistecae* superioris.

CAPUT LII.

De YXPATLI *secunda Yanguitlanensi.*

Vidimus apud *Mistecam* superiorem Sedi genus quoddam a ceteris, quorum icones exhibemus, distans, et Vermiculari vocatae quamsimillimum, sed foliis parvis, radicibus longis, tenuibus, fuscis, et teretibus, quod asseruere indigenae oculis esse perutile; sed quoniam facultas haec, ejusque frigida temperies ceteris congeneribus proxima est, multaque Sedi genera jam depinximus, hanc censuimus cum quibusdam aliis praetermittendam.

CAPUT LIII.

De YZTACXOCHIPATLI, *seu medicina floris candentis.*

Radicem fundit tenuem, et parvam, ex qua unicus prodit caulis, foliis Origani, et candidis floribus. Colore, et odore caret, et tamen nonnullum videtur participare calorem. Exhibetur adversùs Ventriculi aestum manè, ac vesperè unius unciae pondere ex aqua, aliove frigenti liquore devoranda. Nascitur in declivibus montium locis *Yanguitlani Mistecae* superioris.

CAPUT LIV.

De altera YZTICPATLI *Yanguitlanensi.*

Villosis firmatur radicibus, unde oriuntur pediculi, quibus appendent folia cordis figura, minora tamen, aut apeltis amazonicis minimè forma distantia, serrataque, et flores, ut referunt, nulli. Radix est frigorifica, admodumque glutinosa: quamobrem diarrhoeis, ceterisque defluxionibus ajunt indigenae magna securitate mederi. Nascitur in planis, frigidis, aquosisque locis *Yanguitlani Mistecae* superioris.

CAPUT LV.

De YAUHPATLI.

Radicem mittit similem raphano, unde prodeunt caules tenues, fragilesque, et in eis folia Origani, circinata, et flosculi pallentes. Radix est gustu amara, et cujusdam particeps caloris. Eadem redacta in laevorem, devorataque alvi defluxionibus medetur. Nascitur in frigidis, et humidis, planisque *Yanguitlanensibus.*

CAPUT LVI.

De YZTACPATLI *Yanguitlanensi.*

Radici insistit sensim gracilescenti, fibrataeque, unde prodeunt caules tres spithamas longi, tenues, cavi, et ge-

niculis intercepti, ornati foliis longis, et angustis, et coccinei flores. Radix est acris, et aliquantisper glutinosa, calidaque ordine quarto, siccaque. Eadem in farinam redacta dicitur ventris tumores discutere, et punctis etiam evócatis humoribus ad cutim mederi, si bis die drachmae unius pondere ex aqua bibatur. Provenit apud *Mistecam* superiorem.

CAPUT LVII.

De tertia YZTICPATLI *Yanguitlanensi.*

Radices sunt asphodelinis similes, sed succo manantes, et minores, candentes, teneraeque, et cuique plantae singulae, unde caules prodeunt tenues, purpurei, et fragiles, et in altero illorum unicum folium, sinuosum manus instar digitis angulosis interstinctae, et in altero flores lutei, spicati, parvique. Radix tusa, et apposita medetur tumoribus, necnon ex aqua potata, quae etsi nonnihil amara sit, frigida tamen natura constat. Nascitur *Yanguitlani*, ut indicat cognomen, oppidi *Mistecae* superioris.

CAPUT LVIII.

De quarta YZTICPATLI *Yanguitlanensi.*

Radicem fundit longam, et fibratam, villosamve, unde prodeunt caules quatuor dodrantes longi, et in eis folia saligna, bina per intervalla, et flores ex albo rubescentes.

Frigida est, et salivosa, omnisque insignis saporis expers. Radix, foliaque tusa medentur pudendorum ulceribus, nomisque, si lotis priùs aqua calida imponantur, aut inspergantur in pulverem redacta. Nascitur in locis campestribus, frigidisque *Mistecae* superioris.

CAPUT LIX.

De YZTACPATLI, *seu candida medicina.*

Radicem profert surculosam, et crassam, caules subalbidos, hirsutos, et teretes, et in eis Mali Medicae folia, latiora, et breviora, infernè subalbida, et hirsuta, floresque, ut ferunt, luteos, et parvos. Radix est amara, calidaque, et sicca natura ordine tertio, et subtilium partium. Ius decocti foliorum matutino per aliquot dies potatum renes, vesicam, urinaeque meatus emundat, sanguinem per urinam rejectantibus confert, et pituitosa pellentibus excrementa. Nascitur in frigidis, umbrosisque locis, atque humidis collibus *Yanguitlani Mistecae* superioris.

CAPUT LX.

De YHAIPATLI *Tepuzculullae, seu pennata medicina.*

Ternis insistit radicibus, prunis crassis, et oblongis paribus, unde prodeunt caules, et in eis folia longa, angusta, aliisque alis Coronopo similibus referta, et flores, ut

referunt, candidi. Radix est amara, calidaque, non sine commistione partium frigidarum, quarum fortassis gratia ajunt radicem tusam, ac devoratam semunciae pondere febribus mederi. Nascitur frigidis, et humidis locis *Mistecae* inferioris juxta latera montium saxosa.

CAPUT LXI.

De YZTACPATLI Tepuzculullae prima.

Radicem fundit crassiusculam, villosamque, et e multis obrotundis particulis coacervatam, unde mittit tenues caules, teretesque, et in eis folia Urticae, aut Ocymi, scissa per ambitum, et flores pilosos, e rubeo candentes, atque in pappos abeuntes. Radix est acris, amara, odoraque, ac tertio ordine calida, et exsiccante natura. Eadem unciae unius pondere ex vino pota dolorem ventris tollit, et adversatur veneno. Nascitur in calidis, et frigidis collibus *Tepuzculullae*. Sunt, qui *Coapatli* vocent.

CAPUT LXII.

De YZTACPATLI Tepuzculullae secunda.

Arbor est magna, foliis Hederae, majoribus, hirsutis, et subalbescentibus infernè, supernè verò viridibus, et flore, ut ferunt, nullo. Amara est, et aliquantulùm glutinosa, calidaque, et sicca ordine ferè tertio temperie. Urinam evo-

cat retentam cortex radicis unciae unius pondere tritus, bibitusque ex aqua semel singulis quibusque diebus. Nascitur in frigidis, saxosisque, et praeruptis locis *Mistecae* superioris.

CAPUT LXIII.

De YZTACPATLI *Tepuzculullae tertia.*

Radicem agit longiusculam, et tenuem, lignosamque, et ex ea caules dodrantales, teretes, et tenues, ornatos foliis Lini, longiusculis, et tenuibus, similibus Thymo, Stoechadive, flores candentes, pilosos, et abeuntes in pappos. Amara est, calidaque, et sicca ordine tertió. Folia tusa, et unciae unius pondere ex aqua devorata medentur dysentericis. Radix veró tosta, et laevigata omne genus humoris urinarios meatus obstruens amovet, et curat, si semunciae mensura devoretur bis singulo quoque die, sive sit sanguis, sive quodvis aliud excrementi pituitosi, aut arenosi genus: scabiem etiam apposita curat. Nascitur in frigidis, et campestribus locis *Tepuzculullae Mistecae* inferioris. *Xilotepecenses Yztacpatli* vocant.

CAPUT LXIIII.

De YZTACPATLI *Tepuzculullae quarta.*

Radicem projicit longam, et tenuem, aut minimi digiti crassitudine, et ex ea caules ornatos foliis Mali Persicae,

sed majoribus, et flores in summo exiles. Radix sentitur initio dulcis, ac tandem amara, et vulpeculam olens. Semuncia radicum tusa, et ex aqua devorata febrium intermittentium horrores dicitur arcere. Nascitur in frigidis collibus *Tepuzculullae Mistecae* inferioris.

CAPUT LXV.

De YZTACPATLI *Tonallae.*

Radici insistit crassae, et surculosae, unde prodeunt caules hirsuti, et subalbidi, et in his folia infernè subalbida, hirsutaque, et supernè viridia, peltae amazonicae forma, et mediocris magnitudinis, floresque candentes. Radix est acris, et quarto ordine calida, atque sicca. Jus decocti radicum, et foliorum medetur aquae intercutaneae semel quovis die potatum decem unciarum pondere. Nascitur in campestribus, calidisque locis *Tonallae Mistecae* inferioris.

CAPUT LXVI.

De YZHUAPATLI *Tonallae, seu foliosa medicina.*

Arbor est folia proferens oblonga, mediocriaque, et nonnunquam etiam obrotunda, et florem, ut narrant, nullum. Radix est frigida, et adstringens; folia tunduntur, ac tabidis offeruntur bibenda, admoventurque tumoribus praeter naturam: utrumque felici magna ex parte successu. Na-

scitur in montibus clementis temperiei *Mistecae* inferioris.

CAPUT LXVII.

De YXPATLI *Acatlanensi.*

Radicem agit longam, et tenuem, et inde caules volubiles, subalbidos, tenues, teretesque, ornatos foliis Olivae, longis, et angustis, ac flores virentes, et modicos. Radix est dulcis, et mediocris temperiei. Oculis medetur inflammatis resoluta ex aqua, et instillata, argemata discutit, carnemque superexcrescentem reprimit, et absumit. Nascitur in collibus ad temperiem pertinentibus *Acatlani Mistecae* inferioris.

CAPUT LXVIII.

De YZTACPATLI *Tonallae altera.*

Surculosa est radix, et veluti *Zazanaca*, floccifera; unde oriuntur caules, et in eis folia magna, sinuosa, et illorum Panacis quadamtenus aemula, ac flores candentes. Radix est gustu odorata, acris, et aliquantulùm amara, ac tertio ordine calida, et sicca. Medetur pectoris dolori, ventrisve radix drachmae unius pondere devorata. Nascitur in calidis *Mistecae* inferioris.

CAPUT LXIX.

De YZTICPATLI *Acatlanensi.*

Villosis radicibus insistit Herbula haec, unde profert ramulos exiles, et in eis folia Rutae, sed paulò longiora, floresque exiles, et fulvos. Nullum insignem saporem folia videntur praeferre, sed frigida potiùs constare natura, quamobrem dolori ventriculi a frigore orto medentur unciae unius pondere devorata, illitave. Nascitur in temperatis collibus, aut fluminum ripis *Acatlani Mistecae* inferioris.

CAPUT LXX.

De YUCUNDUA *Herba, aut quae decoquenda sit.*

Radicibus insistit tenuibus, villosisque; unde prodeunt caules tenues, et lignosi, ac flores, ut ferunt, nulli, folia verò infernè subalbida, hirsutaque, et supernè virore exsaturato tincta, rutaceorum aemula, sed aliquantò longiora. Radix est calida, siccaque ordine secundo, non sine quadam adstrictione. Exhibetur adversùs cruentam urinam unciae unius pondere. Nascitur in collibus temperatis *Acatlani Mistecae* inferioris.

CAPUT LXXI.

De YZTACPATLI *Acatlanensi prima.*

Radices profert longas, digitalis crassitudinis, et ab eis

caules ornatos foliis longis, et angustis, et semen, ut illud siliquastri, hirsutum. Temperata est, aut calidae ordine primo, humidaeque naturae, ac dulcis saporis. Medetur pannis, strumisque, maturans, ac discutiens augescentes. Nascitur in planis, editisque locis, clementique gaudet caelo *Acatlani Mistecae* inferioris.

CAPUT LXXII.

De YZTACPATLI *Acatlanensi secunda.*

Herba est radices agens fibris similes, ex quibus prodeunt exiles, et teretes caules, ornati foliis parvis, et multis, rutaceis, sed tamen paulò majoribus, et flores albi, modicique. Radix est initio dulcis, ac tandem sentitur amara, calidaque, ut apparet, ordine secundo. Radix unciae unius pondere devorata urinam evocat, urinariosque meatus, quacumque ex causa immundi sint, expurgat, et aperit. Nascitur apud *Mistecam* inferiorem in calidis collibus.

CAPUT LXXIII.

De YACACUZTLI *Tepexicensi, seu cuspide lutea.*

Radix est crassa, et caules ab ea fruticantes multi, ocyminis referti foliis, sed longioribus, subalbidis, et hirsutis infernè, supernè verò nigricantibus. Radix Fruticis hujus frigida, siccaque natura constat, et sapore nullo, ac ve-

tustis medetur plagis. Nascitur temperatis *Tepexici* locis.

CAPUT LXXIIII.

De YZTACPATLI Tepexicensi.

Yztacpatli *Tepexicensis*, quam alii *Tlanoqualonipatli* vocant, Frutex est foliis parvulis, pennis avium similibus, aut illis, si mavis, *Tlalmizquitl*, et luteis floribus. Acris est, calidaque, et sicca ordine tertio constat temperie. Cortex radicis tritus, ac drachmae unius mensura devoratus omnes humores, sed praecipuè pituitosos purgare dicitur, atque ita dissipare bubones, unde postremum nomen. Nascitur in temperatis *Tepexicensibus. Mechoacanenses Hoximo* vocant.

CAPUT LXXV.

De YYCHCATIC Tepexicensi.

Yychcatic, seu *Planta similis Gossypio*, arbor est magna, Rubi foliis, sed subalbidis, hirsutis, serratis, et spinosis, floribus verò parvis, atque densis, et materia purpurascente. Cortex est frigidus, siccus, et adstringens, qui semunciae pondere devoratus ex aqua medetur dysentericis. Provenit in temperatis *Tepexici* regionibus.

CAPUT LXXVI.

De YZTACPATLI *Tepexicenſi ſecunda.*

Volubilis eſt folia ferens Pruni, et ſtipites leves, cortice tectos craſſo, calido, ſiccoque ordine tertio, amaro, et adſtringenti, qui unciae unius menſura tuſus, atque devoratus ex aqua vomitiones, et alvi compeſcit defluxus. Naſcitur in temperatis *Tepexici* non longè a *Miſteca* inferiori.

CAPUT LXXVII.

De YOYOQUAHUITL, *ſeu Arbore ſonalis.*

Arbor eſt magna foliis Rhododendri, brevioribus tamen, latioribus, et obtuſioribus, et luteis floſculis. Lichenas curat jus decocti foliorum ejus, corticumque. Frigida temperie conſtare videtur. Naſcitur in calidis, et montoſis *Cocolani* locis.

CAPUT LXXVIII.

De YOYOTZITZINTIC.

Arbor eſt magna, folia proferens oblonga, anguſta, et gracilia, quae frigefacientia ſunt, inſigniſque caloris, et odoris expertia, floreſque pallentes, ac rubeos. Admovetur tuſa repellendis inflammationibus.

CAPUT LXXIX.

De YOYOTLI, *seu sonalio.*

Arbor est mediocris magnitudinis, fructum ferens nuci juglandi, cum adhuc viret, similem (ex quo parantur barbarica sonalia binum angulorum, adeo rara, atque peregrina forma, ut exprimi planè verbis, minimè adhibita icone, vix potuisset, quibus se totos cingunt, cùm exercent tripudia, unde nomen; est enim nihil aliud *Yoyotli*, quàm *sonalium*); florem luteum, magnum, ramos squallentes, fulvosve, Rhododendri folia, verùm angustiora. Duae offenduntur harum Arborum differentiae, altera majorem fert fructum, ac folia longiora, et angustiora; altera verò minorem, ac breviora folia, latioraque. Amara est, calidaque, et sicca gradu tertio. Fructus medulla cancerosis ulceribus medetur. Lac instillatum medetur surditati, ulcera extergit, et scabiem, ac lichenas curat. Sunt, qui dicant jus decocti illitum opitulari punctis, quae febres ardentes solent interdum comitari; folia verò tusa, atque applicata sedare dolorem dentium, et tumores dissipare. Nascitur in regionum calidarum montibus, velut *Colymae*, ac floret Septembri. Sunt, qui *Tzinacanytlacual* vocent.

CAPUT LXXX.

De YTZCUINPATLI, *seu canum veneno.*

Herba est quatuor dodrantes prolixa, folia producens oblonga, angustaque, et valde angulosa, fructum strobilis similem, ex viridi pallescentem, radices tenues, multas, et similes Helleboro, quodam velut Gossypio illitas. Quaevis hujus Plantae pars interficit pecora eam degustantia, et praecipuè canes, si pulvis eis velut esca inspergatur: sex hujus Herbae obolos devoratos, novem dierum spatio, si interea quiescant, ac intra domum se contineant, audio leprosos sanare. Provenit in calidis, ac temperatis locis, quales sunt *Tototepecenses.*

CAPUT LXXXI.

De altera YTZCUINPATLI.

Radici innititur obrotundae, et fibratae, ex qua tenues proferuntur caules, et in eis folia parumper sinuosa, et in tres cuspides divisa, mediocriaque. Interficit canes inspersa carnibus. Nascitur juxta aetnam non longè ab urbe vocata *Angelorum*, cujus in agro quotidie multa pecorum millia eam Herbam depasta audimus interire, cùm tamen sues, aliaque animalium pleraque genera ea innoxiè vescantur.

CAPUT LXXXII.

De tertia YTZCUINPATLI.

Artemisiae videtur congener. Radices sunt fibrarum instar, sinuosa folia, et fissa per ambitum, eadem paene facultate, sapore, odore, et viribus. Provenit juxta ripas, alveosque Mexicanae paludis, aut aliis humidis locis. Dicta est autem *Ytzcuinpatli* quasi *Canum Medicina*; est enim *Patli*, quemadmodum apud graecos *pharmacum*, interdum *medicina*, et interdum etiam *venenum*. *Panucenses* vocant *Chohoyatl*, ajuntque scabiei, tineae, pruritui, ac lichenibus mederi.

CAPUT LXXXIII.

De quarta YTZCUINPATLI.

Est et quarta Ytzcuinpatli species, praecedenti facultate, et forma similis, sed flosculis majoribus, et minùs numerosis, ac radice fibrata. Nascitur apud *Tetzcoquenses*.

CAPUT LXXXIIII.

De YTZCUINQUAHUITL, seu Arbore Canis.

Arbor est magna, folia Lauri, sed longiora, et angustiora ferens, et laurinum quoque spirantia odorem: species fortassis nostratis Lauri. Aqua, ubi folia aliquandiu madue-

rint, epota ventris leniunt dolores a frigore ortos. Nascitur in montosis, clementibusque *Hoeiacocotlae* locis.

CAPUT LXXXV.

De YTZCUINNACAXIHUITL, *seu Herba carnis caninae.*

Arbor est mediocris, foliis Verbasci, floribus in corymborum formam compositis, luteorubescentibus, ex quibus generatur fructus oblongus racematim dependens. Foetida Arbos est, ac cortex radicis, qui frigefacit, adversùs febres in pulverem redactus exhibetur.

CAPUT LXXXVI.

De YYAPAXIHUITL *altera, seu Herba nigro colore tingente.*

Frutex est fundens e radicibus surculosis, et multis stipites mediocriter longos, tenues, teretes, et laeves, purpureosque, folia Melissophylli, sed magis acuminata, fructum racematim dependentem, acinosumque, initio viridem, ac deinde caeruleum. Folia nullum alium usum praestant, quàm vestes tingendi nigro colore: ergo partem unam foliorum sescuplo aquae incoquunt sex horarum intervallo, mox abjecta planta, et liquore transfuso, atque percolato *Pálli* immiscent partes tres, vestesque inficiendas: supponunt carbones, ac vestibus persaepe agitatis, et sus deque versis, permittunt ibi trium horarum spatio manere: quo tempore

extrahunt eas e cortinis, ac liquorem fluere sinunt : mox eodem opere quater repetito tractas demum vestes flumine abluunt. Nascitur in frigidis *Ocuilae* in montium faucibus, ac juxta aquarum defluxiones.

CAPUT LXXXVII.

De YTZTICPATLI, seu frigida medicina Acatlicpacensi.

Radícibus firmatur fibris similibus, candentibusque, e quibus edit caulem viridem, teretem, et tenuem, folia Ocymi, majora tamen, tenuiora, et magis acuminata, flores albos, exiles, et racematim dependentes, et fructum acinosum, et coccineum. Frigida, humidaque temperie constat, et odore gravi. Folia trita medentur inflammationibus. Nascitur in calidis humidisque locis.

CAPUT LXXXVIII.

De YTZTICPATLI Yohualanensi.

Radices fundit surculosas, e quibus multi prodeunt stipites tenues, teretes, et sesquidodrantales, ac in eis folia tenuia, et longiuscula. Radix est dulcis, frigefaciensque, aut moderato calore praedita. Propinatur pulvis ejus adversùs febres. Nascitur *Yohualani*, unde cognomen.

CAPUT LXXXIX.

De YTZTICPATLI *Atlapulcensi.*

Radicibus terram amplectitur surculosis, longisque, et extra fulvis, e quibus edit caules tenues, parvos, repentes per terram, folia terna, parvula, Trifolio similia, rubeos flores, ac siliquas phaseolorum instar. Radix frigefacit, et humectat. Sumitur laevigata adversùs febres, et saporem leguminis refert. Nascitur in frigidis, editisque locis, et servatur in annuos usus.

CAPUT XC.

De YTZTICPATLI *Hoitzocensi.*

Radicibus firmatur glandi similibus, albis, ac lacte manantibus, unde profert caules tenues, laeves, ac teretes, et duos dodrantes longos, foliaque exilia, similia capillis. Radix est dulcis, ac gustu vocatae *Xicamae* grato, frigida, et humenti temperie, et febres devorata exstinguens. Nascitur *Hoitzoci.*

CAPUT XCI.

De YTZTICPATLI *Frutice.*

Ytzticpatli, quam alii *Tezonquilitl* vocant, radicem fundit crassam, et longam, intus candentem, teneramque, et

plenam succo, et ex ea caules purpureos, folia in septem cuspides divisa, et has ipsas interdum quoque sinuosas, florem oblongum, candentem, et parvum, et fructum rotundum, ponticis nucibus paene parem. Radix demto cortice, quae impensè refrigerat, in laevorem redacta adversùs febres solet devorari. Jus decocti ejus loco aquae fontanae, aut fluvialis bibitum eumdem usum praestat, praeterque calidas quasvis intemperies emendat, ac corrigit. Nascitur in collibus *Hoitzocensibus*, nec est planta ulla apud has gentes, quae in exstinguendo calore majori in pretio habeatur, aut possit huic aliquo modo comparari.

CAPUT XCII.

De YZTICCHICHILCHOTIC, seu Ytztic simili Chilchotl.

Caules purpureos mittit, folia longiuscula, rara, siliquas virides, in quatuor portiones divisas. Foliorum, siliquarumque pugillus tritus, ac devoratus ex aqua exhibetur febres passis, aut dolorem a causa calida ortum sentientibus: evocato enim sudore, ac instaurata natura liberari plerumque contingit: frigida enim, humidaque, et glutinosa temperie constat. Nascitur in frigida *Xalatlauhci* regione, campestribus, ac planis locis.

CAPUT XCIII.

De YTZTICPATLI *Chimalhuacanensi Chalci.*

Radix est crassiuscula, ac sensim gracilescens, ex qua multi prodeunt stipites, binos dodrantes longi, et purpurei, refertique foliis Lini, longiusculis, et angustis, et flores cyanei. Provenit in jugis frigentibus, ac montosis locis. Radix frigefacit, et humectat, exhibeturque adversùs febres devoranda.

CAPUT XCIIII.

De altera YTZTICPATLI *Chalcensi.*

Herba est sesquidodrantem longa, foliis Lini, longis, et angustis, quaternis per intervalla, ac binis, luteis, et obrotundis flosculis per singulos foliorum exortus, et radicibus surculorum, aut fibrarum instar longis, ac tenuibus. Frigida constat natura, humidaque, qua febrientibus subvenire solet. Nascitur juxta aquas.

CAPUT XCV.

De YTZTICPATLI *Teotihoacanensi.*

Frutex est crassas, et longas radices altè in terram agens, et ramos parvos per terram serpentes, folia longa, angustaque, et rara, flores coccineos, ac modicos, et siliquas te-

nues, parvas, granulis *Chiae* similibus refertas. Radi ces, quae frigidae et humidae sunt, saporeque, et odore insigni carent, adversùs febres propinantur unciae unius mensura. Provenit *Teotioacani* acclivibus montium locis, ac juxta eorum radices.

CAPUT XCVI.

De YTZTICPATLI *glandifera.*

Radicem fundit glandi similem, unde cognomen, a qua prodit quidam funiculus niger, octo uncias longus, unde pendet alia: e superiori proferuntur bini ramuli, quatuor digitos prolixi, foliis ornati longiusculis, et angustis, Agrosti haud dissimilibus, ni paulò essent minora. Radices semunciae mensura tusae, atque devoratae dicuntur febres exstinguere.

CAPUT XCVII.

De YTZTICPATLI *Totonacapae.*

Folia fert Ocymi, minora tamen, et serrata. Frigida, et humida natura constat, et eosdem, quos ceterae plantae hujus nominis, praestat effectus.

CAPUT XCVIII.

De YTZTICTLACOTL, *seu virga frigida.*

Radices fundit surculosas, ex albo rubescentes, tenues,

et purpureos caules, refertos foliis longis, et angustis, et flores, ut perhibent, coccineos. Radices sunt adstringentes, et frigidae, atque ob eam rem et defluxiones retinent, et febres refrigerant. Nascitur in vallibus calentium regionum, humectisque locis.

CAPUT XCIX.

De YTZTICXIHUITL, *seu Herba frigida.*

Radici innititur brevi, edentique caules purpureos, et in eis folia majora illis Limonum, aut Mali Medicae foliis ferè paria, et circa ramorum extrema purpurea, fructum acinosum, racematim dependentem, et juxta geniculos capillamenta quaedam fusca. Frigida, ut ceterae ejus nominis, natura constat.

CAPUT C.

De YTZTIC *rubra.*

Herbula est folia statim a radice proferens longa, et angusta, pinguia, et similia illi Sedo, quod vocant Vermicularem, verùm prolixiora; radix est brevis, crassaque, et juxta finem gracilescens, adeoque raphaninae forma similis, extra e luteo rubescens, et intrinsecùs candens, etsi procedente tempore rubra fiat. Grati sentitur gustus, frigidaque, unde evenit ei nomen. Devoratur ex aqua trium drachmarum pondere adversùs febres, et praecipuè natu mi-

norum. Provenit saxosis, humectisque locis, ac montium faucibus agri *Huexotzincensis.*

CAPUT CI.

De ITZTIC *Tetzcocana.*

Herba est folia ferens Palmae, sed fulva supernè, flores magnos, ac rubeos, et caulem unicum; radix est bulbosa, radices juncorum sapore imitata, et lacte candidior: multae radices agminatim nascuntur. Jus decocti earum, aut aqua, ubi fuerint aliquandiu maceratae, febres tollit. Provenit *Tetzcuqui* in locis montosis, atque saxosis.

CAPUT CII.

De ITZTIC *Quauhtlae.*

Radicem fundit Raphani, caules breves, folia subalbida, hirsuta, modica, et oblonga, florem aridum, parvulum in procursu portionis caulium superioris, qui ex albo vergunt in subrubeum. Radix frigida, humidaque temperie constat, curatque febres. Nascitur in calidis, humectisque locis.

CAPUT CIII.

De ITZTIC *Ocoitucensi.*

Exilis herba est, radices fundens candidas, tenues, et fibratas. Frigida, et humida constat natura, ut indicat no-

men. Febrem sedat, et gustui grata est. Provenit in collibus. Est et alia herba ejusdem nominis apud *Ytzocanenses*, foliis mollibus, similibus origaninis, frigida, atque adstringenti natura, apud Indos valde vulgaris.

CAPUT CIV.

De YTZTIC YYACAPICHTLENSI.

Radices mittit longas, et tenues, pennae gallinaceae crassitudine, extra fulvas, et folia Ocymi, sed minora. Virus gratum ex se fundit, calorisque cujusdam particeps est, et tamen adversùs febres ajunt valere. Vidi aliam Herbam eodem nomine *Quauhquechullae*, frigidam, et adstringentem, quam non duxi depingendam, aut describendam, quoniam judicavi esse eamdem, aut saltem congenerem *Mechoacanensi Tistriuquae*, cui prorsùs videtur similis.

CAPUT CV.

De YTZTICCUICUITLANEXTIC.

Foliis Origani constat, sed minoribus, et subalbescentibus, lubricis, non omnino expertibus calore, et amaris, floribus candidis, copiosis, et in pappos abeuntibus. Eadem est, qua ceterae ononymae, natura, et *Ytzocani* proveniens.

CAPUT CVI.

De YTZTIC.

Radicem fundit parvam, calami anserini crassitudine, caules tenues, teretes, ac rubeos, octo uncias longos, folia Alsines, florem candentem, parvum, in spicae minimae senescentis formam compositum, ac exile semen, rotundumque. Radix sapore, et odore caret, etsi nonnullam dulcedinem praeferat. Semunciae pondere devorata ex aqua dicitur febres solvere. Frigida siquidem, humentique natura constat. Nascitur regionibus temperatis, qualis est Mexicana, et montosis gaudet locis.

CAPUT CVII.

De MATLALYTZIC, *seu Herba cyanea, ac frigida.*

Radice firmatur fulva, ac crassa, e qua profert caules parvos, ac fulvos, folia quernea, aut Chamaedryos, et flores coccineos, purpureosve. Frigida temperie constat; quamobrem tusa radix, ac drachmae unius mensura ex aqua epota mirè febres exstinguit, ac medetur punctis, quae Mexicenses *Matlaltotonqui* vocare consueverunt. Quibusvis locis, modò attineant ad temperiem, gaudet provenire. Sunt, qui *Caxtlatlapam* ob similitudinem vocent.

CAPUT CVIII.

De MATLALYTZTIC *secunda.*

Matlalytztic, quam alii *Matlalin* vocant, multas profert radices, similes Asphodelo, sed albas, teretes, ac tenuiores, adeoque Satyrio similes, cujus censetur species peregrina, unde profert caules bicubitales, geniculis per intervalla interceptos, et virentes, flores in extremis caulibus cyaneos, acervatosque, unde nomen; folia venosa, oblonga, et hirsuta. Frigida, et humenti temperie constat, oculis inflammatis cum lacte muliebri, et tantillo, si res ferat, nitri, medetur, et per se devorata punctis, febribusque unciae unius pondere cum lacte *Tlaolli* epotata. Sunt, qui *Tlaltecihuitl*, seu *terrae grandinem* vocant ob radicum candorem, frigus, ac formam. Reperi aliam Herbam eodem nomine apud *Tetzcoquenses*, et *Amaquemequenses*, majoribus tamen foliis, et tenuioribus radicibus, sed eadem natura, et facultate.

CAPUT CIX.

De MATLALYTZTIC *tertia.*

Herba est binas spithamas longa, foliis Lini, crassis, ordine dispositis in caule, qui teres est, et magna ex parte triplex, radice simili glandibus, floribusque in spicarum modum dispositis, parvis, et oblongis. Dulcis est, et pertinens ad tem-

periem. Discutit tumores praeter naturam tusa, atque imposita, et sesquidrachmae epota pondere, ac tormina enixarum sedat. Provenit *Xilotepeci*, ubi *Tlilticpatli* vocant.

CAPUT CX.

De MATLALYTZTIC *Tetzcocana.*

Herba est Triorchis fundens radices, cujus est peregrina quaedam differentia, sed parvas, et multas, unde profert caules geniculis singulis quibusque unciarum spatiis interceptos, teretes, hirsutos, digitum crassos, ac duos dodrantes longos, folia crassa, Plantaginis forma, serrata, raraque, et circa exortum haud dissimilia arundineis, minora, et subalbescentia, flores cyaneos, calycum forma, et praecipuè juxta caulem extrema. Radix discutit tumores praeter naturam a causa calida ortos tusa, atque applicata, aut devorata duarum drachmarum mensura, humorum impetus coërcet, sanguinis reprimit redundantiam, aestumque refrigerat. Cortice tegitur crasso, dulcisque est non sine quadam amaritudine; quo fit, ut flatu excitato adjuvet venerem. Nascitur in montibus Mexicanis.

CAPUT CXI.

De MATLALYTZTIC *Atlapulcensi.*

Herbula est radicibus firmata parvis, Asphodelo simili-

bus, glandulisve, candentibus, expertibusque saporis, et odoris. Hae frigida, et humida natura constant, et ad febres exstinguendas sunt utiles. Ex eis proferuntur caules teretes, laeves, tenues, et paululùm purpurei, et in his Amygdali folia, et flores cyanei, unde nomen. Nascitur in montibus *Atlapulcensibus*.

CAPUT CXII.

De MALALYTZTIC expurgante.

Febres acútas finit, quoniam frigida est, et per inferna humores purgat biliosos scriptulorum quaternum mensura devorata radix. Luteo autem colore aquam, ubi aliquandiu maduerit, inficit, unde nomen, urinamque et lenit, et provocat. Venalis est radix in Mexicanis emporiis.

CAPUT CXIII.

De QUETZALYTZTIC, seu Herba frigida pennata.

Radicem fundit Quetzalytztic longam, et tenuem, cui appendet acinus ciceris magnitudine, et forma, sed paulò major, candidus, et dulcis, quique adversùs febres devoretur, frigida, et humida constans temperie; caules praeterea tenues, teretes, virentes, per intervalla geniculatos, et circa radicem purpureos, folia longa, et angusta, et non longè ab eorumdem exortu flores exiles, et paululùm purpureos,

et pro fructu granula terna in vasculis contenta tripartitis. Nascitur *Amaquemecae* non longè ab aethna oppidi *Angelorum*, et nivosis montibus.

CAPUT CXIV.

De QUAUHYTZTIC, seu *Ligno frigido.*

Herba est radicem fundens longam, raphaninae similem, et fibratam, unde profert caules punctis distinctos, nonnihil fulvos, et in eis folia longiuscula, angusta, et parva, rutaceis similia, sed prolixiora. Vis est, quam indicat nomen.

CAPUT CXV.

De TLATLAUHQUIYTZTIC, seu *Herba frigida rubra.*

TLATLAUHQUIYTZTIC, quam alii *Xauhalitztic* vocant, seu *Herbam frigidam, et comtam*, radici unicae insistit orbiculari, nucis juglandis forma, et magnitudine, unde profert caules volubiles, et in eis folia terna, phaseolorum figura, flores purpureos, et in cyaneum colorem inclinantes, leguminum, quorum est species, floribus similes. Radix est extra fulva, intra verò lactei candoris, et sapore praedulci, ad temperiem spectante, aut paulò frigidiore. Quamobrem adversùs febres solet exhiberi, praecipuè quibus accidunt puncta. Nascitur *Amaquemecae* juxta saxa.

CAPUT CXVI.

De TLALYTZTIC, *seu Herba humili, ac frigida.*

Tlalytztic, quam alii *Tlalcecec*, seu *frigidam* vocant, Herba est exilis, foliis crenatis, radice crassa, alba, teneraque, saporis insignis expers, odore gravi, nonnihil foetido, ac albis floribus. Radix frigida, et humida natura constat. Bibitur ex aqua adversùs febres: succus epotus temperat lactis mulierum abundantiam, et lac ipsum emmendat, ac perficit. Nascitur in planis, collibusque regionum frigidarum.

CAPUT CXVII.

De alia TLALCECEC.

Ttalcecec, quam etiam *Tlalytztic*, seu praecedentem vocant, Herba est radicis obrotundae, et brevis, in tenuemque finientis fibram, unde proferuntur caules, et in eis obrotunda folia, summa verò prorsùs orbicularia. Frigida, humentique praedita est natura, et febrientibus pota, aut illita confert.

CAPUT CXVIII.

De TLAPALYTZTIC.

Tlapalytztic, seu *Herba fulva*, et *frigida*, radicibus constat surculosis, extra fulvis, et intus albis, unde prodeunt folia longa, Cichorii foliorum aemula, sed angustio-

ra, flores verò, ut ajunt, aut caules, fructusve nulli. Radix semunciae pondere devorata diarrhoeas compescit, aut quomodolibet aliter admota, frigida enim et glutinosa constat natura. Jus decocti ejus urinae ardorem exstinguit, et meatus ejus extergit, refrigeratque. Provenit in montosis, ac frigidis o cis.

CAPUT CXIX.

De YYCHCATIC, seu planta Gossypio simili.

Volubilis genus est foliis Limonis, et radice surculosa, quae, quacumque parte frangatur, fila ostendit similia gossypinis, unde invenit apud hanc gentem nomen. Propinatur radix corroborandi corporis gratia enixis pro harum gentium more ex aqua resoluta: frigida enim est, et adstringens. Nascitur apud *Quauhnahuacenses* in montium faucibus, locisve acclivibus. Vidimus aliam Plantam eodem nomine apud *Yacapichtlenses*, foliis subalbidis, et hirsutis praecedentium circiter forma, radice dulci, et ad temperiem spectante, quam retulere febrientibus sudorem devoratam elicere, semunciae verò mensura epotam interdum omnes humores purgare.

CAPUT CXX.

De YYCHCATIC altera.

Multas fundit *altera* Yychcatic radices tenues, et can-

didas, ex his stipites, ac folia oblonga, hirsutaque, et Herbae vocatae a recentioribus Pilosellae similia, ac pallentem florem. Frigida constat natura, qua medetur inflammationibus. In campestribus, et frigidis nascitur, aut Thermatis, et montium lateribus.

CAPUT CXXI.

De YYCHCATIC *tertia.*

Herba est exilis, radiculis insistens longis, candidis, tenuibus, dulcibus, et frigidae, humentisque naturae, aut saltem caloris temperati. Febrientibus conferre dicitur. Nascitur verò in collibus frigidarum regionum.

CAPUT CXXII.

De YYCHCATIC *arbore.*

Arbor est magna, cujus cortex, qui ruber est, frigida constat natura, siccaque, et adstringenti. Puerperis solet ab enixu, corroborationis gratia, et a mensibus, cùm est eundum ad balneum, exhiberi, mensura semunciae tritus, et redactus in farinam, ex aqua.

CAPUT CXXIII.

De YYCHCATIC *Yyacapichtlensi.*

Frutex est hominis aequans altitudinem, Cerasi foliis, ser-

ratis, sed tamen majoribus, vasculis coccineis, orbicularis figurae, in summis caulibus. Frigida est, et sicca natura. Nascitur in planis, calidisque locis.

CAPUT CXXIV.

De YYCHCATIC *Tlachmalacacensi.*

Frutex est quatuor dodrantes longus, radice Raphani fibrata, ex qua prodeunt stipites lignosi, et purpurascentes, et folia Limonis, paululùm serrata, et latiora. Radix est frigida, et sicca, adstringensque, utilis adversùs febres, et defluentem alvum; verùm jus decocti radicum exhiberi solet ab his Indis Medicis, ut saepius admonui, recenter enixis mulieribus corroborationis gratia, cùm jam sunt ad balneum ducendae, quod est etiam illis frequentissimum, parùm curantibus, an ne descendant, aut cohibeantur menstrua. Nascitur in calidis.

CAPUT CXXV.

De ICHCACAT *Etzcoquensi, seu Herba gossypina.*

Folia fert Leguminis, ac Fumariae vulgaris flores, sed tamen cyaneos, radicem verò longam, tenuem, et fibratam, cujus pulvis medetur ulceribus cancerosis. Nascitur in locis campestribus regionum temperatarum.

CAPUT CXXVI.

De YCHCAXIHUITL, *seu Gossypio.*

Gossypii haec planta est huic Novae Hispaniae, multisque Insulis Maris Occeani frequentissima, et cujus per singulos annos uberrima fit messis. Germina tusa, atque epota ex aqua ajunt mirè resistere puncturis scorpionum, viperarum, ceterorumque animalium venenatorum. Caulis videtur frigidus, siccusque, et adstringens, ulceribusque medetur laevigatus, et admotus; folia verò glutinosae naturae sunt. Nascitur in calidis, humidisque, cultis praecipuè locis.

CAPUT CXXVII.

De YCHCAXOCHITL.

Ratio nominis fuit fructum ferre Gossypii vasculis persimilem. Arbor est foliis Mali Medicae, sed minoribus, magis acuminatis, et in luteum vergentibus colorem, stellatis floribus, luteisque promiscuè, et albis, fructu verò, qualem diximus. Usus est tantùm floris.

CAPUT CXXVIII.

De altera YCHCAXOCHITL.

Fert et hic Frutex florem Gossypio similem, unde invenit nomen. Sunt autem folia cordis figura, sed lon-

gè majora, flores Gossypii, unde, ut dictum est, sortitur nomen, pallescentes ex rubeo, insipido gustù, ac natura lubrica, frigidaque, et humida temperie. Nascitur in planis, et aquosis regionum calidarum, quale est *Ocopetlayuca*, locis, ac floret Septembri.

CAPUT CXXIX.

De YZHOATOMATL, *seu foliis Tomatl.*

Genus est Solani *Tepecuacuilci* provenientis, et ferentis fructum vocatum ab Indis *Tomatl*, inclusum vesiculis. Assurgit in Arboris magnitudinem, cetera aliis omonymis similis: eodem enim modo profert flores albos, ac fructum *Miltomame*, et folia lata. Frigida natura constat, glutinosaque. Fructus, et folia tusa, atque applicata medentur capitis, fauciumve tumoribus, qui a calida causa habent ortum.

CAPUT CXXX.

De YZTACPATLI, *seu candida medicina Xochitepecensi.*

Radicem profert obrotundam, crassam, ac longam, extra fulvam, et intus albam, unde nomen; ex qua profert caules quatuor spithamas longos, et nonnihil vergentes in purpureum, folia sinuosa, serrataque, foliis vitigineis quadantenus similia. Radix, quae calcis instar laevigabilis est, in pulverem redacta exhibetur adversùs febres, quibus va-

cuata causa medetur. Acida est non sine quadam amaritudine, et natura frigida. Nascitur in faucibus montium.

CAPUT CXXXI.

De YZTACPATLI *Chimalhuacanensi.*

Radicem profert longam, crassam, fibratamque, et candentem, unde nomen, ex qua caules producuntur octo uncias longi, et in eis folia Ocymi, sed minimè serrata, et longioribus quadantenusque pennatis pediculis, mollia, tenuiaque, et florem, ut ferunt, candentem, et modicum. Frigida, humidaque temperie constat, etsi nonnullius amaritudinis sit particeps. Propinaturque nimio calori placando.

CAPUT CXXXII.

De YZTACPATLI *Tetzcocana.*

Yztacpatli *Tetzcocana*, quam alii *Tetequexquic*, alii *Quequexquic*, alii *Tequequexquic*, et alii *Temecatl*, seu *funiculum* vocant, radicem fundit pyri forma, séd duplo majorem, et fibratam, unde proferuntur caules volubiles, sarmentosi, et cubitales, digitum crassi, fusci, et nodis hinc inde inconditis exorientibus: folia sunt serrata, et cordis figura. Flore, et semine dicitur carere, temperata, aut paulò frigidiore natura constat, glutinosaque, albo etiam colore, unde nomen, et sapore paulisper dulci, sed qui statim vergat in amarum.

Radix ejus trium, quaternumve drachmarum mensura solet exhiberi his, qui aegritudinem aliquam nuper evasere, aut ducendis in balneum, exstinguendi reliqui caloris, et roborandarum virium gratia; dysenteriis quoque epota medetur, aut infusa. Gaudet temperato caelo, quale est *Tetzcocanum* montosis, editisque locis, et toto anno provenire.

CAPUT CXXXIII.

De YZTACPATLI *Pahuatlanensi prima.*

Volubilis genus est firmatum radice crassa, Arborum conscendens culmina, spiniferumque. Cortex est candidus, tener, ac dulcis, cor verò, aut medulla lenta. Tritus hic propinatur confractis, ac passis lassitudinem, casumve. Flos est candens, et orbicularis, ex quo cucurbitula demum gignitur limonis vulgaris forma, atque magnitudine. Nascitur in frigidis *Pahuatlanensibus*, asperis, ac montosis locis.

CAPUT CXXXIV.

De YZTACPATLI *Pahuatlanensi secunda.*

Radices fundit surculosas, extraque e fulvo vergentes in pallidum, ex quibus prodeunt caules purpurei, et in eis folia Ocymi per ambitum scissa, ac flores in postremis ramorum flagellis lutei, et exiles. Radix est dulcis, quae tusa, atque ex aqua devorata placat incendium. Nascitur in ca-

lidis, editis, ac campestribus locis, et montium lateribus.

CAPUT CXXXV.

De YZTACPATLI *Tenayucae.*

Radicibus firmatur candentibus intrinsecùs, extra verò fulvis, et magnis, unde profert caules volubiles, et teretes, et in eis folia Hederae, sed mollia, ac veluti rugosa, raraque, pediculis longiusculis appensa. Frigida est, ac nullius ferè saporis. Propinatur radix semunciae pandere febrientibus, quoties videtur expedire.

CAPUT CXXXVI.

De YZTACPATLI *Temuacensi.*

Herba est folia Olivae ferens, minora tamen, radices tenues, unde profert caules dodrante breviores. Frigidae est, et humidae temperiei, ac febrientibus conferens.

CAPUT CXXXVII.

De YZTACPATLI *asphodelina.*

Ita libuit cognominare hanc plantam, quòd radices fundat Asphodeli aemulas; sunt enim velut illae glandibus similes. Species verò est alterius *Yztacpatli*, quae eisdem constat radicibus, verùm folia minora sunt, et serrata, caules dodrantales, flores verò oblongi, parvi, et rubri. Frigidae

est, atque humentis naturae; quamobrem radices semunciae pondere ex aqua resolutae, atque devoratae febribus conferunt.

CAPUT CXXXVIII.

De YZTACPATLI *napina.*

Radices sunt multis parvis napis similes, plantae velut appendentes, ex quibus prodeunt caules referti foliis virentibus, amygdalinis, sed tamen latioribus, ac fructus similes cerasis, sed minores, ac minimè edules. Radices semunciae pondere tusae, atque ex aqua devoratae febrem exstinguere dicuntur, ac corpus leniter purgare, quae subdulces sunt, et temperati caloris.

CAPUT CXXXIX.

De YZTACPATLI *siliquata.*

Folia fert longa, et angusta, subalbidaque, et multis interveniis candentibus distincta, siliquas *Chili* pares, et radices similes Asphodelo, albas, sapore dulci non sine amaritudine quadam; atque adeo tusae unciae unius pondere, resolutaeque ex aqua, atque epotae ventrem expurgant, urinam evocant, et puncticulari morbo dicuntur mederi. Succus earumdem discutit argemata, et alias oculorum affectiones, etsi frigida videatur constare natura, et febribus mederi, quemadmodum plurimae ex his, quae ita appellantur,

sed partium calidarum non est omnino expers.

CAPUT CXL.

De YZTACPATLI *Arbore expurgante.*

Arbuscula est Ulmi foliis, pinguibus, serratis, ternis, et mollibus, fructu comante, viridi, cicerum forma. Cortex radicis quatuor drachmarum mensura bilim, ac pituitam per superna detrahit. Nascitur in temperatis *Ocoituci* locis. Flos est similis uvis florescentibus.

CAPUT CXLI.

De YZTACPATLI, *pharmacove Ytzocanensi.*

Frutex est folia ferens obrotunda, radicem crassam, longam, ac molli cortice vestitam. Eadem semunciae pondere devorata ex aqua bilim per superna vehementer purgat. Amara autem est, acris, et tertio calefaciens ordine. Nascitur in calidis.

CAPUT CXLII.

De YZTACPATLI *verbascina.*

Radicem mittit candidam, ac tenuem, teretem, volubilem, et tres spithamas, aut ampliùs longam, unde oritur unicus geniculatus caulis per singula trium, quatuorve unciarum spatia, viridis, teres, et subalbescens, flores candentes, in umbellas compositi, jucundi odoris, punctis pur-

pureis distincti, et Julio mense florentes, folia obrotunda, obtusaque, infernè subalbescentia, et supernè viridia, qua in re verbascinis similia sunt, unde nomen. Sapor est amarus, et calefaciens vis; quo fit, ut unius unciae pondere epota satietati, et punctis medeatur apposita. Provenit *Tetzcoqui*, et *Xilotepeci*, ubi *Yztacpatli* vocant.

CAPUT CXLIII.

De YZTACPATLI cyanea.

Est et alia Herba Yztacpatli nuncupata, quam nos a colore floris distinctionis gratia cyaneam vocavimus. Fundit haec spithamaeas radices, crassitudine anserum pennas imitantes, e quibus caules oriuntur teretes, candidi, tenuesque, referti foliis Ocymi, serratis, verùm longè majoribus, et mollioribus, flores verò cyanei, oblongique, et vasculorum forma, ubi semen gignitur. Radices tritae, et epotae ex aqua semunciae, aut paulò majori pondere, quoties videatur expedire, exstinguunt febres. Temperatis, montosisque gaudet locis, Mexicensibusque, et Septembri mense mittit flores. Sunt qui *Matlalxochitl* vocent.

CAPUT CXLIV.

De YZTACPATLIPITZAHOAC.

Volubilis est folia Rosae quadantenus ferens, inferna

parte squallentia, asperaque. Sapore, et odore insigni caret, frigidaque, et humenti constat natura. Febrientibus auxiliatur radicis cortex redactus in farinam, atque devoratus. Nascitur in locis humectis, et montium *Ocoitucensium* faucibus.

CAPUT CXLV.

De YZTACPATLI, *seu Nextamalxochitl.*

Radicem fundit surculosam, interdum candentem, subrubeam pro soli, et aetatis ratione, folia Leguminis, et vesiculas fulvas, intra quas grana singula reconduntur, rotunda, ac candida, et rubentem florem, modicumque. Radices virentium cicerum saporem aemulantur, et modicè calida natura constant; atque ita auxiliantur feminis, cùm a partu vexantur torminibus. Nascitur in montibus *Culhuacanensibus*, qui frigidi, et humidi sunt.

CAPUT CXLVI.

De YZTACPATLI *Teteoamacensi.*

Radices surculosas fundit, folia Leguminis, angusta, et longa, florem album, pilosum, oblongumque, et abeuntem in pappos. Radix amaritudinem quamdam ostendit, calidaque, et sicca ordine ferè tertio constat natura, et nonnihil urente guttur. Succus radicis admoveri solet ab Indis Medicis inflammatis oculis, sed turpiter, et flagitiosè, velut et balnea aquae

frigidae recens natis infantibus, ipsisque puerperis, propinatis quoque frigidis, et adstringentibus medicamentis, atque extrinsecùs cuti admotis, quae etiam applicant exanthematis, et humoribus quomodolibet ad cutem defluentibus; verùm haec rationi minimè videntur consentanea, et saepenumero non modò non juvant, sed miserè malè valentes excarnificant, atque perdunt.

CAPUT CXLVII.

De TLALYZTACPATLI, *seu Medicina candida humili.*

Radicem longam fundit, raphani forma, sed tenuiorem, fibratamque, et ex ea caules multos, tenues, teretes, ac longos tres spithamas, folia longa, et tenuia, et siliquas parvas, ac tenues, plenas semine rotundo. Radix resoluta ex aqua confert adversùs delirium, febresque trium drachmarum devorata mensura. Nascitur *Tehotihoacani* ubique.

CAPUT CXLVIII.

De YZTACXIHUITL, *seu Herba candida.*

Herba est folia ferens Ocymi, floremque, sed e cyaneo in album vergentem, velut Marrubii. Calida est, et sicca ordine tertio; atque ita rigores, et frigora febrium tollit.

CAPUT CXLIX.

De YZTACXIHUITL altera.

Frutex est foliis Salviae, sed aliquantò brevioribus, flore Faenugraeci, aut Medicae sylvestris. Calefacit ordine primo, et humectat secundo. Cordis affectibus, epilepticisque dicitur mederi.

CAPUT CL.

De YZTACQUAHUITL secunda, vel Tecacapan, vel Chichiahuacxihuitl.

Volubilis est genus ad Hispanias jamdudum allatum, nuncupatumque apud vulgus basium monialis. Calida, et glutinosa natura constat, oculis medetur, evocat urinam, et semen retentum pellit.

CAPUT CLI.

De YZTACZAZALIC, seu Herba glutinosa, et candenti.

Volubilis genus est radicem ferens internè candidam, externè verò rubeam, impensè glutinosam, unde evenit illi nomen, et insigni carentem sapore, caules longos, tenues, convolventes sese, et in eis folia Alliariae, Tussilaginisve, leviter serrata, ac florem, ut ajunt, nullum, sed fructum racemosum, uvis acerbis forma, et magnitudine similem, et capreolos hinc inde exorientes. Radicum ejus decocti jus

medetur diarrhoeis : radix verò ipsa epota unciae unius mensura itinere longo defatigatis succurrit. Medetur fracturis cum *Xochinacaztli* , urinam evocat unciae unius pondere devorata : exhibetur ducendis in balneum post aegritudines, partumve corroborationis , ut ajunt , causa , et exstinguit febres , applicata verò dolores lenit , et repellit inflammationes. Frigida enim est , humentique , et glutinosa natura. Montanis , saxosisque locis regionum temperatarum , qualis est Mexicana , provenire solet.

CAPUT CLII.

De YZTACTEXCALCHICHIC , *seu Herba candida , amara , et lapidibus innascenti.*

Herba est folia Bliti proferens , serrata , *Eloquiltic* similia , et radicem napo longo , crassoque parem. Haec est aliquantisper amara , sed frigida , humentique natura , atque ita febrem devorata , aut illita tollit.

CAPUT CLIII.

De YZTACTLATLANCUAYE , *seu Herba alba , geniculata.*

Radicem fundit magnam , candidam , et nodis plenam, unde nomen , pollicaris crassitudinis , et ex ea tres , quatuorve caules , rubescentes , sarmentosos , et nullis ferè vestitos foliis , iisque Olivae minoribus , et magis acuminatis,

virore diluto tinctis, et florem *Xenopodis*. Frigida temperie constat, ac febrem elixa cum granis aliquot *Tlaolli* dicitur exstinguere.

CAPUT CLIV.

De YZTACXOCONOCHTLI, *seu Tuna acida, et candenti.*

Species est *Nochtli*, longa proferens folia, flores candentes, et fructum acidum, quae omnia vel solo ipso indicantur nomine.

CAPUT CLV.

De YZTACYHOIXOCHITL, *seu Flore plumae.*

Herba est foliis Sennae, minoribus, radicibus longis, ac tenuibus, fructu parvo, rotundo, piloso, et candido, moris parvis persimili, ac flore albescenti. Frigida est, et nonnihil adstringens.

CAPUT CLVI.

De YZTACTLATLACOTIC, *seu Herba candida sudi simili.*

Herba est quatuor dodrantes longa, firmata radice surculosa, cujus cortices fusci sunt, folia oblonga, asperaque, flores candentes, et parvi, contenti calycibus. Radix est calida, siccaque, et odora, resinosa, ac subtilium partium, temperieque ejus *Amamaxtlacotl*, quae fundit sanguinem. Ra-

dix tusa, ac trium drachmarum pondere devorata mirè sedat dolores. Habetur maximi a *Tlacotepecensibus*, apud quos provenit.

CAPUT CLVII.

De YZTACTLATLACOTIC *altera.*

Radicem fundit surculosam, dulcem, et subamaram, folia longiuscula, et angusta, hirsuta, et subalbescentia, hirsutos caules, tenues, et geniculatos, fulvosque, flosculos prolixos, et candentes. Calida est ordine secundo, humidaque, et pectori amica. Asthmati, et satietati dicitur conferre radix cum Maizio elixa, et ingesta, jusve decocti ejus bibitum. Nascitur *Quauhquechullae.*

CAPUT CLVIII.

De YZTACTLATLACOTIC *Ytzocanensi.*

Folia fundit Marrubii, virentia, et aspera, caulem quadratum, striatumque, ac fulvum florem. Medetur pectoris doloribus applicata. Nascitur in calidis *Ytzocani.*

CAPUL CLIX.

De YZTACTLATLACOTIC *Chimalhuacani.*

Radicem fundit crassiusculam, et sensim grascilescentem, fibratamque, candidam, et subamaram, unde prodeunt caules tenues, et purpurei, quaternosque longi dodrantes, et in eis folia oblonga, angusta, parva, et ra-

mis valde adhaerentia, flores longiusculi, lutei, et stellati, fructus verò racematim ex singulis foliorum exortibus orientes. Radix est subamara, et nonnihil dulcis. Confert pectori, asthmati, et satietati cum Maizii granis aliquot decoctis devorata, aut cum *Cacaoatl*. Nascitur *Chimalhuacani* montosis, frigidisque locis.

CAPUT CLX.

De altera YZTACTLATLACOTIC *Chimalhuacanensi.*

Radicem fundit candidam, fibratam, et sensim gracilescentem, et ex ea caules fuscos, et folia Lini, longa, tenuiaque, et adhaerescentia caulibus, qui sunt sesquidodrantem plùs minùs longi; flores verò fuscos, granis coriani similes, per singulos exortus foliorum longiusculis prodeuntes pediculis. Radix, quae initio dulcis est, postea amara sentitur, moderatumque calorem participat. Pectoris dicitur mederi morbis aqua, in qua calenti radix per noctem macerata sit, et pellere e renibus, et vesica lapides. Nascitur in frigidis, montosisque *Chimalhuacani* locis.

CAPUT CLXI.

De YZTACTLACOTL, *seu virga candida.*

Radix est unica, brevis, obrotunda, fibrata, albaque, unde nomen; èx qua prodit caulis unicus, viridis, et sesqui-

dodrantem altus, et in eo folia Lini, longiuscula, et angusta, et candidi, exilesque flosculi. Frigida natura, humidaque constat radix, aut moderata. Eadem bibitur ab his quibus ob vim aegritudinis, nimiumque calorem saliva destitui contingit, refrigerii, atque humectationis gratia. Nascitur in frigidis *Tlalmanalci* collibus.

CAPUT CLXII.

De YZTACTEMECATL, seu candenti Volubili.

Yztactemecatl, quam alii *Tlalpatli*, seu *terrestrem medicinam* vocant, Volubilis est genus, folia Ocymi ferens subalbescentia, et minimè serrata, radices longas, minimi digiti crassitudine. Hae dulces sunt, frigefacientesque, et humectantes, aut temperati saltem caloris. Succus bibitus curat scabiem. Nascitur in agro *Tacapichtlensi.*

CAPUT CLXIII.

De YZQUIXOCHITL.

Yzquixochitl, seu *planta ferens florem similem granis Maizii, quae igni apposita crepuere*, Arbor est excelsa, folia, et flores ferens Mali Medicae. Aspectu pulchra est, et florum odoratissimorum gratia expetita ab omnibus, et dignissima, quae, nisi loca amaret calidiora, exornaret hortos Philippicos. Temperies est aliquantulùm frigida, et adstrin-

gens. Calidas amat regiones, etsi in frigidas quoque regum diligentia, humanaque descenderit industria, ac toto floret anno. Flos applicatus dentium dolorem sedat, ingestus medetur satietati, et pectoris morbis, coctionemque juvat, et miscetur potioni *Cacaoatl* commendandi halitus gratia. Nascitur *Quauhnahuacensibus* agris, *Hoaxtepecensibusque*, laetiùs verò in cultis locis. Flos Cynorrhodi formam refert, ac Rosae nostratis saporem.

CAPUT CLXIV.

De TLAPALTZQUIXOCHITL, *seu Tzquixochitl coccinea.*

Arbor est magna, foliis *Tlatlancuayae*, sed pinguioribus, et majoribus, floribus *Tzquixochitl*, sed ex albo rubescentibus, et quadratis stipitibus; folia Decembri mense in rubrum mutantur colorem. Provenit in horto quodam *Tepoztlanensi*, nempe frigida regione, nec alibi vidi eam Arborem. Folia, quae praeter supradicta in discursu ramorum per intervalla dena, undenave acervatim nascuntur, frigida sunt, et admodum adstringentia: succus admotus, instillatusve medetur oculorum inflammationibus, et febrientibus confert bibitus, praecipuè, si alvus sit plùs nimio fluida.

CAPUT CLXV.

De TEYZQUIXOCHITL, *seu Yzquixochitl saxea.*

Herbula est radicibus surculosis insistens, extra fulvis, intra verò candentibus, unde mittit caules teneros, teretes, purpureos, et lignosos, et in eis folia Lini, et florem Chamaemeli in summis caulibus, sed candentis ambitus, umbilici verò lutei, qui aliquando in purpureum vergit. Radix frigida est, et adstringens. Exhibetur haemoptoicis cum maxima utilitate quavis mensura. Provenit in saxis, saxosisve locis, nec omnino videtur distare a nostrate minori Belli vocata. Servatur verò radix in annuos usus.

CAPUT CLXVI.

De TLALYZQUIXOCHITL, *seu Yzquixochitl humili.*

Herba est foliis Pyri, radice *Ytztic*, floribus candidis, et modicis. Radix est sicca, folia verò frigida, ac glutinosa. Radicem ajunt mederi tussi, ac surditati. Nascitur *Amaquemecae* frigidis locis.

CAPUT CLXVII.

De altera TLALYZQUIXOCHITL.

Herbula est dodrantalis, oblongis foliis, et angustis, ac ferè salignis, radicibus fibris paribus, pulchra aspectu, sed

nullo usu medico commendabilis, ac floribus *Yzquixochitl* similibus. Est et tertia Herba hujus nominis, radice fibrata, et foliis parvis, sinuatis, et in quinque cuspides divisis, ac floribus Chamaemeli, in ambitu candidis, luteisque circa medium; cujus nullum adhuc usum medicum ab his Indis accepi, nisi forte ad Chamaemeli species referenda sit.

CAPUT CLXVIII.

De TLALYZQUITL, *seu Herba humili torrida.*

Radici insistit rotundae, nuci ponticae excorticatae forma, et magnitudine pari, candentique. Frigida est radix, ideoque semunciae pondere devorata exstinguit febrem.

CAPUT CLXIX.

De TEPEYZQUIXOCHITL, *seu Yzquixochitl montana.*

Arbor est magna foliis *Yzquixochitl*, sed majoribus, floribus candidis, calycibus hirsutis contentis, ac in magna muscaria compositis, odore tamen expertibus, *Yzquixochitl* quoque florum forma similibus. Frigida natura, siccaque, et adstringenti constat, et sapore paulisper dulci. Cortex tritus dolorem, ardoremque gingivarum tollit, easque ipsas tumentes residere cogit, dentes firmat commansus, et devoratus duarum drachmarum pondere alvi sistit defluxiones; idem cortex miscetur prunis Indicis, ut vino ex eis parando ro-

bur addatur. Nascitur *Cocolani*, et *Chietlae* calidis regionibus, ubi eam depingendam curavimus. Sunt qui *Quauhyzquixochitl* vocent.

CAPUT CLXX.

De QUAUHYZQUIXOCHITEMECATL, *seu Quauhyzquixochitl volubili.*

Genus est Volubilis, foliis Limonis, sed mollibus, floribus coccineis, ac parvis, siliquis praelongis, teretibus, ac binis perpetuò inter se cohaerescentibus, refertisque semine simili imbricibus numerosis, atque inter se mutuò conjunctis, haud sine quadam lanugine bombycinae persimili. Frigida humidaque facultate pollet, et provenit apud *Ocoitucenses*. Est et *Quauhyzquixochitl* Arbuscula radice surculosa, stipitibus purpureis, tuberosisque juxta radicem, et foliis constans Myrthi, ac floribus in summo pusillis, sed pulchro aspectu, et ex albo purpurascentibus, comantibus; eadem ferè, qua praecedens temperie, atque facultatibus, praeterquamquod florum etiam praestat usum.

CAPUT CLXXI.

De QUAUHYZQUITZIN, *seu Arbore torrida.*

Herba est radici insistens longae, ac sensim gracilescenti, fibrataeque, unde profert caules tenues, ac ternos cubi-

tos prolixos , et teretes, folia Olivae, longiuscula, et angusta ex utraque caulium parte. Nonnullum calorem participare videtur , atque ita ajunt Indi Medici folia admota pannis furunculisque discutere. Nascitur *Tlaxcallae* in collibus Arborum expertibus.

CAPUT CLXXII.

De YZQUIEPAPATLI *, seu Vulpeculae medicamento torrefacto.*

Nomen sortitus est a gravi Vulpeculae Indicae odore hic Frutex, folia producens Ocymi, et exiles , spicatosque flosculos in summis ramorum flagellis. Radix subamara est, subdulcisque , et nonnihil adstringens ; quam tusam referunt tumores praeter naturam aperire: folia tusa, atque illita dicuntur exstinguere febres.

CAPUT CLXXIII.

De YZQUIQUAUHUITL *, seu Arbore torrida.*

Volubilis est folia ferens obrotunda, quernea, et serrata, flores coccineos, e duobus circulis planis sese intersecantibus concinnatos. Liquor e teneris ejus germinibus stillans oculis mirum in modum confert , et carnem tollit oculis supervacaneè innascentem. Calida , siccaque , et adstringenti natura constat, et subamaro sapore. Nascitur in calidis *Chietlae* locis.

CAPUT CLXXIV.

De TOLMIMIQUILIZPATLI.

Radices sunt tenues, folia angusta, et longiuscula, caules prolixi, ornati flosculis pallentibus. Radix est amara, acrisque, et calens ordine tertio. Eadem trium drachmarum devorata pondere syncopi mederi dicitur ortae a crassis humoribus, pituitamque, et bilim vacuare, si bis quotidie devoretur. Nascitur apud *Huaxacenses*.

CAPUT CLXXV.

De TTACPATLITEICOTLALTI, *seu alba medicina vomitui ciendo idonea.*

Frutex est hominis aequans altitudinem, surculosis radicibus, crassissimi corticis, et medullae tenuissimae, unde prodeunt stipites, et in eis folia per ambitum crenata, Chamaedryos, Ilicisve similia, et flores parvi in muscaria modica compositi, luteique. Radix succo manat, teneraque, et candenti substantia constat, sapore verò initio dulci, deinde amaro: folia odora sunt, ac simili sapore. Radix ex aqua resoluta, devorataque unciae unius pondere omnes humores vacuat per superna. Nascitur in *Quauhquechullae* montibus, et saxosis, editisque collibus.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER UNDECIMUS,

FRANCISCO HERNANDO,

MEDICO ATQUE HISTORICO

PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS,

ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De YOHUALAHUACHXIHOITL, *seu Herba roris nocturni.*

Herbula est folia ferens cordis figura, parva, et mollia in cauliculis teretibus, tenuibusque, flores albos, et modicos, et radicem longam, tenuem, et fibratam. Frigida, et humida natura constat, et Alsines genera nostratia videtur quadantenus aemulari, exhibeturque adversùs febres devoranda.

CAPUT II.

De YOHUALAHUECHTON, *seu rore noctis.*

Caules fert teretes, purpureos, per intervalla genicu-

latos, ac similes in multis illis *Acaxaxan*, et in eis folia Plantagini similia, eisdemque distincta venis, sed minoribus. Frigida natura constat, et aliquantulùm lubrica. Flos est caeruleus, et parvus, oriens e vasculis quibusdam trigonis, quando jam hiant. Radices sunt similes capillis. Succus medetur oculis inflammatis. Posset verò in Plantaginis species referri. Nascitur in calidis *Hoaxtepecensibus*, campestribus, et cultis locis, praecipuè juxta aquarum fluenta.

CAPUT III.
De YOHUALXOCHITL, seu Flore nocturno.

Yohualxochitl, quam quidam *Cozcaquahuitl* vocant, alii verò *Yahoalxochitl*, seu *florem orbicularem*, Arbuscula est folia Ebuli, Sambucive ferens, ad quorum species fortassis erit referenda, nisi quis malit ad Vitis sylvestris genera pertinere, sed minimè serrata, umbellas Sambuci, e flosculis aggeratas orbicularibus, et pallentibus, interdum, ut ferunt, contractis, et hiantibus noctu, unde nomen, ex quibus acini fiunt racematim dependentes, venenatae, ut ajunt, naturae, initio virides, deinde coccinei, ac tandem purpurei; radices verò resinosi saporis, glutinosas, et gustus nonihil odori. Calida, siccaque ordine secundo constat natura, et sapore amaro. Tumores apposita discutit, aut maturat, et rumpit, punctis drachmarum quatuor pondere devorata medetur, quibusdam, epota ex aqua sudorem evocat,

et aliis alvum ciet ; pulvis ejus medetur inspersus ulceribus insanabilibus , et confert scabiei , lepraeque , auxiliatur etiam resolutis , et uterino affectu laborantibus. Sunt , qui edant folia frixa , expresso priùs succo medicinae gratia , asserantque ad eum modum , infusave corpus extergere , atque impinguare , et , ut carnem instaurat exesam , et casu aliquo exhaustam , sic supervacaneam citra ullam noxam , sensumve doloris corrodere , et absumere , vanos timores pellere pectori imposita folia , et syncopim inde profectam tollere. Nascitur *Chapultepeci* non procul ab urbe *Mexicana* montosis , editisque locis , necnon in vallibus , planisque , et floret Junio.

CAPUT IV.

De YOHUALXOCHITL Quauhtlae.

Herba est quatuor dodrantes longa , flores ferens magnos , folia Ocymi , sed circinata , et majora , interdum rubescentia , ac subalbescentia interdum. Tusa ventris dolorem curare dicitur , seu quòd a calore procedat , seu quòd calidas ipsa Herba partes sortiatur. Sapore enim , et odore insigni caret , glutinosamque , et frigentem videtur participare naturam. Nascitur *Quauhtlae* , etsi nullum refugiat caeli statum , aut locum.

CAPUT V.

De YOHUALXOCHITL *tertia.*

Radicibus firmatur candidis, et longis, e quibus fundit caules laeves, teretes, tenues, viroreque exsaturato tinctos, folia Mali Medicae, sed minora, binis aliis eadem forma, sed modicis circumcirca pediculum propendentibus, florem album, ac fructum nullum. Folia tusa, atque apposita tumores calidos incipientes arcent. Nascitur in clivis transversis montium *Culhuacanensium.*

CAPUT VI.

De YOHUALXOCHITL *quarta.*

Frutex est similis *Yecapatli* forma, et viribus, etsi flore careat, nec gravem odorem spiret.

CAPUT VII.

De YZTACYOALXOCHITL.

Radici fibratae insistit, unde profert caules, et in eis Ciceris folia, florem album, pilosum, et orbicularem. Folia pugilli mensura tusa, atque ex aqua potata febrem sedant.

CAPUT VIII.

De YOHUALPATLI Xonotlae.

Frutex est hominis aequans altitudinem, foliis ocyminis, caulibus tenuibus, teretibus, virentibus, sarmentosis, ac nullo, ut ajunt, flore. Folia tusa cum tenerioribus germinibus, devorataque exitiosa sunt, atque deleteria, corrosis, putrescentibusque e vestigio visceribus, et tertio demum die exhalante natura. Nascitur editis, ac planis locis.

CAPUT IX.

De YOHOALPATLI secunda.

Ita vocata est haec Planta, quoniam pulvis ejus inspersus noctu parvis fluminibus pisces interimat. Frutex est foliis tenuibus constans, parvis, oblongisque, quinis, propendentibus, et Loto urbanae similibus. Lac ejus medetur leprae. Provenit in frigidis *Tototepecensibus*, saxosisque locis ubique. Noctu pisces interimit, ut dictum est; cùm sit alia, quae interdiu, de qua sub nomine *Michpatli* suo dicetur loco.

CAPUT X.

De YZTAPALTLACOTL.

Yztapaltlacotl, quam alii *Chachayactli* vocant, alii *Quauheloxochitl*, alii verò *Hoexotzin*, Arbor magna est, folia fe-

rens Leguminis, siliquas latas, granis planis refertas. Medetur ulceribus cum cortice *Tzapotl* : quin cortex ejusdem Arboris exhibetur febrem patientibus, exstinguendi caloris gratia : quod etiam efficere solet jus decocti ejus epotum. Provenit regionibus calidis, temperatisque, qualis est *Mexicensis*, *Tyauhtepequensis*, et similes.

CAPUT XI.
De YTLANTLI, seu dentibus vetulae.

Frutex est nomen habens a spinarum cum dentibus vetularum similitudine, folia vitiginea ferens, nervis intercursantibus, qui ex pallido rubescunt, sed hirsuta, et minora, stipites teretes, hispidos, et in luteum colorem vergentes, praecipuè ea portione, qua sunt teneriores, flores albos in luteum etiam colorem inclinantes, fructum acinosum, toto caulis procursu racematim dependentem, primò viridem ac postea luteum, refertum candidis nucleis multis, parvisque. Amarus est sapor, ac vis calefaciens, et adstringens. Folium unicum resolutum ex aqua, atque epotum medetur satietati, et eodem modo vacuata causa febri, aut si folia pugilli mensura macerentur ex aqua, et liquor epotetur, alvum enim leniter subducit, admovetur capitibus puerorum inflammatis refrigerii gratia, modicus enim est ejus calor. Nascitur in calidis, frigidisque regionibus, convallibus tamen, campestribus locis, et humectis.

CAPUT XII.

De YLLAMAXOCHITL, *seu Flore vetulae.*

Radicem fibratam fundit, et ex ea caules refertos foliis longiusculis, et angustis, floribusque ex albo purpurascentibus. Nullus ex ea Herba praeterquam florum, qui copiosi, ac pulchri sunt, usus desumitur.

CAPUT XIII.

De YOLOCHICHILPATLI, *seu medicina cordis rubri.*

Radice firmatur fibrata, ex qua profert caules lignosos, et spithamam prolixos, et in his folia sagittarum ferro mucronato similia, sed colore illa Salviae imitantia. Odor est gravis, Salviae quoque odori persimilis. Calida, siccaque temperie constat, resinosaque natura, et tamen ajunt Indi erysipelatis mederi emplastri modo apposita, quod qui fieri possit, non video, nisi humore discusso, aut glutinosa quadam vi, humectantique. Provenit *Teotihuacani.* Similis est *Yolochichilchichiltic* forma paene omni, temperie, et facultatibus, atque adeo illi congener, aut prorsùs eadem, natalibus tantùm, ac aetate dissimilis.

CAPUT XIV.

De YOLOPATLI *Mecatlanensi.*

Pilulae sunt nucum ponticarum forma, tuberumve, truncis arborum putridis enatae, nigrae, fulvaeque, et saporis insignis expertes, frigidae, et humentis temperiei. Devorantur adversùs dolorem cordis, aestum, ac syncopem. Proveniunt verò in regionibus calidis.

CAPUT XV.

De YOLOPATLI, *seu cordis medicina.*

Ita vocant Indi *Hoeitlalpenses* tres Herbarum differentias, quarum prior radices fundit surculosas, caules sarmentosos, ac folia saligna, saporis, et odoris expertia, frigidaeque, et humectantis temperiei; altera radici insistit capillatae, et ex ea fundit Sonchi folia: tertiae verò radices sunt capillis similes, caules contorti, per intervalla geniculati, teretes, ac coloris viridis, folia oblonga, parvaque, et Ocymi figura. Frigidae sunt omnes, febres sedant, et nimio calore aestuanti cordi subveniunt. Secundam speciem *Tlacualizpatli* quidam vocant, de qua modò privatim sumus locuturi.

CAPUT XVI.

De TLACUALIZPATLI.

Herbula est radici innixa raphani figura, candenti, et capillatae, unde prodeunt pediculi longi, et Sonchi folia, infernè candidantia, et multis interveniis distincta: caret caule, et floribus. Frigida constat temperie. Sopitam appetentiam excitat aegrotantibus, qui ciborum abominationem patiuntur. Nascitur in calidis, humidisque locis.

CAPUT XVII.

De altera YOLOPATLI *irina.*

Radicibus firmatur pyris parvis similibus, sed subrubescentibus, et oblongioribus, fibratisque, unde funduntur folia Iridis, minora, angustioraque, et flores similes *Omixochitl.* Posset in Narcissi species referri. Radices unciae unius mensura devoratae cordis dolorem, aliosque ejus affectus curare dicuntur, unde nomen; febres exstinguere, ictisque, et iis, qui ex loco quodam excelso cecidere, aut verberati sunt, opitulari. Frigida enim, humentique constat natura: caloris, odorisque expers est. Sunt qui asserant syncopi mederi, moerori, ac pectoris morbis cubitum jam euntibus devoratam. Nascitur *Quauhchinanci* calida regione juxta montium fauces. Est et alia Herba *Yolopatlipitzahoac* nuncupata,

carens caule, flore, et fructu, foliis verò Plantagini similibus, sed tenacioribus, crassioribus, et angustioribus, ex unica radice singulis, binisve prodeuntibus; quae in calenti *Quauhchinanci* provenit regione, saxosis locis. Trita haec planta, ac devorata febres exstinguit; frigefacit enim quoquo modo corpori admoveatur. Nomen invenit aut a corde, cui utilis est, aut a forma foliorum, quae longa, et angusta sunt. Visae sunt praeterea aliae hujus Herbae species eadem forma, et facultatibus, quas describere, aut delineare non plurimum putavimus referre.

CAPUT XVIII.

De YOLOXOCHITL, *seu Flore cordis.*

Arbor est magna, foliis Mali Medicae, duplo tamen longioribus, umbilico, ac flore cordis figura, multis foliis stipato candidis, intrinsecùs rubescentibus, pinguibus, laevibus, tenacibus, glutinosis, adstringentibusque, et suaviter odoratis, calidae, et siccae temperiei, et quae addantur corticibus, aut ipsi potioni *Cacaoatl* non sine cordis, et ventriculi corroboratione, atque adstrictione fluentis alvi, si opus sit, eximia. Jus decocti cordis ejus, *Mecaxochitl*, *Mexochitl*, *Xochinacaztli*, *Tlilxochitl*, et *Collopatli* cum cauda *Tlacuatzin* utero infusum eximium est sterilitatis remedium. Habetur ab indigenis in maximo pretio tum ob medicos usus, tum ob floris ejus aspectu,

et odore praestantiam. Nascitur temperatis regionibus, qualis est Mexicana, campestribus, atque humidis locis, possetque (quantum conjectura assequi valeo) in hortos Philippicos, seu Carpetanos, seu Hispalenses transferri.

CAPUT XIX.

De YOLCOCOLPATLI, *seu affecti cordis medicina.*

Herbula est innascens Arboribus, caules fundens exiles, et firmos, refertos undiquaque capillis, folia rara, Olivae similia, sed minora, firma, crassaque, et nullis praeter dorsum nerveis discursibus. Potatur adversùs moerores ab affectu cordis profectos; frigida verò est, et humectans, et nulliusque saporis, aut odoris insignis particeps. Nascitur *Hoeitlalpae.*

CAPUT XX.

De YCELPATLI, *seu unica medicina Yahualiuhcani Tetzcoquensis.*

Herbula est radice firmata raphanina, extra fulva, et intus candida, verùm paulò minore, e qua edit caules purpureos, teretes, ac tenues, florem coccineum, folia Ocymi, obrotunda, hirsutaque. Refrigerat radix, in eumque usum maximi penditur ab indigenis, et in annuos usus servatur. Habet autem cum frigiditate siccitatem, atque adstringentiam conjunctam. Nascitur in collibus, acclivibusque montium Arborum expertium locis.

CAPUT XXI.

De altera YCELPATLI.

Herba est radice firmata raphanina, sed tenuiore, e qua profert caules purpureos, folia amygdalinis proxima, terna per intervalla. Temperata est radix, ac saporis dulcis. Conferre solet quomodolibet admota ligamentorum spondylium dorsi resolutioni, atque laxitati. Nascitur in montibus Mexicanis.

CAPUT XXII.

De YCECELTZIN, *seu sola medicina.*

Radicem fundit longam, tenuem, et capillatam, unde prodeunt quini cauliculi plùs minùs tenues, virides, ac breves, in tres ramulos summa parte divisi, e quorum ramulorum singulis terna prodeunt folia longiuscula, et angusta. Radix Pastinacam sapit. Ardorem ex aqua dicitur exstinguere, et febrem sanare; bibitur quoque ab heroibus Indorum ex *Cacaoatl.* Servaturque in annuos usus, atque reconditur. Provenit in montibus Arborum expertibus *Tlaxcallae.*

CAPUT XXIII.

De YCELTLACOTL, *seu virga sola.*

Radicibus firmatur Hellebori, e quibus mittit caules subalbidos, teretes ac sex spithamas longos, folia Marrubii,

squallida, scabra, et aliquantisper inferna parte hirsuta, distinctaque interveniis candentibus, luteos flores, calycibus scariosis juxta extremos caules contentos. Pulvis radicum fertur ulceribus mederi. Sunt hae gustu odorae, paululùm amarae, et tertio ordine calidae, ac siccae, subtiliumque partium. Provenit in calidis *Yohalani* juxta colles.

CAPUT XXIV.

De YZTAUHYAPATLI Tepoztlanica, seu medicina Yztauhyatl.

Inveni circa montes *Tepoztlanenses*, et saxosa loca Herbam quamdam, cujus nec nomen, nec facultatem Medici indigenae norunt, foliis Absinthii, seu *Yztauhyatl*, unde est impositum nomen, longis, angustis, hirsutisque, et quaternis per intervalla caulium, qui hirsuti sunt, et spithamaei, oriunturque singuli a singulis radicibus glandium instar, ac digitum crassis, sapore citra distinctionem ullam a *Tepocapatli* resinoso, et gustu odorato. Calida, siccaque prope tertium natura constat, non sine quadam adstrictione, et corroboratione, glutinosaque. Qua methodo possit quivis ceteras facultates, quae has natura consecuuntur, expiscari, atque reperire.

CAPUT XXV.

De YZTAUHYATL, *seu Sale amaro.*

Herba est forma, et viribus similis Absinthio, ideoque in hac Nova Hispania pro eo passim supposita. Duorum generum offenditur: latifolia scilicet, et tenuifolia. Utraque dolores ortos a frigore, flatuve tollit, confert pectori, colicis, iliacisque medetur. Addito praecipuè *Quauhyetl*, aut *Picietl*, membra interna roborat, lac evomentibus infantulis, aut patientibus satietatem opitulatur, si ori instilletur, obstructa aperit, cum *Ecapatli*, seu Lauro Indica medetur resolutis, jureque decocti ejus debilia, tumidave perquam accomodè lavantur crura. Nascitur temperatis, calidisve locis, possetque vel facili negotio in Hispanias, adsportato eo semine, ut conjecto, transferri.

CAPUT XXVI.

De TEPETLAYZTAUHYATL, *seu Yztauhyatl montana.*

Radicibus insistit similibus capillis, e quibus fundit caules tres spithamas longos, tenues, teretes, et purpureos, folia Chamaemeli, ac flores candentes, et in pappos abeuntes. Amara Herba est, calidaque, et sicca ordine tertio, subtiliumque partium, et tamen ea tusa jubent Indi Medici lavari febricitantium corpora, aut quia intelligunt ita rigo-

ribus febrium intermittentium adversari, aut quòd ita per cutem exhalent, perspirentque in vaporem conversi humores efficientes febrem. Id verò nominis sortita est, quòd amaritudinem, et formam *Yztauhyatl* referat, nisi quis malit eam in Chamaemeli, aut Parthenii species referre.

CAPUT XXVII.

De YTECOYONQUI, seu Herba ventris cavi.

Radicem mittit crassam, fibratamque, et geniculis interceptam, et ex ea caules laeves, teretes, et homine prolixiores, folia serrata, Mori circiter forma, sed mollia, ac laevia, flores albos, et modicos. Aqua, ubi maduerint folia tusa, exstinctusque lapis candens sit, bibitur adversùs satietatem, atque diarrhoeas, necnon contra vitia lienis. Folia sunt gustu odora, et acria, calidaque, et sicca ordine ferè tertio.

CAPUT XXVIII.

De YAMANQUI, seu Herba temperata.

Radicibus firmatur capillis similibus, e quibus assurgunt caules geniculati, cavi, teretes, laeves, mollique referti medulla, redolentes *Nochtli*, folia angulosa, sinuosaque, et mucronata, Cucumeris, Peponumve foliis similia, flores magni, longique, et candentes. Calida ordine quarto esse reperitur, siccaeque, et urentis naturae, ac fortassis Ricini

est species. Folia tusa, admotaque discutiunt vehementer praeter naturam tumores, maturantve, aut rumpunt. Provenit in temperatis *Quauhtutullani*. Nescio verò, unde id invenerit nomen, quando nihil minùs a temperie absit.

CAPUT XXIX.

De YAMANCAPATLI, *seu medicina temperata.*

Frutex est folia ferens Portulacae, sed quae senectutis tempore in duos findantur sinus, radicem, fibratam crassam, et longam, ramos lentos, ac succo manantes, crassos, fuscos, laevesque unde non exoriuntur ramuli, sed, qua prodire solent, scabros, atque geniculatos. Quavis parte ictus, incisusve liquorem fundit glutinosum, odorem, saporemque *Tecopalli*, patriive thuris referens. Calidaque, sicca, odora, et adstringenti natura constat. Ajunt Fruticis hujus liquorem firmare dentes, mederi dolori gingivarum, ustionique, et articulorum imbecillitati, devorata, qua libeat, radicis mensura, et laxatis vertebrarum dorsi compagibus opitulari. Nascitur Mexici, ubi firmum habent mederi radicis pulverem ulceribus putridis, cacoethibus, atque cancerosis, necnon apud *Panucenses*.

CAPUT XXX.

De YREPÉNI.

Radicem fundit crassam, et fibratam, caules per terram repentes, folia ocymina, mediocria, ac minimè serrata, flores

luteos, parvos, phaseolorum floribus similes. Radix sapore, et odore insigni caret, cujus farina inspersa ulcera curat hominum, atque etiam jumentorum: tusa verò folia, applicataque tumores praeter naturam. Nascitur in frigidis, qualis est ager *Pazcuarensis*, asperis, montosisque locis. Est et alia *Trepéni* regionibus proveniens temperatis, caulibus Tritici culmis similibus, virentibus, ac geniculatis per intervalla, foliis virentibus, imitantibusque alas papilionum, floribus parvis, ac luteis, erectisque ramis; quam non minùs praecedenti conferre ulceribus praedicant.

CAPUT XXXI.

De YLLACATZIUHQUI, *seu contorta medicina.*

Herbula est radicem ferens Raphani, geniculatam, ex qua profert caules exiles, flores luteos, obrotundos, et modicos, folia verò longiuscula, et angusta. Amara est radix, calefacit, exsiccatque ordine ferè tertio. Cortex verò radicis trium drachmarum mensura tusus, et ex aqua mulsa devoratus bilim detrahit. Idem praestat infusus majori pondere. Jus verò decocti ejus admotum ajunt punctis mederi. Nascitur in planis regionum calidarum, aut temperatarum, quale est oppidum *Hoeitlalpae*. A radice contorta nomen habet. Est et alia Herba eodem nomine, et facultate, quae aut eadem est praecedenti, natalibus tantùm

differens, aut illi prorsùs congener; quam vidimus *Teotihuacani.*

CAPUT XXXII.

De YXIAYAHOAL, *seu oculo orbiculari.*

Radicem fundit longam, crassam, et candentem, caules tenues, cubitales, multos, folia obrotunda, parva, crenataque, ac flores albos, et exiles. Radix laevigata, inspersaque ulcusculis, capitibus puerorum ob minium calorem solitis accidere, magnopere auxiliatur. Frigidae siquidem est, exsiccantisque naturae. Jus verò decocti ejus fluxum omnem compescit, glutinoso namque quodam liquore stillat; incoquenda autem est radix trium drachmarum mensura libris duabus aquae ad tertias.

CAPUT XXXIII.

De YXIAYAHOAL *altera.*

Folia fert Ocymi, serrata, radicem candentem, ac surculosam, et flores rubescentes ex albo. Subamara est, calidaque, et exsiccans ordine tertio, tenuiumque partium. Jus decocti ejus sudores, urinas, et menses evocat, pectoris gravitatem solvit, ventriculum roborat, ob distemperiem frigidam, et humidam imbecillem. Nascitur in montibus Mexicanis.

CAPUT XXXIV.

De YXIAYAHOALTZITZIN, seu parva Yxiayahoal.

Herba est Geraneo similis, radicem fundens crassam, longam, rubeam, et fibratam, unde prodeunt pediculi longi, purpureique, et in eis folia Geranei, minutim serrata, et nonnihil sinuosa, caules tenues, et fulvi, et in eis exiles flores, et ex luteo rubescentes; frigida, siccaque natura constat, et valde adstringenti. Utilis est radix coërcendae alvo, adstringendisque defluxionibus, praecipuè si distemperies calida sit adjuncta.

CAPUT XXXV.

De YXIAYAHOAL Chapultepecensi.

Nepetae, Calamenthive videtur species nostro Orbi incognita, folia ferens parva, serrata, subalbescentia, et cordis ferè figura, lignosos caules, et tres spithamas longos, radicem prolixam, et fibratam, floresque multos, candentes, et modicos. Odora est, calidaque, et sicca ordine secundo. Radix pota ex aqua diarrhoeas compescit, tumores praeter naturam maturat, et rumpit, frigori febrium intermittentium adversatur, sudores, et urinas elicit, et vitiosos ventriculi detrahit humores. Montosis, ac temperatis locis gaudet, quales sunt *Tetzcoquenses*, et *Chapultepecenses*, unde fa-

ctum est ei distinctionis gratia cognomen.

CAPUT XXXVI.

De YXIAYAHOAL, *quam Mechoacanenses vocant Puenguam.*

Herba est radici insistens longae, luteae, et fibratae, unde prodeunt caules quatuor dodrantes prolixi, ornati foliis obrotundis, undulatis, parvis, et Coriano, Adianthove similibus. Succus, e foliis, et radicibus expressus, atque instillatus medetur inflammationibus oculorum: quin et radices ipsae tusae, applicataeque sistunt diarrhoeas, evocant urinam, virus olent, calidaque, et sicca ordine secundo constant natura. Nascitur *Mechoacanicis*, atque etiam Mexicanis agris.

CAPUT XXXVII.

De QUAUHYAYAHOAL.

Quauhyayahoal, quam alii *Tlahoelilocaxihuitl* vocant, Frutex est radicibus insistens fibris similibus, e quibus fundit rubescentes caules, et in eis folia vitiginea, et flores candentes, calyculorum forma, fructumque orbicularem. Frigida, siccaque, et adstringenti constat natura, partibus tamen adjunctis calentibus, et odoris, et sapore vitiginei palmitis. Dysentericis prodest, tabescentibus ob pituitae redundantiam, et passis gravedinem, supra, infraque pituita, ac bili vacuatis, si aqua, in qua folia unciae unius pondere per

horam dimidiam macerata sint, bibatur; phreneticis, et alienatis confert capiti imposita, solvit febres, capita puerorum recens natorum roborat, tactos fulmine, et apoplecticos revocat, et quavis alia ex causa stupescentes, unde sortita est nomen. Provenit in frigidis locis.

CAPUT XXXVIII.

De TEPANYXYAYAHOAL, *seu oculo rotundo montano.*

Radicem fert juglandibus, ponticisve nucibus similem, unde profert caules multos, sex digitos longos, purpureosque, et ramulis utrinque stipatos, folia verò parva, obrotunda, cordis aemulantia figuram, et Paronychiae quadantenus similia. Unica radix epota dicitur mederi scabiei, et febres puerorum tollere.

CAPUT XXXIX.

De TLACOYAYAHOAL, *seu virga rotunda.*

Radice firmatur crassa, et surculosa, e qua fundit caules, et in eis folia obrotunda, siliquas mediocres, et *Xicamae*, aut phaseolorum flores. Semuncia radicum trita, ac devorata febrem exstinguit. Sapor est dulcis, ac temperata ferè natura. Provenit apud *Acatlicpacenses.*

CAPUT XL.

De *YTZICUQUA*.

Radicem mittit candidam, fibratamque, sed extra paulisper fulvescentem, caules tenues, duas spithamas longos, folia viridia, parva, et oblonga, majoribus aliis, Menthae similibus, per intervalla orientibus, flores luteos, et modicos. Radix trita, atque epota ex aqua duarum drachmarum mensura pannis dicitur mederi. Nascitur in frigidis *Mechoacani* regionibus, montosisque locis gaudet provenire.

CAPUT XLI.

De *YHUATITZITZICUQUA*.

Herbula est radicibus insistens capillis similibus, unde profert caules tenues, teretesque, et binos palmos longos, folia parva, Alsinae similia, cui tota etiam Planta est similis, flosculosque obrotundos, et purpureos e singulis foliorum exortibus. Universa Planta contusa, et ventri emplastri modo admota dysenteriis opitulatur. Nascitur in montibus frigidis, qui ad *Pazcuarum* spectant.

CAPUT XLII.

De *YUHCICATON*.

Frutex est folia ferens Salicis, longa, et angusta, viren-

tia superna parte, ac albescentia inferna, flores coccineos, compositos in umbellas, parvos, et longiusculos, radicem verò crassiusculam, et fibratam, unde prodeunt caules tenues, teretes, rubescentes, et hominis aequantes altitudinem. Frigida, et sicca constat natura. Inflammationes repellit; ac provenit in calidis *Hoaxtepecensibus*.

CAPUT XLIII.

De THUIXOCHITL, *seu Flore pennas referente.*

Arbor est magna, foliis oblongis, incurvis, quinis per intervalla prodeuntibus, ac illis *Pinahuiztli*, de qua suo agendum est loco, non dissimilibus, flore rubeo, pennis avium simili, unde nomen. Sunt et alia hujus Arboris genera, quorum alterum flores fert candentes, alterum verò albescentes ex viridi, cetera similia. Ajunt Indi eum, qui secum ferat ejus Arboris ramum, gratum fieri, amabilemque cunctis, cum quibus inierit consuetudinem, gratiamque apud heroas, ac reges aucupari, obtinereque quidquid petierit ab eis. Calidis, et humidis locis provenit, ac floret vere primo. Quod spectat ad temperiem, folia frigida, adstringentiaque sunt: febres exstinguunt, atque inhibent fluxus.

CAPUT XLIV.

De YHOIXOCHITL *Herba.*

Est et Yhoixochitl *Herba* ob florum formam ita voca-

ta, cujus radix parva est, raphano similis, fibrataque, unde prodeunt tenues cauliculi, raris ornati foliis, ac *Hoytztecoxochitl*, aut *Tlallae* alae similibus, sed tamen minoribus, pentagonis, serratisque, flores verò mediocres, ex albo purpurascentes, e quorum media parte quaedam velut penna prodit, quae illi dedit nomen. Nullam tamen ejus facultatem adhuc ab Indis Medicis expiscari potui.

CAPUT XLV.

De YXNEXIUHQUI, *seu Herba cinerea.*

Herba est quatuor dodrantes prolixa, radice longa, ac tenui firmata, candentique, unde profert caules cinereos, teretes, ac hirsutos, folia similia Ocymo, minimè serrata, et minora, hirsuta, infernè candentia, et supernè viridia; flores acervatim cohaerentes, candentes, et parvos. Amara est, aliquantisper odora, calida, et adstringens; dysenteriisque mirum in modum dicitur conferre. Provenit *Quauhtepeci* in montibus temperatis.

CAPUT XLVI.

De IZCAOATL.

Caules fundit volubiles e radicibus fibris similibus, quibus tamen appendent glandes multae, luteae, similes asphodelinis; folia cordis, aut Hederae forma, permultis nerveis

discursibus insignia. Radices, si elixentur, edules sunt, bonam alimoniam praestant, et castanearum referunt saporem. Proveniunt *Quauhchinanci.*

CAPUT XLVII.

De YTZCUINPATLI, seu canis interfectore.

Ytzcuinpatli, quam alii *Quimichpatli* vocant, Hispani verò *Hordeolum*, caulem fundit tres dodrantes prolixum, ac minimum digitum crassum, cui haerent granula hordeaceis similia, spicatim composita, unde nomen; folia longa, et angusta, lineisque secundùm longitudinem procurrentibus insignia, e radicibus fibrarum aemulis. Semen vermes exstinguit, ulceribus quorumvis animalium carnibus ingeneratos, si tundatur, et redigatur in pulverem, ulcera putrida et mali moris egregiè curat, carnem superexcrescentem absumit, pisces inspersum necat, muresque, unde quidam *Quimichpatli* vocaverunt, et carnibus permistum canes, unde nomen. Quin si pulvis idem aquae commisceatur, linteolumque eo humore madens articulis dolentibus applicetur, mirum praestat auxilium; eadem aqua ulcera oris sanantur colluta, pediculi necantur, gravis anhelitus emendatur, et jus decocti spicarum adjecto alumine firmat magnopere dentes. Est et aliud genus nascens apud *Mechoacanenses*, apud quos *Cunicho*, et *Ehtzemo* dicitur, eisdem vi-

ribus, sed radice caepis fibratis persimili. Est et tertium natura apud eosdem foliis angustioribus, orbiculari radice, sapore ferè nullo, ac cetera simile. Nascitur in regionibus frigidis.

CAPUT XLVIII.

De YTZMIQUILITL, *seu Olere sagittarum Iztlinis mucronibus simili.*

Herba est per terram repens, radicibus fibrarum instar, caulibus hirsutis, multis, fulvis, lentis, teretibus, et geniculatis, foliis tenuibus, longiusculis, et pinguibus, ac pilosis floribus, ex quibus demum prodeunt granula. Sapore, et odore insigni caret, nisi cui videatur resipere Portulacam. Frigida et humida temperie constat, non sine quadam lubricitate. Dolorem capitis e calore ortum ferunt admotam capiti tollere, mederique plagis recentibus, et vetustis. Posset in Sedi species referri, aut inter Portulacae differentias numerari. Quibusvis provenit locis, sed maximè in frigidis, qualis est *Hoeitlalpensis*. Sunt qui *Tlalyztaquilitl*, et qui *Yztaquilitl* vocent.

CAPUT XLIX.

De TEXCALTLAELPATLI, *seu medicina dysenteriae nascente in saxis.*

Sic vocant nonnulli eam Sedi speciem, quam alii *Tlalyztaquilitl* nuncupare solent, quae more ceterarum Planta-

rum congenerum frigida est, et adstringens. Dysenterias compescit, si cum pulvere cornu cervi usti pari mensura propinetur, aut jus decocti. ejus, succusve cum praedicto pulvere potanda exhibeantur, ac febrium vehementiam obtundit. Sunt qui *Totoncaxihuitl*, quoniam calori adversetur, nominent, et urinam cum *Atolli* asserant evocare. Innititur autem radicibus multis, orbicularibus, parvis, acervatim cohaerentibus, unde prodeunt funiculi, taeniaeve teretes, atque subnigrae: caules sunt rotundi, et purpurei, refertique Vermicularis vocatae foliis, ac floribus in summo, ex albo purpurascentibus.

CAPUT L.

De TEPETETZMITL, *seu Sedo montano.*

Sedi est species tertia, nascens in montibus, rupibusque, unde nomen, spithamam longa, surculosis radicibus, rubeis caulibus, pinguibus foliis, ac floribus spicatis superna parte. Eadem est, qua cetera genera, natura.

CAPUT LI.

De TETLIPEPECH, *seu lapidea strue.*

Sedi videtur species quarta, fibrata radice, purpureis caulibus, fragilibus, ac translucentibus, multisque foliis rutaceis, paulò majoribus, ac pinguibus, Polygonive. Non-

nihil videtur participare caloris cum quadam adstringentia. Flos, ac fructus est exilis inter folia toto caulis procursu, coloris ex albo rubescentis. Tussi, et calidae defluxioni opitulatur. Naścitur in saxosis muris, atque parietibus *Quauhchinanci*, et *Quauhtlae*, unde sortitur nomen.

CAPUT LII.

De TETZMITL, *seu Sedo.*

Quinta Sedi est species, foliis pinguibus, Portulacae forma, sed triplò majoribus, acervatis juxta caulium extrema, et per ambitum rubescentibus, radice crassa, fibrataque, et viribus ceteris differentiis similibus.

CAPUT LIII.

De TETZMITL *Pahuatlanensi.*

Sexta species est Sedi, surculosis radicibus, foliis praecedenti paene similibus, et facultate, qua ceterae.

CAPUT LIV.

De TETZMILPATLI *Quauhtepecensi.*

Septima est praedictarum Plantarum differentia, caulibus exilibus per terram serpentibus, refertis foliis parvis, ac floribus. Conferre ajunt oculorum inflammationibus.

CAPUT LV.

De TLALTETZMITL, *seu humili Sedo.*

Herba est duos dodrantes longa, caules ferens sarmentosos, coccineosque, prodeuntes e radice crassa, fibrata, et longa, et in eis folia pinguia, et obrotunda, ac in rubeum colorem vergentia, et semen velut spiniferum. Folia frigefaciunt, adstringuntque. Radix quoque frigida est, et glutinosa. Compescit fluxus, et febres exstinguit. Nascitur in agris *Hoaxtepecensibus*, ubi vocatur *Yztacpatli.*

CAPUT LVI.

De TEPITONTETZMITL, *seu parvo Sedo.*

Eadem paene est cum quinta, sed foliis minoribus, fortassis ob aetatem, aut loci natalis rationem. Vis verò eadem, quae reliquis.

CAPUT LVII.

De TEMEMETLA, *seu lapideo Metlatl.*

Tememetla, quam alii *Tececec*, et *Tenapalitl* vocant, Sedi species est folia proferens pinguia, virentia, tres spithamas longa, ac dodrantalis amplitudinis, caulem longum, laevem, purpureum, et tenerum, ac in eo flores obrotundos, purpureos, et spicatim circa caulis cacumen dependen-

tes, interdumque toto caulis procursu utrinque ordine dispositos. Vis est, quae ceteris Sedi generibus.

CAPUT LVIII.

De TEXIOTL, *seu Texiopitzahoac.*

Nomen sumsit a caulibus strigosis; eadem videtur forma, et facultatibus, quibus quinta, et nona species, sed flosculis coccineis, et pilosis, foliis intersertis; quas tres differentias aetate tantùm distare puto; hoc animadvertere oportet, ne aetas, et varietas nominum quempiam decipiat, cogatque unicam Herbam in tria genera multiplicare: nos autem e re nostra fuisse putavimus, aetate, aut natalibus variantes Herbas icone quandoque exprimere, ut suis quaeque aetatibus dignoscerentur, et qui nequeunt earum cognitioni diutiùs incumbere, atque assidere, nostris hisce laboribus, ac diligentia praeclarè adjuventur.

CAPUT LIX.

De TEXIOQUAHUITL.

TEXIOQUAHUITL, quam alii *Texiotl* vocant, Sedi est etiam species, foliis angustis, pinguibus, et longiusculis, radice brevi, fibrataque, et caule crasso, virore exsaturato tincto. Vis eadem, quae ceteris.

CAPUT LX.

De TZAPITZTLI, *seu Herba pungenti.*

Frutex est hominis aequans altitudinem, foliis obrotundis, pinguibus, et succo manantibus, et stipitibus spiniferis. Sepiri solent eo Indorum horti, domusque. Aculei acicularum vicem huic genti praestant: succus verò, qui frigida, humidaque constat natura, morbis oculorum ortis a calore medetur. Nascitur in calidis, ac maximè *Quauhnahuacensibus*, humidisque, et aquosis locis.

CAPUT LXI.

De POAMPOAQUA.

Sedi videtur species, ac eisdem viribus constat. Similis est *Tlachinoltetzmitl* Mexicanorum, sed obtusioribus foliis. Ajunt succum et illitum, et ebibitum adversari febribus: liquorem autem stillatitium epotatum corporis profligare nimios ardores: folia etiam tusa, applicataque recentibus plagis mederi. Nascitur ubique, saxosis tamen locis, et ad conglutinanda vulnera ab hac gente magno habetur in pretio.

CAPUT LXII.

De TENONOPALTZIN, *seu lapidum parva Tuna.*

Radicibus innititur surculosis, et ex albo rubescentibus,

unde oriuntur caules foliis ornati Sedi, cujus videtur species. Radix est frigida, et adstringens, utilissimaque dysentericis.

CAPUT LXIII.

De NONOCHTON, *seu Tuna parva.*

Ab unica radice longa, tenui, et fibrata multos mittit Nonochton caules tenues, teretesque, per terram repentes, et in eis folia squallida, pinguia, oblonga, parva, et lanugine obducta, flores ex albo rubescentes in vasculorum oblongorum formam. Secundo haec ordine infrigidat; quo fit, ut exstinguendis, repellendisque inflammationibus, et placandis ignibus mirum in modum referant auxiliari.

CAPUT LXIV.

De TLAXHUIZPATLI, *seu furunculorum medicina.*

Species videtur Sedi, aut Portulacae; sapit enim illam, et persimili lubricitate constat; et licèt aliquantulùm amara sit, frigefacit tamen, et humectat. Caules quoque rubei sunt, laeves, teretes, fragiles, et crassiusculi, si illos cum sua planta conferas: folia etiam sunt pinguia, et ferè teretia, etsi aliquatenus plana, longiuscula, et angusta, stellatimque disposita, et magna ex parte septena, et flores inter folia. Tusa eadem, appositaque curat praeter naturam tumores. Provenit editis, humilibusque locis oppidi *Xoxopancensis.*

CAPUT LXV.

De NAHUITLAQUÉN.

NAHUITLAQUÉN, seu *quaterna tegumenta*, radicibus innititur glandium forma, multis, et in surculos parvos desinentibus, e quibus caules prodeunt binis dodrantibus prolixiores, folia longa et angusta, pinguia, illa Portulacae aemulantia, et circa extremum purpurascentia. Aizoi speciem esse judices; frigida enim, humentique natura constat, saporis, et odoris expers est; erysipelatis admovetur, aliisque e calore ortis affectionibus fert opem ex aqua devorata. Nascitur in saxis, cautiumve hiatibus *Tepetlaoztoci*.

CAPUT LXVI.

De TZONTECONCOCOLIZPATLI, *seu medicina morborum capitis.*

Herba est multos caules fundens, virides, teretes, laevesque, et per intervalla geniculatos, e radice transversa, et capillis quibusdam saxis adhaerescente, folia pinguia, Plantaginis paene forma, et interveniis. Saporis est, et odoris expers, frigidaque, et humida natura; et ideo tusa, et applicata dolores capitis e calore ortos tollit.

CAPUT LXVII.

De TLALYTZMIQUILIT, *seu Ytzmiquilitl humili.*

Radici insistit Napo simili, obtusae, fibrataeque, unde

prodeunt caules breves, tenues, ac teretes, folia Sedi, longiuscula, pinguia, et angusta, flores oblongi, et pallentes, quibus decidentibus apparent acini orbiculares, malis medicis, cùm primùm emergunt, persimiles. Frigefacit, humectatque radix. Eadem tusa, atque devorata febrientibus opitulatur. Admiscent nonnulli Herbam vocatam *Xiuhtic*, nimis exilem ac floris candentis, contenti oblongo, ac tenui vasculo, olentemque anisum, et perquam similem, aut congenerem Acacalidi. Nascitur *Huehuetocani*, ubi ajunt radicem impositam inflammationes repellere, infusam verò intestina expurgare.

CAPUT LXVIII.

De YTZTONPATLI, seu medicina parvae novaculae.

Radicem fundit fibratam, folia Mali Medicae, magis tamen acuminata, caules hominis pares altitudini, teretes, et nonnihil geniculatos, ac flores albos, et modicos. Frigida constat temperie; quo fit, ut radix in laevorem redacta, devorataque unciae unius mensura, jusve decocti ejus febrientibus ferat opem. Provenit in locis campestribus *Huaxutlae*.

CAPUT LXIX.

De YTZQUAHUITL, seu novaculari Arbore.

Arbor est magna, Rhododendri foliis, sed nullis interveniis distinctis, et novaculae similibus, unde nomen. Nul-

lum saporem, aut odorem insignem praefert, et tamen aliquem videtur participare calorem; quo fit, ut jus decocti ejus praebeatur ad flatum discutiendum. Nascitur in montanis *Quauthlae*, floreque, et fructu caret.

CAPUT LXX.

De YMOXIHUITL.

Frutex est foliis Salviae, caulibus sarmentosis, et sapore cucumeris. Cordis affectibus inservire dicitur, frigidaque, et adstringenti constare temperie.

CAPUT LXXI.

De YZTLACATINIPATLI, *seu mendaci medicamento.*

Volubilis spiniferi genus est, caules subalbidos edens e fibratis radicibus, folia pinguia, Limoniae Mali proxima, verùm majora, quibus illinere corpora inflammatione vexata, aut ardore affecta mos est. Nascitur in faucibus montium, humectisve locis.

CAPUT LXXII.

De YTEXOCHIO, *seu Flore saxi.*

Herba est tres dodrantes longa, radicibus tenuibus, et longiusculis, e quibus prodeunt caules virentes, teretes, ac per intervalla geniculati, folia Amygdali, sed paulò media

parte latiora, magis acuminata, et lacte manantia. Succus ejus quinque unciarum mensura epotatus egregium est adversùs serpentium morsus antidotum. Nascitur in campestribus *Xochitlani*.

CAPUT LXXIII.

De YZTAQUILITL, *seu Olere salso.*

Radices agit fibris similes, unde profert caules, et in eis longiuscula, et tenuia folia, et in summo flores virides, exiles, spicatos, et orbiculares. Edulis Herba est, et salsi gustus, unde nomen.

CAPUT LXXIV.

De YARARO, *Planta Mechoacanensi.*

Radicibus firmatur multis, longis, tenuibus, et internè purpureis, unde prodit caulis unicus, folia Mali Medicae, sed tamen serrata, asperaque, flores albi, ac modici, octoni, denive acervatim cohaerentes. Radices resolutae ex aqua, aut vino infusae dolores patientibus impensè conferunt.

CAPUL LXXV.

De YAHUANGUENI.

Radices fundit surculosas, ternas, quaternasve, longas, et paulisper crassas, unde prodeunt caules, alba lanugine referti, flores candentes in postremis caulibus, Helichryso

proximi, et folia longa, angusta, et subalbida. Radix tusa, impositaque fertur ustionibus mirè conferre; semen verò tritum, ac duarum drachmarum pondere epotum ex vino lapidem renum pellere, et urinam evocare. Nascitur in planis *Pazcuarensibus*.

CAPUT LXXVI.

De YTZUQUA.

Radici insistit Napo simili, ex qua profert tenues caules, et folia cordis figura, parvorumve scutorum. Radix tusa, ac devorata lac auget nutricibus.

CAPUT LXXVII.

De HOEYACYZTACPATLI.

Radices fundit Paeoniae similes, caules tenues, et striatos, et folia subalbida, quibus Indi vescuntur, Solano similia, florem parvum, et candentem, et siliquas pollicares, refertas semine lanuginoso. Primo gustu dulcis est, sed postea sentitur amara, calidaque, et humens ordine secundo. Radix tusa, atque ex aqua epota, trium, quatuòrve drachmarum pondere febres dicitur finire. Nascitur in frigidis, atque humidis regionibus, et est ad Volubilium genus referenda.

CAPUT LXXVIII.

De INTZIMBERAQUA.

Arbor est Persico paulò major, modicam offundens umbram, foliis Limonis, crassioribus, ac minoribus, odoratioribus, ac gustu magis jucundis, qùam sint laurina, semine coriano simili, sed paulò majore, primò viridi, ac demum nigro. Arbor fortassis in Lauri species referenda. Folia epota ex aqua duarum drachmarum pondere diarrhoeas sistunt; illita verò dolores tollunt. Sunt enim calida ordine tertio, et impensè adstringentia, tussique dicuntur mederi, seu ipsa per se sumantur, sive carnibus incocta jure epoto ferant opem. Nascitur in frigidis *Tancitari* provinciae *Mechoacanensis*, adeoque in ipsius coenobii viridario.

CAPUT LXXIX.

De XARIMPSCUA, *seu Oxytriphyllo.*

Ita vocant indigenae Oxytriphylli nostratis quamplura genera, quae apud *Mechoacanenses* nascuntur, dicta Mexicanis *Xoxocoyóllin* ab acido sapore; de quibus modò loquimur latiùs.

CAPUT LXXX.

De XOXOCOYÓLLIN.

Species est Oxytriphylli, seu Indicarum Oxalidum, ra-

ra forma: radici enim insistit Palmae fructui persimili, tenuiori tamen, ex qua caulem unicum profert, rubeum, cui bina tantùm insunt folia, obrotunda, et serrata, quorum alterum juxta terram expansum longè amplius sit, alterum verò circa postremum caulem longè minus, florès verò in summo similes illis, quos fert *Totoncaxoxocoyóllin*, de quo infra. Sapor est acidus: temperies, quae ceteris ferè ejus nominis, frigida nempe, siccaque, et facultates, quae Oxalidi nostrae. Nascitur in calidis *Tohalani* circa saxa. Manduntur caules crudi, coctique oleris vice cum intinctu olei, et aceti, nec insuave praebent alimentum.

CAPUT LXXXI.

De TEXOXOCOYÓLLIN, *seu Xoxocoyóllin lapidum.*

Altera est ex Plantis acidis, quas Mexicenses vocant *Xoxocoyóllin*, quae quoniam lapidibus innascitur, nuncupari Texoxocoyóllin consuevit. Radicem fert pyri modo obrotundam, caules purpurascentes, coccineos flores, ac folia stellata, in decem portiones longas, et angustas divisa. Radix bilem vacuare dicitur semunciae mensura devorata, etsi soleat interdum *Pipitzahoac* minori pondere misceri, flatumque discutere, et urinam evocare. Sunt, qui *Tepexoxocóyollin*, seu *montanam Xoxocoyóllin* vocent.

CAPUT LXXXII.

De TOTONCAXOXOCOYÓLLIN, *seu Xoxocoyóllin calido.*

Tetoncaxoxocoyóllin, quam nonnulli *Atehuapatli* vocant, seu *medicinam juxta rivos provenientem*, radicem fert rotundam, candidam, ac totam ferè capillis involutam, ex qua stipes unicus prodit, coccineus, raris foliis, rubescentibus, ac vitigineis refertus, nec palmitibus quibusdam rubescentibus dissimilis; flores rubei, et orbiculares e pediculis longis dependentes, semen verò exile, et quod e luteo in colorem coccineum vergat, inclusum vasculis trigonis, papilionum ferè forma, in eamque figuram compositis, ut si rubescenti, ac orbiculari membranae circulum alterum concolorem, ejusdemque materiei, ita ut angulos rectos efficiant, inserueris. Amarum saporem radix praesefert, et nonnullum acorem, tertii ferè ordinis calorem nacta. Eadem tusa, et infusa e liquore aliquo eidem rei perutili expurgat intestina, semen retentum pellit, inflammatis oculis confert, et urinam elicit: devorata verò sesquidrachmae mensura humores omnes per inferna detrahit. Provenit montanis, saxosisque locis regionum temperatarum, qualis est Mexicana, et *Tetzcoquensis*: quamobrem non desunt, qui *Texoxocoyóllin* vocent.

CAPUT LXXXIII.

De XOXOCOYOLHOIHOILAN *, seu Xoxocóllin volubili.*

Species est Oxytriphylli nostratis eadem ferè, qua ceterae differentiae, forma, acidaque natura, et cum siccitate frigenti, frigidaque: ex cujus duabus unciis, totidem Cyperi, succi limonum sesquiuncia, duabus olei, et argenti vivi semuncia trochisci parantur, quorum suffumigio toto corpore excepto curantur manuum impetigines, etsi oleo quoque extracto e cannabino linteo minutim conscisso, et perusto curari soleant.

CAPUT LXXXIV.

De XOXOCOYOLPAPATLA *, seu Xoxocoyóllin lato.*

Ita vocatum est id *Xoxocoyóllin* genus, quòd foliorum portiones stellatim compositae quibusdam aliis latiores sint, et ad Amygdali formam accedentes: ceterùm eadem, quae reliquis natura. Radices orbiculares, juglandibus paulò minores, caules tenues, teretes, et coccinei, quemadmodum et flores, qui summa caulium occupant. Quibusque locis nascitur, nec ullam caeli respuit constitutionem.

CAPUT LXXXV.

De sexta specie XOXOCOYÓLLIN, *quam Mechoacanenses particulatim Xarimpscua, seu acidam vocant.*

Species est etiam Oxytriphylli, Oxalidisve, folia ferens cordis figura, verùm altera parte contracta, delumbataque, altera verò productiora, flosculos in summis caulibus, qui purpurei sunt, ex albo rubescentes, et viridibus vasculis contentos. Folia dicuntur dentes extergere, mederi ustis, et appetentiam ingesta excitare. Nascitur *Tacambari* montosis locis, ubi ab indigenis Hispanis Oxalis vocatur sylvestris. Diciturque ejus radices devoratas flatum discutere.

CAPUT LXXXVI.

De septima specie XOXOCOYÓLLIN.

Est et aliud genus Xoxocoyóllin, minoribus foliis, oblongioribusque, et serratis, cetera similibus, floribus *Totoncaxoxocoyóllin*, primò viridibus, ac demum rubescentibus, rubeis etiam caulibus, ac radicibus capillorum instar, quod eadem natura, et viribus constat, unde idem quoque illi evenit nomen.

CAPUT LXXXVII.

De XOXOCOYOLTZIN, *seu Xoxocoyóllin parvo.*

Herbula est radici insistens surculosae, ex qua edit cau-

les tenues, per terram sparsos, teretes, purpureos, et altera parte striatos, in eisque folia cordis figura, sed Origani magnitudinem non excedentia, ab exortu ipso foliorum radiculis quibusdam capillorum instar exorientibus; flores in postremis ramorum flagellis luteos, parvos, et oblongos, contentos calyculis. Calida paulisper Planta est, atque ideo ajunt tumores praeter naturam impositam discutere, interdumque maturare, hiantia extergere, et cicatrice obducere, idque in pannis praecipuè, bubonibusve praestare. Nascitur in frigidis *Tlaxcallae* juxta montium cacumina. Sunt, qui *Xoxocoyoltic* vocent.

CAPUT LXXXVIII.

De XOXOCOYOLTEZQUITL, *seu bulboso Xoxocoyóllin.*

Foliis constat rotundis, undulatisque, aut crenatis per ambitum, sed in latitudinem dilatatis magis, quàm in longitudinem, prodeuntibus e singulis pediculis, quatuor, ampliùsve uncias longis, quorum terni ex unica oriuntur radice, Asphodeli paene forma, et magnitudine, candida, translucida, et colore margaritas imitante. Radix calefacit, humectatque, etsi tardiùs ostendat virus quoddam, et acrimoniam caloris indicium obtundente, atque occultante humore. Succo manat, et semen retentum pellit infusa. Nascitur in montibus *Hoitzilacensibus.*

CAPUT LXXXIX.

De XOXOCOYOLTIC *, seu Herba simili Xoxocoyólin.*

Herba est radici crassae, et surculosae insistens, unde proferuntur caules tenues, teretes, et volubiles, ac repentes per terram, et folia terna, Trifolio similia. Vis est urinam evocandi. Sunt et aliae species hujus Herbae visae a nobis, quas non putavimus depingendas.

CAPUT XC.

De YTZHOAXIN *, seu Yztlinis siliquis.*

Siliquas edit haec planta similes illis, quas fert *Zacahoaxin*, sed minores, folia *Mizquitl*, florem similem moris Bati, ex quo demum emergit siliqua. Vis eadem, quae *Hoaxin.*

CAPUT XCI.

De YAPALTIC*, seu Planta virenti.*

Herba est radices fundens Raphani, caules teretes, striatos, subalbidosque, folia oblonga, mediocria, et infernè impensè candicantia, fructum in pediculis longis, et tenuibus, ternis, velut ciceribus constantem, membrana quadam coadhaerescentibus, intra quorum singulos granum aliud latet orbiculare, nucleum includens valde pallescentem, ac vitello ovorum persimilem; qui frigefacit, atque humectat, sa-

poris velut reliqua planta expers: cujus folia ex aqua resoluta contemperando nimio calori solent devorari: stipites in aquam conjecti tingunt eam cyaneo colore, atque ita urinam evocat, et haud aliter ac *Coatli* hebetat acrimoniam. Nascitur *Yacapichtlae.*

CAPUT XCII.

De YZAZANACA *Temuacensi.*

Arbor est folia expandens aspera, magna, Mali Medicae forma, et magnitudine similia, et fructum Oxyacanthae, rubrum. Frigida est, et febrientibus salubris, orisque fervori, si mandatur, exstinguendo.

CAPUT XCIII.

De quibusdam Herbis YTZOCANENSIBUS.

Duas herbas vidi apud *Ytzocanenses*, quibus a natalibus (quoniam aliud nequivi extorquere) feci nomen. Altera illarum Rhois obsoniorum refert similitudinem, fructumque edit lenti similem, et purpurascentem, caules lignosos, et purpureos, ab unica radice fruticantes, ac florem etiam purpureum, et parvum, racematim dependentem. Citrea, seu medica mala olet, et tamen frigida, et sicca natura, adstringentique esse reperitur. Altera hirsuta folia producit, oblonga, circa cuspidem obtusa, et infernè subalbida. Frigida verò constat, et glutinosa natura, unde ceteras facultates con-

jicere sit, quando nullam rationem illarum reddunt Medici *Ytzocanenses*, aut quidquam quod ad Medicinam spectet, de eis audiverimus narrari.

CAPUT XCIV.

De YEXOCHITLCHICHIAOA, seu Yexochitl pingui.

Caules profet candentes, folia Origani, sed minora, florem capitulis Stoechadi similibus contentum, sed tamen minoribus, et magna, ut ferunt, ex parte cyaneum. Olet, sapitque Conyzam, et calidae videtur temperiei, et lubricitatis, salivosaeve naturae particeps. Ustis illita medetur; provenitque *Ytzocanicis* agris.

CAPUT XCV.

De YZTACTLATLAUHCAPATLI Quauhquechullae.

Folia fert Ocymi, hirsuta, et florem, ut ferunt, candentem, et modicum. Calefacit ordine tertio, et lubrica est. Bibitur adversùs satietatem, dolores cohibet, ac diarrhoeas compescit. Nascitur in calidis *Quauhquechullae* montibus.

CAPUT XCVI.

De altera YZTACTLATLAUHCAPATLI, seu medicina ex albo rubescenti.

Radicibus insistit prolixis, digitum feré crassis, et pur-

purascentibus ex albo, unde nomen; ex his caules oriüntur volubiles, et in eis folia Pyri, tenuia, et flores, ut ajunt, nulli. Calida est haec Planta ordine tertio, amaro sapore, et lubrica natura. Medetur satietati trium drachmarum pondere devorata.

CAPUT XCVII.

De TLATLAUHCAPATLI *prima, seu rubra medicina.*

Herba parva est, radice surculosa, crassaque, et valde rubescenti, unde nomen; caules quoque rubri sunt, et folia in eis *Tapaxihuitl* similia, rubescentia ex viridi, et flos, ut ajunt, nullus. Vis radicis est frigida, siccaque, et impensè adstringens; quo fit, ut febrientibus conferat, iis praecipuè, quibus roborationis est opus, aut plùs satis lubrica alvus.

XCVIII.

De TLATLAUHCAPATLI *secunda.*

Species est Geranei, sed Raphani radice, ex rubeo candescenti, vitigineis foliis, flosculis coccineis, ac rostris Ciconiae similibus. Frigida, siccaque, et adstringenti natura constat radix, cujus est praecipuus in Medicina usus, et acido aliquantulùm sapore. Medetur dysenteriis, aliisque fluxibus, oculorum inflammationi, haemorrhoidibus, et satietati. Denique medicamentis omnibus, quae simul refrigerant, et adstringunt, aptè commiscetur, et laxitati cuivis

fert opem. Febres refrigerat, et calore nimio, praecipuè cum humore conjuncto, adversatur. Firmat dentes, gingivas comprimit, ac roborat, trahit pituitam, sedatque dolores, si aqua, cui intrita sit, locus colluatur, tumores praeter naturam maturat, et rumpit, conceptionem procurat, ulceribusque oris, et quibusvis aliis medetur. Duae sunt ejus species radicis, tantùm colore distinctae, quarum altera in candidius, altera verò magis in rubeum vergit, cum utraque rubescat, sed eisdem viribus. Sunt qui adserant cum *Chilli* tussi conferre, et urinas elicere, bilem verò per se expurgare; quod nisi compressione contingat, qui fieri possit, non video, cùm viribus constet valde adstringentibus. Nascitur in frigidis, ac calidis regionibus, qualis est Mexicensis, et *Quauhnahuacensis*, montanis, ac campestribus locis. Nec desunt, qui *Tlayapató* vocent.

CAPUT XCIX.

De TLATLAUHCAPATLI *tertia.*

Radicibus insistit fibris similibus, intus candidis, extra verò ex luteo rubescentibus, ex quibus fundit caules, et in eis folia oblonga, mediocria, obtusaque, et multis interveniis distincta, flores albos, longiusculos, calyculorum instar. Sapore, et odore insigni caret, praeter exiguam quamdam dulcedinem. Frigefacitque, et humectat, aut modicum

nanciscitur calorem. Nascitur in montibus *Quauhnahuacensibus*.

CAPUT C.

De TLATLAUHCAPATLI *Arbore.*

Arbuscula est, foliis obrotundis, ocyminorum magnitudine, floribus luteis, parvis, ac conis circa summum rubescentibus, stipitibus partim fulvis, et partim cinereis, concavisque, radice crassa, longa, sensim gracilescente, et cortice rubeo vestita, qui amarus, et adstringens percipitur. Repellit praeter naturam tumores, sistit fluxus, et membra laxa corroborat. Provenit autem *Quauhquechullae*.

CAPUT CI.

De TLATLAUHCAPATLI *quinta.*

Radicem fundit intus, ac extra rubescentem ex albo, et surculosam, unde profert caules dodrantales, et exiles, folia Alsines, exilesque, et albos flores. Radix est dulcis, ac nonnihil acris, calida et sicca tertio ordine natura, nec lubricitatis expers: mirabile medicamentum adversùs pectoris, et oculorum morbos, urinam evocandam, et frigidas alias affectiones propellendas semuncia ejus matutino devorata: quin tumores maturat, ac discutit; nec desunt, qui febres curare dicant, fortassis interpellatas, aut vacuata causa reliquas. Nascitur in collibus regionum calidarum, qua-

lis est illa *Tetzcoqui* , et *Chietlae.*

CAPUT CII.

De TLATLAUHCAPATLI *Xoxotlae.*

Radices fundit capillorum instar, ex quibus mittit caules hominis altitudine, candidis variatos punctis, et suprema parte fulvos, folia Origani, paulò tamen minora, flores, ut ajunt, candentes. Frigida est, et humens; quo fiet, ut perquam aptum balneum paretur abluendis his, quos perfrigerare est opus. Nascitur *Xoxotlae*, unde cognomen.

CAPUT CIII.

De TLATLAUHCAPATLI *Zahoatlanensi.*

Caules fundit teretes, exilesque, et purpureos, Olivae folia, sed breviora, angustioraque, et ramis valde cohaerentia. Radix est calida, siccaque, odorata, et adstringens. Medetur ulceribus, et nascitur in collibus.

CAPUT CIV.

De TLATLAUHCAPATLI *Hoitzocensi.*

Frutex est radicem edens magnam, folia serrata, et oblonga in cavis caulibus. Cortex radicis valde adstringenti facultate praeditus est, et amaro sapore. Jus decocti ejus infunditur ab his Indis Medicis enixis mulieribus corroborationis

gratia. Flos est luteus, magnusque; et quatuor dodrantum longitudo. Nascitur *Hoitzoci*, ut indicat cognomen.

CAPUT CV.

De TLATLAUHCAPATLI *Ocopetlayucensi.*

Radici insistit crassiusculae, et surculosae, e qua oriuntur caules purpurei, tenues, et duas spithamas longi, in eisque folia serrata, ocymina, sed paulò longiora, et insignia interveniis secundùm longitudinem discurrentibus, floresque albi, et modici. Radix est frigefaciens, et adstringens, febrientibusque, et defluxione gravatis perutilis. Nascitur montosis, ac campestribus *Ocopetlayucae* locis juxta scopulos.

CAPUT CVI.

De YLLACATZTIC *Ytzocanensi.*

Radice firmatur surculosa, longa, tenui, et contorta, unde nomen, e qua profert caules sarmentosos, rubeos, folia hirsuta, pinguia, et subalbida, et ocyminis quadantenus similia. Radix humores omnes purgat per superna unciae unius, aut paulò majori devorata pondere. Calida constat, et lubrica natura, uritque guttur. Nascitur in montosis locis *Ytzocani.*

CAPUT CVII.

De YTZTICPATLI *Tepuzculullae.*

Folia fundit longa, et angusta, *Nanahuapatli* similia, longis appensa pediculis, radices tenues, et parvas, flores candentes. Odore, et sapore caret, frigidaque, et humida temperie constat. Folia medentur febribus; crescit in duorum dodrantum altitudinem. Nascitur *Tepuzculullae Mistecae* superioris.

CVIII.

De YZTACPATLI *Tepuzculullae.*

Radicem fundit raphano similem, angulosa folia, et Ocymi magnitudine, in caulibus teretibus, et paululùm contortis, nonnulla verò longiora, et luteos flosculos cymbalorum figura. Jus decocti duarum unciarum radicis bibitum dolores totius corporis lenit. Nascitur *Tepuzculullae Mistecae* superioris. Dulcis est radix, et caloris ferè temperati.

CIX.

De YUCUQUITIYOZOTNA *Acatlanensi.*

Caules profert tenues, volubilesque, et in eis folia Origani, terna, minimè serrata, radices longas, et tenues, sed per intervalla extuberantes, floresque rubeos, et parvos. Radix, quae dulcis est, et moderatè calida, et humida, febri-

bus dicitur mederi, dolorique pectoris orto e calore, tusa, atque ex aqua epota unciae unius pondere.

CAPUT CX.

De YOYOLQUIPATLI, seu cordis medicina Tilancensi.

Radicibus firmatur longis, tenuibus, et contortis, unde profert caules tenues, et teretes, folia saligna, et florem, ut ferunt, nullum. Radix gustata Vulpeculae virus olet, ac nonnihil calefacit. Eadem laevigata, et drachmae unius pondere ex aqua ingesta dicitur redundantis sanguinis impetus sedare, et corporis ejus rei gratia erumpentes efflorationes coërcere. Nascitur in quibusque agri *Tilancensis* frigidis locis.

CAPUT CXI.

De YOLMIMIQUIPATLI, seu cordis morientis medicina.

Radices agit fibris similes, unde profert caules tenues, per intervalla geniculatos, et in eis folia Ocymi, ac flores purpureos. Radix est insipida, frigida, humidaque, et glutinosa. Syncopi dicitur mederi, et cordis pellere anxietates, et affectiones alias tusa, bibitaque ex aqua drachmae unius mensura. Nascitur in frigidis collibus, et acclivibus montium locis regionis *Tilancensis*.

CAPUT CXII.

De YZTICPATLI *Tilancensi.*

Radici insistit surculosae, unde mittit caules duos dodrantes longos, teretes, subalbidosque, et in eis folia infernè candentia, et Balloti non dissimilia, floresque luteos, spicatos, et Septembri mense erumpentes. Frigida est radix, et ut ajunt, utilis adversùs lateris dolores tusa, ac semunciae pondere devorata, aut illita pectori, postquam fuerit ex aqua resoluta. Sunt, qui dicant bubones rumpere, expurgareque, et in perfectam sanitatem perducere. Provenit in frigidis quibusque regionis *Tilancensis.*

CAPUT CXIII.

De altera YZTICPATLI *Tilancensi.*

Herba est radicem parvam fundens, et capillatam, unde proferuntur caules tenues, teretesque, et in eis folia parva, serrata, et origaninis quadantenus similia, ac virentes flores; folia, quae frigida, et sicca sunt, resoluta ex aqua, bibitaque bis per singulos quosque dies, si priùs colentur, dicuntur fluxui ventris mederi, in quo excernitur sanies. Nascitur in frigidis, planisque locis *Tilancensibus.*

CAPUT CXIV.

De LITTORALI *Herba.*

Herba, cui a littore maris Novae Hispaniae coloni nomen fecere, stationisque alumnam vocant, vera marina Brassica est Dioscoridis. Per terram haec repit, foliisque constat Aristolochiae, Hederaeve, sed productis in longum, ac solvente facultate praeditis, seu bibatur succus, seu acetarii loco cúm oleo, aceto, et sale mandantur folia. Offenditur per eadem loca alia hujus Herbae differentia eisdem constans facultatibus, sed foliis, velut plerumque Hedera solet, varians in quinque partes divisis, radice longa, et capillata, per singulos geniculos, qui cum primùm terram attingunt, radices agunt, qua diximus figura. Nascitur utraque in locis calidis ad maris littora, atque adeo juxta urbem Novae Hispaniae, cui est nomen *Veraecrucis*.

CAPUT CXV.

De YLLI.

Ita vocant Mexicani Alni quamdam differentiam, nostratibus facultate, materie, fructu, ac forma similem, sed quia foliis, quae productiora sunt, et minutim serrata, distare nonnihil visa est, curavimus depingendam. Iidem vocant *Aylli*, quasi *Ylli aqueam*, Betulam nostram agris Me-

xicanis, ac locis aquosis frequentem, quam velut notissimam praetermisimus.

CAPUT CXVI.

De altera YLLI.

Est et *altera* YLLI species apud hanc Novam Hispaniam praedictae omnino similis, sed foliis paulò longioribus, et angustioribus, rubescentibusque stipitibus, quam non dedignatus sum delineandam, et describendam, ut saltem nostratibus adjiceretur.

CAPUT CXVII.

De LLORES, *seu Cochleari.*

Herba est firmata radicibus multis, brevibusque fibrarum instar, unde profert folia longa, et angusta, et interveniis secundùm longitudinem procedentibus distincta, caules verò tenues, et spicatos flores. Ustionibus dicitur mederi, ex quibus possit quis conjicere aut Plantaginem esse longam, aut saltem ei congenerem. Nascitur in frigidis *Pazcuari* provinciae *Mechoacanensis.*

CAPUT CXVIII.

De YZTACTEXCALTLACOTL, *seu virga candida saxorum.*

Herba est radicis fibratae, a qua prodeunt caules purpurei, teretes, quaternos longi cubitos, et in eis folia Ur-

ticae, serrata, flores in cacumine comantes, piloſi, non ſeneſcentes, et purpuraſcentes ex albo. Sapor eſt citra diſtinctionem ullam aniſi; temperies ordine tertio calida, et ſicca, et tenues partes. Radix pugilli menſura tuſa, devorataque ex aqua, aut vino ſudorem elicit dolorem paſſis, atque ita eum lenit, et mirabilem praeſtat ea in re operam. Naſcitur in locis ſaxoſis *Xalatlaubcenſium.*

CAPUT CXIX.

De YXPATLI *Tototepecenſi.*

Genus eſt Leguminis ſylveſtris, radici inſiſtens longiuſculae, et tenui, unde mittit breves, atque exiles cauliculos, et in eis foliola longa, hiſpida, et anguſta, et ſiliquas *Chipillin*, Ciceriſve, ac flores pallentes. Frigida eſt, et adſtringens; quamobrem ſuccus ejus medetur oculis inflammatis, et eis ſuperexcreſcentem carnem exedit. Naſcitur in planis, et campeſtribus locis.

CAPUT CXX.

De TOLIZPATLI *Tototepecensi.*

Radix est crassiuscula, obrotunda, et cortice ex albo purpurascenti operta, lignosaque, et fibrata, cauliculi tenues, dodrantales, folia rara, Mali Punicae similia, sed minora, ac coccinei flores. Radix amara, et adstringens est. Eadem tusa, ac trium drachmarum pondere tertio quoque die devorata dolores ventriculi sedare dicitur, ac succurrere imbecillitati. Provenit in campestribus, et calidis locis.

CAPUT CXXI.

De TEZPATLI *Tototepecensi.*

Radici insistit fibratae, unde profert caules teretes, tenuesque, et in eis folia saligna, sed minora, et flores candentes, et modicos. Radix est amara, lienemque tusa, et applicata absumit. Nascitur in calidis, montosisque locis.

CAPUT CXXII.

De YZTICPATLI *Yauhtepecensi* , *seu calida.*

Herba est radicem fundens fibratam, et longam, unde prodeunt caules tenues , et sesquidodrantem prolixi, referti foliis Olivae, longis, et angustis, et Phillyreae non plurimùm dissimilibus. Radix est amara, et nonnihil acris. Succus instillatus naribus dolorem capitis sedat.

CAPUT CXXIII.

De IUNCO *marino.*

Iuncus vocatus a nostris marinus, ab incolis verò *Yayauhquiotlatl* , radices profert similes fibris, et ex eis unicum caulem, teretem, nigrum, sed albis distinctum punctis, nitidum, homine pauló longiorem , pollicem crassum, interceptumque geniculis, e quorum singulis utrinque prodeunt folia longa , angusta , serrataque , aut spinosa. Nascitur juxta australe Oceanum in *Huacanae* provincia. Neque alium, quod sciam, praeterquam scipionum, praestat usum. Sunt, qui *Xaoactli* vocent.

CAPUT CXXIV.

De YZTACPATLI *Ygualapensi.*

Radici insistit fibratae, unde profert stipites tenues, teretesque, ornatos foliis Ocymi, circinatis, et subluteis floribus

in papo dabeuntibus. Radix est acris, nonnihil amara, calidaque, et sicca ordine quarto. Folia unciae unius pondere devorata, aut decoctarum radicum jus ventris dolorem sedant, ac pellunt lumbricos. Nascitur in calidis, planisque, et humidis locis regionis *Ygualapensis*.

DE HISTORIA PLANTARUM NOVAE HISPANIAE,

LIBER DUODECIMUS,

FRANCISCO HERNANDO, MEDICO ATQUE HISTORICO PHILIPPI II. HISPAN. ET INDIAR. REGIS, ET TOTIUS NOVI ORBIS MEDICO PRIMARIO, AUCTORE.

CAPUT I.

De MEMEYA *Tepecuacuilcensi.*

Praeter *Memeyas* in superioribus a nobis descriptas est alia *Tepecuacuilcensis*, quae etsi viribus ceteris *Memeyae*, Peplyosve generibus similis sit, ob spectandum tamen rubeum foliorum colorem non erit hoc in loco tacenda. Cubitalis Herba est, radici innitens fibratae, unde profert rubeos stipites, purpureosve, tenues, ac teretes, et in eis folia temporis procursu in rubeum colorem mutata, oblonga, obtusaque, et Mali Punicae foliis, forma, et magnitudine similia, floresque exiles, orbiculares, et luteos in postremis

coacervatos ramis. Ajunt Indi frigidam esse, quemadmodum ceteras ei congeneres plantas, febribusque exstinguendis, et conglutinandis vulneribus mirabilem: cujus rei gratia non censui tacendum, non priùs eorum sententiae acquievisse, quàm experimentis permultis id verissimum comprobassem; etsi sententiae Dioscoridis possit quisquam judicare contrarium: quin et cùm eas Herbas lacte manantes degustassem, nullum paenè caloris sensum percipiebam; fateor in lacte ipso nonnullam acrimoniam, et calorem persensisse, verùm adeo exiguum, ut si experimentum ipsum adjungas, facile credas in ea Herbula frigus dominari, atque excellere. Fieri tamen potuit, ut ab eis, de quibus Dioscorides fecit judicium, soli natalis ratione lac efflueret copiosiùs, et ideo major inesset illis acrimonia, et calor vehementior: quod etiam apud alium Orbem, aut quaspiam ejus regiones facilè posset evenire; sed nos, quae hujus Orbis sunt, inviolata fide narramus. Nascitur in calidis *Tepecuacuilci* plagis.

CAPUT II.

De MAZACAXOCOTL, *seu Pruno cervino.*

Etsi fructus illi, quos Indi ab acido sapore *Xocotl* vocare consueverunt, nostri verò non a fructus tantùm similitudine, sed Arboris quoque ipsius, pruna, in quintuplici, quod adhuc animadverterim, sunt differentia. Quoniam verò omnium

Arbores in parem magnitudinem attolluntur, eam scilicet, quae nostratium Prunorum est, simili constant materie, stipites item, radices, et folia omnino sibi respondent; de eis promiscuè erit in hoc Capite a nobis agendum. Commune ergo est omnibus fructum adhaerescentem stipitibus, ramisque, priusquam folia, proferre, quod paucis admodum Arboribus evenire solet: e foliis salsamenta, condimentave acida concinnari, emollire alvum, non admodum suave, aut salubre praestare alimentum, atque earumdem Arborum cineris ope puellarum flavescere capillos. Ergo prioris specie pruna (liceat enim ita nobis harum Arborum nuncupare fructum, quando non aliter ab indigenis Hispanis vocitari consuevit) *Zacacoxocotl* dicta, rubra sunt, atque in oblongam protracta formam, nucum juglandium mediocrium magnitudine, ossibus magnis, firmis extra, et intra lentis, striatis, et dactylorum forma, callo modico, mollique, et succo manante, intus luteo, quale est ipsum os. In cibi haec usum veniunt, et a multis sagacioris palati, sed quibus diutiùs consueta sunt, nostratibus praeferuntur; alvum emolliunt, et dulci, acidoque sapore sunt grata, sed qui cum nostratium prunorum deliciis, ut equidem censeo, comparari minimè possit. Secundae speciei poma, vocata *Atoyaxocotl*, longè minora sunt, colore luteo, orbiculari forma, odore praestantiori, minori nucleo, rotundoque, et gu-

stu jucundiore. Tertius est *Haitinorum Hovus*, qui a Mexicanis vocatur *Cozticxocotl*, a multis, nec omnino praeter rationem in Myrobalanorum relatus genera, qui, ut vel ipso nomine constat, pallidus est, majoribus maculis inspersus, gratiorisque calli; cetera primo fructui persimilis. Est et quartum genus, *Atoyaxocotlchichiltic* dictum, minimum omnium, coloris coccinei, quod tamen suavitate odoris reliqua vincit genera, qua *Matzatli*, Pineamve ab Hispanis hujus Orbis colonis vocatam, de qua suo dicendum est loco, videtur imitari. Postrema differentia ejus generis, quod nucum juglandium magnitudinem superat, passeo constat colore, et *Chichioalxocotl*, hoc est *sudore manans*, quoniam manus attrectantium ab eo e vestigio inficiantur, nuncupari solet. Uberiore hoc callo, quàm reliqua, abundat, nucleum minorem continet, et cetera praedictis est simile. Corticum harum Arborum decocti jus scabiem, ac crurium tumorem curat; pulvis verò, ut qui frigida, siccaque, et adstringenti natura constat, ulceribus medetur. Nascitur in calidis quibusque locis campestribus, hortensibusve, et humectis. Sunt et alia plura genera, colore tantùm distantia, quae non judicavi exquisitiùs recensenda.

CAPUT III.

De NANTZINXOCÓTL.

Arbuscula est Limonis foliis, floribus luteis, fructuque orbiculari, et pallescenti, cerasis forma, et magnitudine simili. Cortex stipitum adstringit, frigidaque, et sicca constat natura. Pulvis medetur ulceribus, adhibetur lotionibus ad tumores crurium discutiendos opportunis, ac pro harum gentium more enixis quoque propinatur corroborandis. Nascitur *Coatlani Quauhnahuacensi*, et reliquis calentibus paene locis. Fructus est edulis, grati gustus, mollisque, unde nomen. Est enim *Nantzinxocotl Xocotl matrum*, *seu vetularum*. Jus decocti corticum ejus, ac pariter *Tlatlacotic*, *Cuicuitlapilli*, *Tlapalezquahuitl*, *Chichicpatli*, *Tzatzayanalquiltic*, *Tztacpatli*, *Tlalcapolin*, *Coapatli*, *Cicimatic*, *Hueipatli*, *Poztequilzpatli*, et *Atepocapatli*, venditatur in emporiis Indorum, velut utile medicamentum coctioni roborandae, extergendo ventriculo, excitandae appetentiae, expurgandae enixarum alvo, evocando lacti, corporique illarum firmando.

CAPUT IV.

De TEUHXOCOTL, seu Pruno Dei.

Arbor est folia ferens rotunda, mediocris magnitudinis, firmaque, fructum ponticis nucibus paulò majorem,

prunis passis colore, et forma similem, modici calli, et pro ejus magnitudine praegrandis ossis, frigentis naturae, siccaeque, et adstringentis, saporis verò e dulci in acidum inclinantis, et coloris extra nigri, et intus rubei, maturescentibus oleis persimilis. Nucleus tusus medetur oris ulceribus; frigidus enim est, et adstringens, quamquam sentiatur nonnihil amarus. Commodè igitur pro prunis sylvestribus substitui posset, quorum fortassis est species, constringendis, perfigerandisque iis membris, quae impensè laxa, aut calida sunt. Nascitur in fervidis saxosisque locis, et in cohibenda alvo, sanguinisque defluxionibus mirum ajunt praestare usum.

CAPUT V.

De TEXOCOTL, *seu Pomo saxeo.*

Arbor est mediocris, foliis nostratium Malorum, sed asperioribus, et serratis. Montosis locis sponte provenit, et permultis horret spinis. Mala fert nostratibus similia, sed parva, nec nucibus juglandibus majora, lutea, praeduraque ante maturitatem, sed postquam maturuere, adipi mollitudine paene paria, ingrato (ut mihi quidem videtur) sapore, sed qui a multis non habeatur insuavis. Semen lapidi duritia non cedit, quod triplex in singulis offenditur pomis, lunatum, magnumque pro pomorum magnitudine, duobusque angulis, et unico dorso insigne. Condiuntur saccharo,

ac melle multis modis, atque ita mitescunt, nec sunt nostratibus minùs jucunda. Indi Mexicani permissa priùs putrescere venditant in emporiis, atque ita sylvestrem illum gustum exuunt. Quòd si diutiùs studeant servare incorrupta, id nitri aqua inspersa assequuntur. Germina tusa, atque ex aqua devorata exanthematis dicuntur mederi, et calorem sedare, praecipuè si germinibus *Capolin* misceantur.

CAPUT VI.

De altera TEXOCOTL.

Arbor est parva, foliis Amygdalinis, sed latioribus, saporis adstringentis, ac frigidae naturae. Quorum farina inspersa ulceribus remedio est. Jus decocti radicum ajunt roborare enixarum confracta corpora.

CAPUT VII.

De TEPEXALXOCOTL, *seu Xalxocotl montana.*

Arbuscula est folia *Xalxocotl* ferens, *Huayavive* Arboris ab *Haitinis* vocatae, sed exilibus, numerosisque distincta interveniis, fructum Oxyacanthae, primò viridem, ac demum in luteum colorem vergentem, non sine nucleo interiori, minimèque edulem. Cortex radicis resolutus ex aqua, atque illitus corpori calorem exstinguit: frigidus enim, et exsiccans est. Provenit in collibus *Texaxahuacensibus*, et *Pa-*

nucensibus, ubi ajunt decocti jus mederi dysentericis.

CAPUT VIII.

De XALXOCOTL, *seu Pomo arenoso.*

Arbor est magna, *Guayavus* dicta *Haitinis*, foliis Mali Medicae, sed minoribus, ac multis distinctis interveniis, floribus candentibus, fructu orbiculari, granulis referto ficuum granulis ferè similibus, unde nomen arenosi. Folia sunt acida, adstringentiaque, et valde odora. Scabiem curant, et lotionibus solent adhiberi. Cortex frigidus, et siccus est, atque adstringens; jus decocti ejus tumentibus cruribus fert opem, et fistulosis ulceribus medetur. Conferre quoque referunt surditati, et dolores ventris tollere partium quarumdam calidarum, quarum expers non est, ministerio. Pomum calidum est, ac siccum, ac praecipuè exterior illius, ac solidior pars: nam interior, quae mollis est, mitiorem videtur praeseferre calorem. Cimices quadantenus olet, et tamen non postremum in mensis invenit locum, imò jucundum permultis exhibet alimentum, sed non omnino innocens, etsi quippiam contendant coctionem juvare, et calefacere ventriculum ob frigus imbecillem. Alia duo visa sunt a nobis hujus Arboris genera, quorum alterum fructum ferat longè majorem, ac horrido illo gravique odore magna ex parte vacantem, et ob id habitum in deliciis, folia verò virentia, Mali Me-

dicae similia. Nascitur in calidis, locis montosis, et campestribus, sed praecipuè *Quauhnahuaci*, ubi tria haec praedicta genera magna voluptate, ac pomis degustatis expendimus.

CAPUT IX.

De MIZQUITL, *seu Siliqua.*

Arbor est Mizquitl frequentissima Novae Hispaniae, sua sponte quibusque locis, sed maximè montosis, temperatisque, aut frigidis proveniens, incondita et spinosa, foliis exilibus pennas avium imitantibus, ordine utraque ex parte ramorum dispositis, flore Betulae nostratis proximo, ac siliquis edulibus, longisque, ac dulcis, pergratique saporis, et refertis semine, unde sortita est nomen, hinc et inde dependentibus: e quibus placentulas parat *Chichimecarum* gens, vicem illis praestantes panis, velut ex variis seminibus, radicibus, ac fructibus alii. Haec est verissima Antiquorum Acacia, et quae germanum Gummi vocatum Arabicum ferat, cujus hìc est ingens copia, incuria fortassis pudenda adhuc incognita, et in nostrum Orbem nondum deportata. Neque est unica ejus species, sed plures. Frigida, siccaque, et adstringenti constat natura. Liquor e tenerrimis hujus Arboris turionibus defluens, expressusve, aut aqua, ubi aliquandiu iidem maduerint, illita mirum in modum oculorum morbis auxiliatur. At jus decocti corticum nimium mensium fluxum

compescit; qui menses, si primiparae sint (ut et hoc obiter agatur) tineae, et lichenibus medentur. Sunt, qui *Hoaxin*, et alias nonnullas Arbores, quae apud Novam Hispaniam proveniunt, in Acaciae referant differentias.

CAPUT X.

De MIZQUITL *Mechoacanensi.*

Vocant *Mechoacanenses* suam Mizquitl *Tziritzequam*, spinis carentem, ac foliis exilioribus *Mizquitl* vulgari, quae etiam Acaciae species est, ac Gummi vocatum Arabicum quàm optimum fundit.

CAPUT XI.

De QUETZALMIZQUITL, *id est de Mizquitl pennis simili.*

Arbor est similis Sparto, aut Genistae nostrati, sed aculeata, siliquasque ferens, et parvos, ac luteos flores. Jure decocti foliorum lavatur caput pediculorum interficiendorum causa, et capillorum defluentium restituendorum; pectori quoque devorata confert. Amara est, odoris foetidi, et secundo calefaciens ordine. Succus extergit, clarificatque oculos, et argemata discutit illitus, infusum verò jus decocti corticum radicis dicitur conferre dysentericis, et mirum in modum enixis esse utile, ac recentem corticem admotum corpori interpellatis febribus mederi.

CAPUT XII.

De TLALMIZQUITL, *seu Mizquitl humili.*

Tlalmizquitl, quam alii *Matlalxochitl*, seu *florem cyaneum* vocant, alii verò *Coltótl*, radicem fundit crassam, surculosam, et longam, et ex ea ramos spithamaeos, refertos foliis rutaceis, sed quae virentia cicera sapore imitentur, et flores cyaneos, oblongos. Frigefacit; atque ideo radix tusa, ac devorata drachmae unius pondere febrilem solet, si opportunè adhibeatur, exstinguere calorem. Provenit montosis *Tztapalapae* locis.

CAPUT XIII.

De TLALMIZQUITL *Ocoïtucensi.*

Radicem fundit parvam, luteam, fibratamque, et ex ea caules circa exortum purpureos, foliis Ciceris refertos, florem pilosum, ex viridi candescentem, caudae forma. Frigida, siccaque natura radix constat, et laevigata, inspersaque medetur ulceribus. Jus decocti ejus bibitur loco aquae fontanae ad febres sedandas. Est et alia, *Cocoatzin* vocata, huic forma, et facultate persimilis, quam tamen ajunt ventriculi sedare dolorem.

CAPUT XIV.

De TLALMIZQUITLYEHEYO, *seu Tlalmizquitl ferente siliquas.*

Radicem agit crassam, et surculosam, folia Ciceris edendo apta, rubros flores, ac parvas siliquas. Frigida, et sicca temperie constat, ac puerorum sistit diarrhoeas.

CAPUT XV.

De sexta TLALMIZQUITL.

Herbula est radici innixa tenui, et capillatae, unde profert caules tenues, et teretes: folia quoque tenuia, ac semen nigrum, exileque in vasculis, unde flos prodit. Sapore insigni caret, frigidaque, aut temperata constat natura. Admovetur pulvis radicis ulceribus, bibiturque ex aqua calida adversùs alvi dolorem. Nascitur *Huexocinci*.

CAPUT XVI.

De MATLALTOTONQUI, *seu cyanea calida.*

Multos radices fundit tenues, et ex his caules multos, duas spithamas longos, folia prolixa, tenuia, ac florem in cacumine capillatum, umbellae forma. Tritae radices, ac inspersae ulcera extergunt, et ad cicatricem perducunt.

CAPUT XVII.

De MATLALXIHUITL, seu *Herba cyanea.*

Radicem profert digito minimo similem, et ex ea stipites plures, tenues, spithamam longos, atque purpureos, folia orbicularia, parvaque, serrata, et quadantenus Adiantho similia. Folia tusa, et in pulverem redacta, epotaque drachmae unius mensura cuchexi medentur, vacuatis per urinam, et secessum humoribus corpus malè habentibus. Radicum verò inspersus pulvis, aut ex quopiam liquore admotus ulcera putrida extergit, ac carne implet, et ad cicatricem perducit. Locis provenit montosis, ac temperatis.

CAPUT XVIII.

De MATLALXIHUITL *Xalatlacensi.*

Radicibus firmatur surculosis, candidisque, e quibus prodeunt caules teretes, quatuor spithamas longi, et in eis folia Leguminis, tenuia, semen nigrum in vasculis oblongis, et florem cyaneum, modicum. Exhibentur folia pugilli mensura devoranda adversùs febres, et jus decocti ejusdem rei gratia illinitur. Provenit in locis campestribus frigidarum regionum.

CAPUT XIX.

De MATLALXIHUITL *Acatlicpacenſi.*

Frutex eſt mediocris altitudinis, caules ferens cinereos, folia Hederae, ſerrata, candentiaque, ac comantes flores. Odor eſt gravis, ſapor amarus, acriſque, et tamen febres ajunt Indi Medici finire illitam, fugatis fortaſſe intermittentium horroribus, aut cauſa faciente morbum per urinam, aut meatus corporis evocata. Naſcitur *Acatlicpaci*, ut indicat cognomen.

CAPUT XX.

De MATLALTIC.

Matlaltic, ſeu *cyanea medicina*, radices mittit tenues, et ab his caules multos, tenues, teretes, et purpureos, folia Conyzae proxima, florem purpureum, et oblongum, in corymborum compoſitum formam. Calida eſt ordine tertio, ſiccaque. Farina radicis laevigatae inſperſa, ſeu per ſe, ſeu ex aliquo extergente liquore ſordida ulcera extergit, et ad cicatricem perducit, ſervatve incorrupta.

CAPUT XXI.

De MÁTLALIN.

Herba eſt duos cubitos longa, fibratis radicibus, caulibus teretibus, tenuibuſque, foliis exilibus, multis, et flo-

ribus violis purpureis similibus, cyaneisque. Maceratur ex aqua unius horae intervallo; mox exprimitur, et is liquor dicitur tingere veneto, caeruleove colore lanas. Sunt, qui eamdem Herbam *Matlalxochitl* vocent.

CAPUT XXII.

De MATLALINTTLATLAN, *seu dentibus cyaneis.*

Radicibus insistit Satyrionis, sed tenuioribus, e quibus prodeunt caules, foliaque eorumdem Satyrionum, ac flores in summo spicatos, rubeos, vasculorum oblongorum forma. Radices lubricae sunt, frigidaeque, et eorum vicem velut congeneres subire solent. Nascitur in temperatis *Tetzcoquensibus.*

CAPUT XXIII.

De MATLALXOCHITL *Tetzcoquensi.*

Herba est sesquidodrantem longa, foliis *Cempoalxochitl*, purpureis floribus, cymbalorum figura, e quorum parte interna quaedam velut crepitacula prodeunt candida. Nascitur *Tetzcuqui*, et floris tantùm usum, quod adhuc noverim, praebet.

CAPUT XXIV.

De MATLALXOCHITL *Xalatlauhcensi.*

Herba est procera, caule quadrato, cavo, et geniculis intercepto, foliis hastarum mucronibus similibus, infernè

subalbidis, floribus circa summum caeruleis, oblongisque, calycum forma. Radix sapore ferè, et odore vacat, frigidaque, et humenti constat natura. Nascitur in frigidis, humidisque locis, nec procul ab aquarum fluentis.

CAPUT XXV.

De altera MATLALXOCHITL.

Herba est radici insistens fibratae, et candenti, e qua fundit caules fulvos, duos dodrantes longos, tenues, teretesque; folia Amygdali, verùm minora, et flores in summis caulibus spicatos, et luteos, cyaneosque, quorum tantùm est usus, et inde sumsit nomen *Xochitl*, seu *Floris*, et *Matlal*, seu *cyanei*.

CAPUT XXVI.

De MAMATLALTON.

Radicibus firmatur fibrarum instar multis, et Helleboro similibus, e quibus profert caules purpureos, dodrante longiores, quadratosque, folia Ocymi, verùm prolixiora, quorum rubescunt non pauca. Sapor radici insignis quispiam non est, etsi videatur nonnullum calorem prodere cum quadam siccitate. Ajunt valere adversùs satietatem radices semunciae pondere devoratas. Provenit *Yacapichtlae*. Fert eadem vascula referta semine. Sunt inter Indos Medicos, qui asse-

rant contemperando calori nimio esse idoneam.

CAPUT XXVII.

De MATLALQUAHUITL, *seu Arbore cyanea.*

Frutex est Olivae proferens folia, infernè subalbescentia. Frigida, et sicca natura constat. Medetur ustis. Provenit *Ocopetlayucae*.

CAPUT XXVIII.

De MAZATOZQUITL, *seu sono cervi.*

Radicem mittit Raphani, ex albo tamen purpurascentem, Lactucae folia, serrata in caulibus cavis, rotundis, cubitalibusque, et in eorum extremis partibus luteos, ac modicos flores, qui in pappos abeunt, ac semen tenue, et fulvum. Sisymbrion alterum sapit, Pastinacamve, odoremque jucundum spirat. Amara est, nonnihil acris, et quarto ferè ordine calefacit, et nonnihil glutinosa est, subtilibus constans partibus. Nervos contractos applicata laxat, atque emollit, urinam evocat, flatum discutit, et ab eo ortos dolores, evocat menses, ventriculumque ob frigus imbecillem confirmat, ulceribus pudendorum medetur, aliaque hujusmodi praestat, quae a simili temperie solent provenire.

CAPUT XXIX.

De altera MAZATOZQUITL.

Frutex est hispidus, squallensque, folia ferens angulosa, et Helychrisi florem. Nec vis ulla ejus medica narrata est; ideoque minimè mihi depicta.

CAPUT XXX.

De MAZATLYNENEPILLI, *seu lingua cervi.*

Herba est crassae radicis, foliorum *Copolin*, Amygdalive, serratorum, virorisque exsaturati. Nascitur *Ocoituci.*

CAPUT XXXI.

De MAZAXOCOQUAHUITL, *seu Arbore ferente Mazaxocotl.*

Arbor magna est, fructum ferens Indicis prunis persimilem, virentem, et crassum, quem vocant *Mazaxocotl*, dulcemque: stipites geniculatos, plenos medulla, et folia magna, cujus nullam referunt facultatem indigenae, atque ideo delineandam non curavi. Nascitur in calidis *Mactlactlanicis*, editis, campestribusque locis.

CAPUT XXXII.

De MAZATLYPAPALOQUIL, *seu lingua cervi.*

Radici haeret fibratae, ex qua profert stipites purpureos,

hominis altitudine, et in eis folia quernea, sed undulata, flores candentes, in pappos demum abeuntes, ac siliquas nucleis refertas. Odorata est, acris, et calidae naturae; atque ita rigores febrium intermittentium dicitur arcere, et evocato sudore, aut aliter vacuata causa ipsas etiam febres tusis foliis, et illitis corpori; frigido ventriculo subvenit, morbisque ad flatum spectantibus, necnon colicis, iliacis, et uterinis. Provenit in calidis *Oapani* prope fluenta.

CAPUT XXXIII.

De MAZAXOCHITL, *seu Flore Cervi.*

Mazaxochitl, quam alii *Tepecozauhtli* vocant, Herba est palustri Myriophyllo similis, sed caulium, foliorumque in luteum colorem vergentium, unde nomen secundum: est enim *Tepecozauhtli Herba sylvestris pallens.* Odora est, acri sapore, calidaque, et sicca ordine tertio temperie. Tusa, atque applicata sedi haemorrhoidas siccat ea securitate, ut nunquam ampliùs repetant, sed cùm primùm admovetur, ardorem excitare solet unam, aut duas tantùm urgentem horas. Nascitur lacustribus locis.

CAPUT XXXIV.

De MIAHOAPATLI, *seu medicina spicae Mayzii.*

Herbula est Alsinae haud absimilis, Arborum truncis in-

nascens, ab eisque sumens alimentum, tenuibus, brevibusque ramulis, rutaceisque foliis, aut paulò minoribus, et candidis flosculis. Acris est, odora gustu, et calidae temperiei. Flatus discutit, et dolores a causa frigida ortos tollit pugilli unius mensura trita, atque ex vino devorata; enixas instaurat, et corroborat haud aliter, ac genera Herbarum, quas vocant *Cioapatli*, appetentiam excitat, et satietati medetur: quin et illiniri corpori solet, et emplastris admovendis capiti adhiberi. Sunt, qui addant *Ahoyacpatli*, *Tancapaz*, *Tezontequani* *Yceoalloyuhatl*, et *Ychipinca*.

CAPUT XXXV.

De MIAHOAPATLI *secunda.*

Radices fert capillorum instar, ex quibus caules profert geniculatos, teretes, ac virentes, Ocymi folia, sed rotundiora, et minimè serrata, et flores parvos, spicatos, ac rubeos. Calida est ordine tertio natura, siccaque, et sapore acri. Partum devorata accelerat, evocat menses, secundinasque, tormina enixis evenire solita tollit, eosque omnes usus illis praestat cumulatissimè, quae reliquae Plantae adjuvandis mulieribus nomen sortitae exhibere solent. Frigidis autem, et montosis locis gaudet.

CAPUT XXXVI.

De MIAHOAPATLI *tertia.*

Herbula est radicibus insistens fibrarum instar, e quibus caules fundit, et in eis folia Ocymi, sed longiora, et angustiora, mollia, atque exilia, flores spicatos, et purpureos. Folia cucumerem et sapiunt, et olent, frigidaque constant natura; et tamen jus decocti eorum infusum alvum extergit: sunt, qui addant epotam ex vino vires enixarum augere. Nascitur temperatis, atque humidis locis.

CAPUT XXXVII.

De MIAHOAPATLI *Chillae.*

Herba est foliis Amygdali, sed brevioribus, pinguioribus, et impensè viridibus, purpureis caulibus, fragilibus, teneris, teretibusque, e radice transversa, et fibrata prodeuntibus, floribusque in spicae modum. Frigida, et humida constat temperie, etsi a partibus quibusdam calidis non sit omnino destituta, et odorata sentiatur gustu, ac velut resinosa. Provenit in Arboribus sylvarum *Chillae.*

CAPUT XXXVIII.

De MIAHOAPATLI *parv*.

Herbula est exilis, adhaerens saxis, quae salientes abluunt

aquae. Frigida natura constat, valetque adversùs febres aut per se solam devorata, aut mista *Totonilizpatli*, et *Xicahuiycalizpatli.*

CAPUT XXXIX.

De MIMIAHOATZIN, *seu spica Mayzii parva.*

Herba est duas spithamas longa, glandibus simili innixa radici, asphodelinaeve, extra nigrae, et intra candenti, ex qua profert caules tenues, et teretes ab unica radice, refertos foliis angustis, et longis, et circa summum floribus obrotundis, parvis, ex albo rubescentibus. Radix est frigida, humens, et glutinosa, atque ita adversùs dysenterias drachmae unius, duarumve mensura utilissimè devoratur, addito praecipuè pulvere Mayzii rubri torrefacti. Nascitur in frigidis regionibus, collibusque, et locis editis. Vidimus eamdem Plantam apud *Xalatlaccenses*, ubi eam nuncupant *Zanioatzincoxochitl*, quoniam manè floreat, et noctu soleat deflorescere; ajuntque Indi Medici jus decocti radicum esse enixis magnopere salubre.

CAPUT XL.

De XIUHTLAMIAHOAL, *seu Herba humili ferente flores spicis Mayzii similes.*

Herba est e radicibus capillorum instar fundens teretes, laeves, et virentes caules, et in eis folia Coronopi, rara,

longa, angusta, et serrata, flores in summa caulium parte cyaneos, ac Staechadis capitulorum forma. Frigida, et humida temperie constat, saporeque, et odore ferè nullo. Illita febres sedat, et inflammationes exstinguit. Provenit *Ocoituci* campestribus, planisque, et humectis locis.

CAPUT XLI.

De MIATLACOTL, *seu virga aquae sagittifera.*

Herba est radicibus innixa longis, ac minimum digitum crassis, e quibus profert caules quatuor dodrantes longos, et in eis folia obrotunda, et in extremis flagellis parvum fructum. Frigida, humidaque constat temperie, saporeque, et odore ferè nullo; quamobrem febribus quoque dicitur mederi. Provenit *Yztlani.*

CAPUT XLII.

De MEXOCHITL, *seu Flore Maguei.*

Radicem, ac folia fert Scillae, caulem laevem, rotundum, longumque, et in summa ejus parte flores candentes, ac magnos, redolentesque Lilium, et ejusdem formam quadantenus referentes. Narcissi fortassis species est. Frigida, et glutinosa constat natura, et tamen flatum, quem calor excitavit, dicitur sedare; folia ellychnii instar admota faeces pueris evocant, bulbi verò tumores repellunt prae-

ter naturam. Sunt, qui vocent *Metzxochitl.*

CAPUT XLIII.

De altera MEXOCHITL.

Radicibus firmatur surculosis, unde caules funduntur prolixi, virore tincti exsaturato, teretes, laevesque, et in eis folia serrata, oblonga, et impensè acuminata, rubei, ac parvi flores in vasculis scariosis, et oblongis contenti. Folia sunt odora, paulisper acria, calefacientisque temperiei, ac saporis alterius Sisymbrii. Satietati, ac dolori ventris dicitur mederi devorata, aut infusa, ac praeter naturam tumores, qui brachiis, cruribusve eveniunt, mira discutere celeritate, ipsisque inflammationibus impensè esse utilem.

CAPUT XLIV.

De MEXOCHITL *Acatlicpacensi.*

Herba est radicem fundens magnam, et surculosam, e qua prodeunt caules plures, quaternos longi dodrantes, folia Ulmi, acuminata, angulosaque per intervalla, flores, fructusve ex his, qui non consenescunt, oblongis condylis similes. Frigida est, siccaque et paulisper adstringens, et expers saporis, atque odoris. Jus decocti corticum propinatur scabiem patientibus.

CAPUT XLV.

De MEXOCHITL *quarta.*

Frutex est hominis altitudine, fibratis radicibus, foliis Mali Persicae paulò majoribus, floribus parvis, comantibus, et ex luteo rubescentibus, et siliquis *Chilli* similibus, sed lineis procedentibus secundùm longitudinem. Odorem spirat gravem, acremque. Folia contusa devorantur adversùs venenatorum animalium morsus: excitata enim vomitione vulnerati solent restitui in pristinam sanitatem. Eadem verminosis ulceribus applicata noxia animalia fugat, atque necat. Provenit *Hoeitlalpae* in humectis vallibus, aut collibus.

CAPUT XLVI.

De MEXIHUITL, *seu Herba Metl.*

Frutex est folia ferens Rubi, acinos racematim dependentes, primò virides, ac tandem coccineos, ac rubeos flores, cujus nullam adhuc facultatem, quae saluti ex usu sit, comperi, etsi radix ejus videatur Anethum olere.

CAPUT XLVII.

De MICAXIHUITL, *seu mortis medicina.*

Folia sinuosa profert, et florem *Tyauhtlinum*, comantem. Calidae, siccaeque est temperiei circa ordinem ter-

tium ; epilepticisque, et cordis medetur affectionibus, unde evenit illi nomen.

CAPUT XLVIII.

De MICAXIHUITL *secunda.*

Volubilis genus est, folia ferens ulmea, verùm tenuia, terna, laeviaque, et exsaturato altera parte colore, dilutiore altera ; radice longa, et tenui, floribus luteis, parvis, ac capreolis sese undique convolventibus. Caloris est temperati, et eisdem confert morbis.

CAPUT XLIX.

De MICAXIHUITL *tertia.*

Herba est magna, prolixis, ac angustis foliis, binis ex utraque caulis parte, qui purpureus est, et geniculatus, ordine dispositis, ex quorum exortibus bini quoque flores prodeunt ex cyaneo in purpureum colorem vergentes, calyculorum forma. Calida ordine tertio natura constat, et eosdem praestat usus.

CAPUT L.

De MICAXIHUITL *quarta.*

Micaxihuitl *quarta*, quam alii *Chilpanxochitl* vocant, radicibus insistit tenuibus, unde prodeunt caules duas spithamas prolixi, ornati foliis longis, et angustis, serratis, ac illis Nasturtii haud multùm dissimilibus, floribusque signo-

rum in modum pendentibus, unde secundum nomen, ex luteo rubescentibus, vasculorum oblongorum figura, ac semen includentibus album. Abluuntur jure decocti ejus epileptici ab ispo symptomatis insultu , atque ita fieri solent incolumes, unde ortum est primum nomen : sunt enim epilepsi arrepti velut mortui. Nascitur in frigidis *Tepoztlani* montibus. Sunt et aliae duae Herbae eodem nomine, ac facultate, quarum altera radicem fert fibratam, et ex ea caules longos, teretes, et purpurascentes, geniculatosque, et in eis folia Persici, ac flores ex singulis foliorum exortibus prodeuntes ; altera verò fibratam quoque radicem fundit, caules nonnihil purpurascentes, et in eis folia Persici, terna, flores verò luteos, Leguminum floribus similes, unde siliquae generantur: quae omnes in frigidis *Tepoztlanensibus* solent provenire, quemadmodum et quam *Micapatli*, seu *mortuorum medicinam* vocant , quoniam eisdem opem ferat morbis, radice crassa, longaque et sensim gracilescente, e qua prodeunt rami serpentes per terram, foliis Origani, sed minimè serratis, et minoribus.

CAPUT LI.

De MICAXOCHITL , *seu Flore mortui.*

Folia fert oblonga, aspera obducta lanugine , et odoris grati, radicem surculosam, caulem hirsutum, longum, et asperum, et luteum florem, Chrysanthemo similem, cu-

us tantùm est usus. Est et *Micaquahuitl* Arbor, folia Mali Medicae ferens, floribus luteis, ac magnis: insipida, frigidaque, et humida natura; cujus cortex tusus, et ex aqua illitus repellit praeter naturam tumores.

CAPUT LII.

De MICATLACHPAHUAZTLI, *seu scopis mortis.*

Herba est tribus dodrantibus longior, radicibus insistens fibrarum instar, e quibus fundit stipites fulvos, et multos, folia exilia in procursu caulium. *Tlachpahuazxochitl* similis est, sed hujus radix est fibrata, luteaque, ramulique majores, e quorum singulis tres, quatuorve alii rursus prodeunt; quae omnia absunt ab hac Planta, de qua modò est sermo; cujus radix dulcis est, palulùm amara, et ad leniendum pectus, curandamque tussim valde utilis, et asthmati profligandae conferentissima, si jus decocti ejus sorbeatur. Nascitur in collibus *Anenecuilci.*

CAPUT LIII.

De TLACHPACHOAZXOCHITL, *seu Flore scoparum.*

Radicem fundit crassiusculam, pallentem, longamque, et fibratam, e qua multi diffunduntur stipites tenues, coccinei, lignosi, fragiles, et in his folia exilia, et parva, Thymo quadantenus similia, sed longè minora, et tenuiora,

et flosculi, velut pinnulae, cinerei, cyaneive coloris. Septembri floret. Jus decocti radicum summo mane ter, quaterve sumtum decem unciarum pondere appetentiam excitat, et medetur exanthematis. Calida est ordine secundo non sine quadam adstringentia, et corroboratione. Frigidis provenit regionibus. Succus instillatus abstergit oculos, illitus verò flavificat capillos.

CAPUT LIV.

De MILPANPATLI, *seu satorum medicina.*

Cortex radicum ejus tritus, atque ex aqua epotatus duarum drachmarum mensura, aut jus decocti ejus mirè fluxum omnem cohibet: quin et pulvis inspersus ulcera extergit, carne replet, et cicatrice obducit; adstringentis verò est naturae, et ad calorem nonnihil attinentis.

CAPUT LV.

De MACPALXOCHITL, *seu Flore manus.*

Arbor est magna, flores ferens manus forma, unde nomen, internè coccineos, at externè ex luteo rubescentes, folia Ficus, sed minora, fructum durum, atque lignosum, liliaceo flori quadantenus similem. Floret circa initium hyemis, ac viret, velut maxima pars Arborum hujus Orbis, regionumque calidarum, toto anno; nec ulla ejus narratur medica utilitas.

CAPUT LVI.

De MACPALXOCHITL *Herba.*

Est et Herba vocata Macpalxochitl a foliorum sinuata figura, ac velut divisa in digitos, quae ficulneis, vitigineisve proxima sunt, sed minora, aut Malvae, in cujus species potest referri; nam lubrica quoque, et frigida, aut modicè calida natura constat. Nascitur locis temperatis, velut *Chapultepeci.*

CAPUT LVII.

De MATZATLI, *seu Pinea Indica.*

Fructum hujus plantae vocant Hispani hujus Orbis coloni ob similitudinem Pineam, alumnam *Haitinae* Insulae, hujusque novae Hispaniae, et pineis nostratibus magnopere similem, et inde nomen sortitam. Planta ipsa fert Iridis folia, sed spinosa, radicem fibratam, crassamque, et unicum pomum, germinibus circumcirca exorientibus, ac altero in culmine ipsius pomi; detractis his, satisque radices statim aguntur, alterumque producitur pomum similibus stipatum germinibus. Initio hoc apparet rubrum, sed procedente tempore, ac rubescente adhuc germine pallescit. Sapor est dulcis, acidusque; temperies frigida, atque sicca, ac succo manans natura. Exhibetur febrientibus refrigerii gratia, et ad excitandam appetentiam, retineturque ore, ut sitim mitiget, et linguam

humectet, quamquam in bilem facilè converti dicatur. Sapor est ejus fructus, quem vulgus *malocotoneum* vocat, non sine quodam, ut dictum est, acore. Condita aliquando saccharo, atque ita delata in Hispanias gratissimo succo placuere. At recentia secantur in frusta, ac muriae permittuntur immadescere, ut pars in bilim apta nata converti exsiccetur, ac velut evanescat. Nascitur in calidis regionibus, montosisque locis.

CAPUT LVIII.

De MATZALQUILITL, *seu Olere profundiusculè crenato.*

Folia fert Ocymi, sed minora, flores *Tzitziquilitl*, et *Eloquiltic*, et caules quadratos *Tzitziquilitl.* Olera sunt omnia haec, necnon et *Tepequilitl*, quae edi solent cruda, et calidam naturam praeseferunt, sapiuntque alterum Sisymbrium Dioscoridis, ac fortassis in ejus species possent referri. Nascitur inter segetes, et cum frumento Indico incipere, et finire solet. Est et alia *Matzalquilitl* foliis tenuibus, ac trifidis, quae eadem constat facultate, estque similiter edulis, et pectori, asthmatique mirum in modum conferens. Ejus autem radix fibrata est, cauliculi breves, flores verò lutei, ac similes Chrysanthemo. Nascitur inter sata Mexicensium agrorum.

CAPUT LIX.

De MATZALQUILITL *tertia.*

Vidimus apud *Xoxotlenses* duas alias Herbas, quarum priorem vocant incolae Matzalquilitl, foliis minutis, posteriorem verò, quae anonyma illis est, folia cuniculorum auriculis similia exornant: frigida natura constantes, quaeque febribus, et nimio adversentur calori.

CAPUT LX.

De MEXIXQUILITL, *seu Nasturtio, Iberideve Indica.*

Nascitur apud Mexicenses sua sponte, passimque in ruderibus, atque maceriis Nasturtii quoddam genus nostrati persimile, Mexixquilitl ab ea gente vocatum, dolores a causa frigida exortos mirè allevans, crurium tumores discutiens jure decocti ejus illito, et sanans calce permista impetigines. Quin ex eodem parari solet medicamentum egregium asthmaticis, excipiens *Mexixquilitl*, *Epazotl*, persicorum praecociumque nucleos, semen cydoniorum, ficus nigras, et gummi tragacanthi, aequali portione. Teruntur verò omnia, et tragacanthi, seminisque cydoniorum salivae immistorum stillatitius extrahitur liquor, bibiturque cochlearis mensura matutino, quoties expedit, atque ita curatur morbus, redditis excrementis, pituitosisque expurgatis hu-

moribus ter, aut ampliùs, quoties sumi contingit. Fit autem medicamentum, si opus sit, vehementius auctis nucleis. Est etiam mirabile adeo acrem Herbam, atque calentem butyro vaccino salis experti commistam, et applicatam renum calori mederi, atque ita sedare urinae ardorem, quemadmodum in me ipso, cùm ejusmodi premerer morbo, eventu laeto atque felici sum expertus. Sunt, qui *Tlachhoihoilan* vocent.

CAPUT LXI.

De NASTURTIO *Peruino.*

Translatum quoque est ad Mexicanos, quorum viridariorum septa, fenestrasque exornat, quod nostri *Peruinum* Nasturtium vocare solent, Mexicenses verò *Pelonmexixquilitl*, seu *Pelonchili*, folia ferens obrotunda, et veneris labro similia, sed exilia, et angulis quibusdam interdum variata, appendentiaque pediculo, nequaquam media parte sui, sed e loco in alterum circumferentiae ambitum inclinante, infernè squallentia, et virentia supernè, caulem rotundum, tenuem, volubilem, pergulisque, quibus ornatus gratia adhiberi solet, sese implicantem, flores e luteo rubescentes, Aquilegiae, Osyridisve instar gerentes inferna parte contortum tubulum, superiori verò septem foliolis constantes, quorum duo magnitudine praestantia ceteris, ac duo alia minima lineas quasdam rubeas inscriptas gerunt, plagis Christi

Optimi Maximi, quibus cruces passim ornari solent, haud dissimiles; tria verò reliqua, quae mediocria inter praedicta sunt, tria veluti clavorum capita. Calida, et sicca est haec Herba ordine ferè quarto, saporeque, et viribus nostras Nasturtium indistincta aemulatur similitudine; adeo, ut inter Nasturtii species, etsi forma longè differat, possit impunè recenseri. Viridaria, pergulasque, et figulinis vasibus sata fenestras, atriaque ipsa exornat. Viret toto anno, floresque producit, nisi cùm frigoris vehementioris obstat inclementia. Adhibentur flores acetariis, quae ex oleribus parantur, gratiamque ita et saporis, et aspectus addit. Ventriculo ex frigida causa imbecilli, aut flatu dolenti subvenit, tussi auxiliatur; tritus idem cum alumine dolores dentium sedat, aufert dolorem, et tumores a causa etiam calida ortos, nempe eadem discussa, si frigidioribus adjungatur medicamentis, et ulcera curat inflammata: nam et contra excitatos a frigore dolores nostrate Nasturtio admoto uti mos est. Quibusque locis, sed praecipuè calidis, totoque, ut dictum est, anno, nisi vehemens frigus sit impedimento, et viret, et edit flores.

CAPUT LXII.

De MICHPATLI, *seu piscium veneno.*

Volubilis est foliis Clematitis Daphnoidis, laevi caule, ac per terram sparso. Pisces fluminibus inspersus necat, et

oculis cortex laevigatus medetur. Nascitur in calidis, moderatisve regionibus ubique.

CAPUT LXIII.

De MICHPATLI *secunda.*

Radicem fundit longam, tenuem, fibratamque, et sensim gracilescentem, folia Salviae, subalbida infernè, serrata, et oblonga, semina, floresque montani Polii, aut Marrubii verticillis similia, extremis ramis coadhaerescentia, et caules teretes. Folia thus indistincta olent similitudine, ac pisces tusa, et fluminibus inspersa occidere solent. Frigida, humentique videtur constare natura, et medetur ulceribus. Nascitur in campestribus *Tyacapichtlae* locis. Sunt et aliae hujus Herbae differentiae, quae quoniam natali loco distare mihi visae tantùm sunt, erunt a nobis omnino praetermittendae.

CAPUT LXIV.

De MICHPATLI *tertia.*

Est et tertia alia Planta quae a piscibus interficiendis habet nomen, stupefaciensve, cujus nullus praeterea narratur usus; foliis quoque subalbescentibus, sed venosis, ac circa finem obtusis. Quam *Quauhnahuacenses*, apud quos nascitur, *Ytzticpatli* vocant a frigido, quo constat, temperamento.

CAPUT LXV.

De MICHPATLI *quarta.*

Volubilis est radicis magnae, fibrataeque, acris, et pungentis, unde proferuntur folia magna, cordis, scutorumve figura. Interficit et haec pisces erodente, quam sortitur, facultate, unde nomen, et tumores praeter naturam discutit. Serpit per terram, floremque album, ac parvum edit.

CAPUT LXVI.

De MICHICHINCOAZTLI.

Radicibus innititur longis, tenuibus, et rotundis, e quibus oriuntur caules, et in eis folia Plumbagini similia. Ajunt impensè frigidam esse Plantam, eademque admota propelli a capitibus puerorum noxium, atque vehementem calorem; quamvis, ut experimento ipso deprehendi, paulisper amara sentiatur

CAFUL LXVII.

De MINCAPATLI *Tyauhtepecensi, seu sagittae medicina.*

Frutex est radici insistens Raphani, fibrataeque, unde profert caules subnigros, et in eis folia Ocymi, infernè hirsuta, et subalbida, terna, et obrotunda, florem spicatum, ac lanuginosum, ac demum in pappos abeuntem. Radix est frigida, siccaque, et impensè adstringens. Opitulatur quibus-

que fluxionibus devorata, aut admota, et ulceribus inspersa medetur. Similis est ea Herba, quam *Chulullenses Quauttzontetl* vocant, forma, et viribus, verùm hujus flores cymbalorum constant figura: radix parùm adstringit, et haemorrhoidas dicitur exsiccare.

CAPUT LXVIII.

De MINCAPATLI *secunda.*

Radicem fundit longam, folia Ciceris, lanugine quadam obducta. Calida natura constat, et amaro sapore. Praeter naturam tumores unciae unius pondere admota dicitur discutere.

CAPUT LXIX.

De MAMAZTLACOTL, *seu virga flabelli.*

Radicem fundit crassiusculam, et capillatam, e qua multi prodeunt quadrantales stipites, et in eis folia Ocymi, serrata, et aspera, flores pallentes, et magni in corymbis. Ventris haec sedat dolorem a frigore excitatum, si radix semunciae pondere devoretur, alvumque adstrictam lenit.

CAPUT LXX.

De secunda MAMAZTLACOTL.

Herba est similis *Nahoiteputz*, sed foliis Sonchi, nec adeo scabris, luteis floribus, *Nahoitepotz* similibus, et ra-

dice surculosa, magnaque. Insigni qualitate caret, atque ideo depicta non est, etsi frigenti temperie constet.

CAPUT LXXI.

De tertia MAMAZTLACOTL.

Herba est radicibus insistens similibus Asphodelo, sed magis acuminatis, unde profert caules pennatos, et in eis folia Salicis, angusta, octo uncias longa, et luteos flores. Radices amarae sunt, ac lubricae participes naturae, salivosaeque. Tussi egregiè medentur semunciae pondere ex aqua, aut alio liquore lenienti epotae, et succus ejusdem infusus semen retentum pellit. Nascitur in calidis *Yacapichtlensibus*, asperis, et montosis locis.

CAPUT LXXII.

De quarta MAMAZTLACOTL.

Herba est radicibus insistens fibrarum instar longis, et tenuibus, unde profert caules pennatos, quales sunt illi *Nahuiteputz*, quadratos, striatos, et asperos, folia *Nahoiteputz*, sed minora, ac flores pallentes, et rotundos. Radices fundunt sanguinem in vicem succi, calidaque, et resinosa constantes natura frigori ventriculi, alvique dicuntur mederi, flatum discutere, et viscera roborare; jus verò decocti earum ventrem emundat, ac dolores curat epotum;

quin et quintam eodem nomine vidimus Plantam quadratis caulibus, striatis, et purpureis, sinuosisque foliis, qualia paene sunt illa Polypodii, odoris, calidisque, ac siccis, floribusque luteis, ac per ambitum candentibus.

CAPUT LXXIII.

De MEALXIHUITL, seu Herba lacte manante.

Herba est duos dodrantes longa, radicibus insistens orbicularibus, et fibratis, quas statim agit vel cacumine ipso terram attingente: ex his profert caules teretes, viridesque, et vergentes in cyaneum colorem, geniculis interceptos, sarmentosos, cavos, et ornatos raris, ocyminisque, sed minoribus, et magis acuminatis foliis. Vivax Herba est, frigidaque, sicca, et adstringenti natura. Lacte manat, unde invenit nomen. Caules, foliaque tusa, et unius drachmae mensura devorata diarrhoeas certissimo sistunt eventu. Idem praestat jus decocti illorum. Nascitur *Pahuatlani.*

CAPUT LXXIV.

De MIMILINDOPATLI.

Fibratae insistit radici, unde prodeunt caules per terram sparsi, teretes, teneri, ac per intervalla geniculati, referti foliis ocyminis, undulatis per ambitum, ac aliquantò ma joribus, e singulis nodis orientibus. Jus decocti hujus Plan-

tae enixarum tormina levat, et earumdem auget vires. Nascitur in temperatis *Quauhtepecensibus*, editisque locis.

CAPUT LXXV.

De MIXIUHCAPATLI, *seu enixarum medicina.*

Herba est caules edens binos dodrantes longos, teretes, tenuesque, et in eis Urticae, Menthaeve, aut Ocymi folia. Amara est, gustu odorata, et ordine secundo calida, et sicca. Propinatur jus decocti ejus enixis bis, terve matutino tempore, unde nomen. Nascitur in *Quatutulani* temperatis locis, editis, aut campestribus.

CAPUT LXXVI.

De MAHTLAOMATL.

Volubilis est radices edens surculosas, et folia Persici. Amara est, et calefaciens ordine secundo non sine siccitate, subtiliumque partium. Bibitur ejus radix tempore matutino adversùs hydropem. Provenit in temperatis *Quatutulani* locis.

CAPUT LXXVII.

De MATLAN, *seu manu dentata.*

Herbula est caules fundens tenues, quadratos, striatosque, et per terram serpentes, e radice transversa, et juxta

singulos geniculos capillata, et in eis folia Chamaedryos, Ocymive. Species videtur Alsines, aut Myosotae: nam frigida quoque, et humenti natura constat, et sapore nullo, valetque adversùs febres illita, aut devorata. Nascitur in calidis, humectisque locis *Tenapulci*.

CAPUT LXXVIII.

De MAQUAUHPATLI.

Herba est folia ferens pinguia, undulata, angusta, et longa in caulibus prodeuntibus a radice fibrata, florem *Tunae*, *Nochtlive*, eodem modo adnascentem foliis, fructumque acinorum forma. Folia trita imponuntur inflammationibus, et corporibus illorum, qui percussi sunt, aut exauthorati; quin erysipelatis applicata confert, et fulmine territis; impensè enim frigida est, humidaque, et sapore ferè nullo. Innascitur *Hoeitlalpae* Arboribus, saxisque. Sunt, quibus videatur eamdem esse cum *Nopalxochitl*, sed aetate differre, nam et vires aedem sunt, nec plurimùm differens forma.

CAPUT LXXIX.

De MIPATLI, *seu medicina sagittae.*

Multas radices agit teretes, brevesque, et parvis Batàtis, seu *Camotl* similes, extra intraque candidas, unde prodeunt caules teretes, laeves, tenues, hirsutique, longi, et

per terram repentes, ornati juxta postremas eorum partes foliis Ranunculi, cujus videtur species, serratis, et sinuosis. Radicis tantùm est in medicina usus. Haec sapore est acri, et urenti, temperie calida, siccaque ordine quarto, et partibus subtilibus. Pulvis radicum immistus resinae admovetur ulceribus putridis, quorum supervacaneam carnem exedit, ac utilem restituit. Nascitur frigidis, humectisque, et humilibus *Huexotzinci* locis. Servantur radices in annuos usus.

CAPUT LXXX.

De MELLIS *Indici generibus.*

Multa Mellis genera in Nova Hispania mihi adhuc observare licuit, non loco solùm, velut in Veteri Orbe, verùm ipsa materia, et apum diversis generibus distantia. Primum est Hispaniensi per omnia simile, idemque, et quod ab apibus Hispanicis congeneribus sponte in cavitatibus Arborum, quas Indi sectas in apiaria reponunt, ac congerunt, fabricetur. Secundum est, quod parari ex Arundinibus consuevit, unde et saccharum quoque paratur: cujus conficiendi traditus est a nobis modus in libro *Haitinis* plantis dicato cum reliqua sacchari omnium generum parandi ratione. Tertium fit ex *Metl*, cujus etiam opificium in hujus Plantae Capite proditum est. Quartum fit in regionibus temperatis, aut fervidioribus a quodam apum minimè aculeata-

rum genere, simili formicis alatis, minorique nostrate, suspendente e saxis, et Arboribus, sed maximè Quercuum generis, alvearia, globulosve quosdam vocatos *Micatzontecomimiaoatl*, similes saccharinis, interdum hominis aequantes amplitudinem, constantes coriis permultis, refertos vasculis minoribus, densioribusque nostris, colore fusco, ac permulto, optimoque affluentes melle, et numerosa sobole, atque foetura candida, et margaritifera, qua assa, et sale conspersa, nec ab amygdalis dulcibus distante sapore, quoties occurrit, id genus examinis avidè vescuntur indigenae, nec tamen castrantes alvearia, sed ore exsugentes; dum verò editur Mel, non adhaeret cera dentibus, sed quidpiam paleis simile. Conficiunt hujusmodi apes Mel haud aliter, ac nostrae, pariterque floribus, et rore vivunt: Septembrique mense impensè foecunda, et onusta mellaria reperiuntur. Quintum genus praedictis paulisper cedens fit ab apibus quibusdam aculeatis, nostratibus longè minoribus, fulvisque: hae enim oblongo orbe fabricato, quem *Acomimiaoatl* vocant, mellificare consueverunt. Investigare vix potui, an regem habeant, serventve in opere, aut in administrandis rebus civilem ordinem; sed verisimile est hac in re nostrates apes imitari, quamquam adhuc ab hac rudi gente, et imperita observatum non sit, nisi satius est putare Naturae magis arrisisse barbaras quoque, et sylvestres exstare apes.

velut et inter homines ipsos, quos eadem intellectus illustravit lumine gentes incultas, et ab omni civilitate, et aptè instituta republica prorsus alienas. Et ut praedictis nonnulla alia apum, vesparum, pseudomelissarumque genera adjiciam a me in hac Nova Hispania observata; non est praetereundum silentio genus aliud parvarum apum expers aculei, subterraneis locis mellificans, et favos construens orbiculares, vocatum *Tlalneuhtli*, sed non adeo jucundo opere, aut grato mellificio; est enim acidum Mel, et aliquantulùm amarum, etsi in probatiorum generum penuria soleat substitui, condimentisque immisceri. Mellificat quoque in foraminibus parietum, riparumve vesparum quaedam differentia vocatarum *Xicotli*, quae aculeatae sunt, nigraeque, sed pallescenti dorso. Quid memorem *Pseudomelissas* aculeatas, tetras, et cavitates lignorum, quas eaedem effodiunt, incolentes, *Quauhxicotli* a Mexicensibus vocatas, aut fulvas alias noxio, venenatoque armatas aculeo? aut *Tlalpipioli*, inerme apum genus, nostratium magnitudine, nigroque, et luteo colore varium? aut *Cuezalmiahoatl* computandam inter vespas noxii, ac venenati aculei? aliasve ejusdem generis minores? aut *Quauhxicotli* Pseudomelissam, quae tota nigra est, si alas excipias, quae rubrae sunt, venenatissimi, et praelongi aculei, et saccharinas Arundines, adeoque ligna ipsa punctura a summo ad imum usque (quod est a nobis prospectum, atque obser-

vatum) findentis ? Verùm velle Naturae singularia , mirandaque nominatim percensere opera , fuerit insolentiae , ne dicam stupiditati vehementi adscribendum.

CAPUT LXXXI.

De MOTOQUILPATLI *, seu Sciuri medicina.*

Species est Alsines parva , frigida , humidaque natura constans ; quae solet adversùs febrium impetus illini , atque interdum etiam sorberi.

CAPUT LXXXII.

De TLACHINOLXOCHITL *, seu Flore usto.*

Tlachinolxochitl , quam alii *Tlachinolpatli* , alii verò *Chichipiltic* vocant , nostri Hypericon nuncupare solent, formam non expedit referre, velut notissimam; de viribus nonnihil subjiciam , deque usibus , quos praestat hujus Orbis colonis. Calida enim est , siccaque natura prope tertium ordinem : menses , et urinam evocat , ulceribus medetur , horrores intermittentium fugat , et scabiei , aliisque cutis infectionibus est remedio ; nec desunt , qui addant ad cutem evocatis humoribus sanare febres , quas puncta sequi solent; acris enim est , et nonnihil amara. Nascitur in collibus regionum temperatarum , ubi contingit folia in rubrum omnino mutari colorem.

CAPUT LXXXIII.

De TETLACHINOLXOCHITL, *seu Tlachinolxochitl lapidum.*

Caules profert tenues, teretes, et purpureos, ac longos quatuor dodrantes, folia Origani, flores luteos, parvos in corymbos compositos juxta caulium partes postremas. Frigida est; quamobrem folia tusa repellunt inflammationes.

CAPUT LXXXIV.

De TLACHINOLXOCHITL *Frutice.*

Arbuscula est folia ferens obrotunda, parva, subalbida, et mollia, fructum, ut audio, Oxyacanthae, initio virentem, mox coccineum, ac postremò nigrantem. Folia inclinant in frigus, etsi omnino non vacent calore, et salivosam participant naturam: radix verò subamara est, et adstringens, ac nonnihil calens. Succus foliorum infusus lenít adstrictam alvum, folia verò ipsa ulceribus medentur. Nascitur apud *Yauhtepecenses*, et *Temimiltzincenses.*

CAPUT LXXXV.

De TLACHINOLXOCHITL *Yohalani.*

Radicem fibratam fundit, caules tenues, et dodrantales, et folia Amygdali, sed minora. Frigida constat natura, et febrientibus opitulatur. Provenit in calidis collibus. Vidimus

aliam Plantam ejusdem nominis apud *Yacapichtlenses*, surculosis tamen radicibus, et aliquantulùm calidae temperiei, foliis longis, et hirsutis, angustis, serratis, et pinguibus, quae scabiem curant.

CAPUT LXXXVI.

De TLACHINOLXOCHITL, *quam alii Tezonpatli vocant.*

Radici insistit obrotundae, surculosae, asperae, intusque candenti, unde profert caules sesquidodrantales, aut paulò longiores, ac rubescentes, et in eis folia longa, et impensè angusta, ac flores in summo comantes, et e candido purpurascentes. Radix est dulcis, ac grati saporis non sine quadam amaritudine, et calore. Pectoris dolores, alteriusve partis ortos a frigore placat devorata ex *Cacaoatl* unciae unius mensura; tusa verò, atque admota ulceribus medetur, capitis dolorem tollit, et strumas dissipat, curat praeter naturam tumores, et febricitantium subvenit anhelationibus. Nascitur in planis regionum calidarum *Temuaci.* Sunt, qui *Tezompatli tenuifoliam* vocant; sunt, qui *Yztacpatli*, necnon qui *Tlanenpoloam*, quamquam diversa sit ab ea, quae propriè *Tlanenpoloa* nominatur, de qua suo dicendum est loco. Vidimus aliam Herbam apud *Yacapichtlenses* eodem nomine, radices fundentem longas, tenues, fulvasque, folia parva, serrata, et oblonga, caules fulvos, tenues, et octo uncias longos, quae nonnullum quoque calorem participa-

ret haud citra siccitatem, pannis mederetur, aliisque praeter naturam tumoribus, quos brevi apposita exterminaret, atque finiret.

CAPUT LXXXVII.

De TLACHINOLPATLI.

Volubilis genus est purpureum caulem ferens, et in eo folia scutorum figura, parvos, et oblongos flores, et orbiculare semen. Frigida, et glutinosa temperie constat, inflammationes repellit, et febribus adversatur. Nascitur humectis, et calidis locis.

CAPUT LXXXVIII.

De TLACHINOLPATLI *altera.*

Vidimus apud *Tlacotepecenses* aliud *Tlachinolxochitl* genus, quod depingendum non putavimus, radici insistens crassae, frigidaeque, ac nimiùm adstringenti, quaternas longum spithamas, ac producens folia scabra, et interdum coccinea, oblonga, Menthae proxima, sed minimè serrata.

CAPUT LXXXIX.

De TLACHINOLPATLI *tertia.*

Tlachinolpatli, quam alii *Tlachinolxihuitl* vocant, Herba est binos dodrantes prolixa, folia Origani ferens, aspera, subalbida, serrata, et oblonga, caules lignosos, subalbidos, teretesque, et surculosas radices, extra nigras, et in-

tus albas. Olet eas placentulas, bellariave, quae ex triticea farina, Mentha, et caseo conficiuntur, aut adipem, quo adjecta gallica nardo luxatis, perfractisve ossibus circa initia morbi succurritur. Amara est, calidaque, et sicca natura constat. Scabiei medetur, ustis, aliisve parvis inflammationibus, aut tumoribus crurium. Jus decocti ejus lieni dicitur mederi, ac infusum intestina purgare. Provenit apud *Ytzocanenses*, et *Yanguitlanenses*. Sunt, qui *Zacantlachichinoam* vocent. Nascitur etiam *Tetelae*, ubi eadem devorata, et extrinsecùs admota punctis medetur.

CAPUT XC.

De TLACHINOLPATLI *quarta.*

Folia profert Limonis, crassam radicem, ac surculosam, mollemque, caules prolixos, ac flores, julosve Betulae paene similes. Folia tusa, atque devorata brevi adferunt mortem, sed dulcia videntur, ac moderati caloris, ac tumores praeter naturam applicata discutiunt. Nascitur in calidarum regionum editis, aut humilibus locis, qualis est *Quauhquechulensis*.

XCI.

De TLACHINOLPATLI *Chietlae.*

Folia fert pinguia, inaequalia, et hirsuta, subalbida, et amygdalinis similia. Foetidus est Frutex, verùm frigidae, et

adstringentis temperiei, caloris temperati. Ajunt erysipelatis emplastri forma admotum mirum in modum prodesse.

CAPUT XCII.

De TLACHINOLXIHUITL.

Radices fundit TLACHINOLXIHUITL capillorum instar, et ex quovis geniculo caules fulvos, et volubiles, folia rara, subalbida, et hirsuta, longiuscula, angusta, et mollia, frigida natura, lubricaque. Illinuntur haec inflammationibus, erysipelatis, et ustionibus, et dysenteriis medentur epota. Nascitur in calidis collibus. Alium eodem nomine Fruticem offendi apud *Yacapichtlenses*, sed calidum, siccumque, et odorum, quamvis diarrhoeas quoque coërcentem, quatuor longum spithamas, et caules minimè volubiles fundentem e crassa quadam radice, et in eis folia similia praecedenti. Sunt, qui dicant adhiberi erysipelatis; verùm citra rationem, cùm calidus sit, quanquam radix calore foliis cedat, nisi tamen inclinante jam affectu eo utantur.

CAPUT XCIII.

De TLACHINOLTETZMITL, *seu Sedo usto.*

Sedi est species frigentis, ut ceterae naturae. Tundunt Indi Plantam unam, et infundunt in aquam, ac residere permissa aquam potandam propinant adversùs febres, atque ita calorem

praeter naturam tentant exstinguere; quin et succum oculorum inflammationibus mirè ajunt auxiliari, et tumores praeter naturam repellere. Unde sunt, qui *Pozahualizpatli* vocent. Provenit *Xonotlae*.

CAPUT XCIV.

De MAEHETZIN, *seu Herba Phaseolo simili.*

Volubilis genus est Arboribus sese convolvens, foliisque oblongis constans, obtusis, et Mali Punici similibus; flore vere primo candenti, parvoque, et acinis nigris. Aqua, ubi hi aliquamdiu maduerint, medetur oculis. Provenit in locis editis, calidisque *Yohalani*.

CAPUT XCV.

De METZTLIYYAC, *seu luna foetida.*

Metztlyyac, quam alii *Zozoyatic*, seu *Palmulam* vocant, folia fert similia lunae, unde nomen, ac siliquas in summo oblongas, et triangulares, semine viridi, coriano pari, refertas. Radix est acris, lutea, et amara. Expurgantem esse ajunt, ac ulceribus laevigatam, inspersamque auxiliari, in quem usum recondi solet. Nasci autem *Tlaxcallae*, atque *Ocuilae* gaudet.

CAPUT XCVI.

De MAXTLAZOLQUAHUITL, *seu Ligno vetulae fasciam referente.*

Radici insistit surculosae, ex qua profert caules cinereos, duas spithamas longos, folia obrotunda, crenata per ambitum, flores comantes, et pallentes, unde prodeunt vascula semine referta. Lac germinum praefractorum narrant oculis magnopere conferre. Frigida verò, siccaque, et adstringenti natura constat; qua medetur illorum inflammationibus, ac rubore perfusos emendat. Exsultat saxosis, calidisque *Quauhnahuae* locis.

CAPUT XCVII.

De MATLALXOCHITL, *seu Flore cyaneo.*

Arbor est magna foliis Mali Medicae, sed minoribus, atque obrotundioribus, quinis per singulos ramulos, stipitibus, cinereis, ac floribus parvis, et cyaneis, unde sumsit nomen. Frigida constat, et glutinosa natura; quo fit, ut folia tusa, atque ex aqua epota febrem exstinguant, illita verò bis die corpori scabiem curant, atque inflammationes repellunt. Speciem esse ajunt Guajaci, eosdemque praestare usus, et adhuc efficaciores. Provenit in calidis *Oapanicis*, ubi eam curavimus et describendam, et delineandam.

CAPUT XCVIII.

De MOCHACHAOATL alia , seu Herba zelotypiae.

Ita vocant Visci genus quoddam nascens in Arbore *Copalli.* Grana sunt rubea , racematim pendentia , atque impensè glutinosa , folia longa , crassa , et angusta , et in alterutrum contorta latus , similia quodammodo Scolopendro. Pingendam curavi , quòd mihi visa esset Visci quoddam peregrinum genus , ac visendae figurae. Folia constant frigida , humidaque natura , saporisque , et odoris sunt paene expertia. Rami non convolvuntur , etsi geniculati , atque sarmentosi videantur.

CAPUT XCIX.

De MAPELTON.

Volubilis est foliis minutis , et orbiculari fructu. Frigidus est , ac febrientibus auxiliatur. Provenit in calidis *Xoxotlae* juxta aquarum fluenta.

CAPUT C.

De MICATLATLAAZPATLI Tacapichtlensi.

Caules fundit hirsutos , folia longa , aliquantulùm angusta , serrata , albida , hirsuta , et subaspera , florem luteum Buphthalmi forma , Conyzaeve. Stoechadem mirum in modum olet. Unciae quinque succi foliorum tussim curant

epotatae. Calida videtur ordine secundo. Sapit ipsum Stoechada, et nonnihil est amara. Sub quovis folio oritur ramulus quidam folia edens, ac florem. Nascitur humilibus, et calidis locis.

CAPUT CI.

De MACUILPATLI, *seu quinque medicinis.*

Frutex est foliis longiusculis, angustis, et multis, floribus verò flavis, in calycibus oblongis, virentibus, et scariosis contentis. Calida, siccaque, et adstringenti natura constat; diciturque jus decocti ejus motui impedito mederi. Fortassis idem est cum *Xonequilpatli.*

CAPUT CII.

De MAMAMALHUAZTLI, *seu Mamalhuazquahuitl.*

Arbor est procera, foliis magnis, serratis, Verbasco similibus, lenta materie, luteis floribus, fructu nullo, purpureis stipitibus, atque interveniis foliorum. Frigida, sicca, atque adstringenti natura constat, repellitque inflammationes. Haec est Arbos illa, cujus flammas vitat *Otomitarum* gens, firmum habens sterilitatem e vestigio ad eas accedentibus inferre. Nascitur *Ocuituci*, et *Ocopetlayucae*, regionibus nempe temperatis, aut ad calorem nonnihil inclinantibus.

CAPUT CIII.

De MOCUEPANIXOCHITL, *seu vertibili Flore.*

Radices profert tenues, et capillatas, folia angusta, longa, et foeniculaceis quadantenus similia, floresque purpureos. Ad species *Cempoalxochitl* videtur pertinere. Quini flores tusi, ac melli permisti, admotique caligines oculorum discutiunt, adeoque nubeculas, aut leucomata. Temperato provenit caelo, et Septembri mense floret.

CAPUT CIV.

De MOLONCAPATLI, *seu medicina, quae in pappos abit.*

Arbor parva est, foliis Limonis, fructu oblongo, et rubescente, Amygdali magnitudine, et candenti flore. Cortex stipitum pallidus est, et cum quadam dulcedine amarus, sapitque amarum peponem. Radicis verò cortex amarus est, acris, calidaeque, et siccae ordine tertio temperiei. Medetur satietati, ac alvi, quam extergit, doloribus ortis e frigore binum drachmarum devoratus pondere ex vino. Nascitur incultis, montosisque regionum calidarum locis, qualis est *Ytzocanensis*. Sunt, qui *Tlacoquahuitl* vocent.

CAPUT CV.

De MAMATLATZIN.

Herba est *Ytzocanensis* foliis oblongis, sed a radice ad

medium usque caulium praegrandibus, a medio verò ad usque cacumen parvulis, quod non est pro ea Planta dignoscenda spernendum indicium. Frigida natura constat, etsi gravem odorem spiret. Nihil tamen adhuc, quod ad Medicinam spectet, de ea accepimus; atque ideo delineandam non curavimus.

CAPUT CVI.

De MALINALI.

Herba est vulgaris, ex qua Indi parant retia. Terunt hanc, miscentque *Iczotl*, *Tlahoitl*, ac *Mayzii* culmorum pulveri, atque ita devorandam abortus compescendi gratia praebent non sine felicissimo eventu. Sunt, qui Carecti medullae, Mayzioque permistam, atque devoratam melancholicis dicant subvenire. Nascitur ubiq .

CAPUT CVII.

De MIZMAITL *prima, seu manu Leonis.*

Arbor est magna foliis quinis, dodrantem ferè longis, fructu orbiculari, candido, ponticis nucibus ferè pari, ac racematim dependente. Calida, et sicca temperie fructus constat, cortexque, et suavi odore: ulceribus medetur. Nascitur in faucibus montium regionum temperatarum, qualis est *Ocopetlayucensis*.

CAPUT CVIII.

De MAXTENQUILITL.

Radicem bulbosam fundit, corticosam, et fibratam, folia Porri, Caeparumve, aut Alliorum, longa, et angusta, ac flores in summo candentes. Ad species Narcissi pertinere videtur. Frigida, humidaque, et salivosa natura radix constat, qua Indi cum *Chilli* solent vesci. Nascitur inter Mexicensium sata.

CIX.

De secunda MOLONCAPATLI.

Herba est radices longas, et tenues fundens, folia Ocymi, infernè subalbida, tenuiaque, et candidos flores. Calida est, lubricaque, nonnihil acris, et amara. Spumam more *Cacaoatl* excitat in humore. Ventris dolorem lenit radix tusa, ac drachmae unius mensura epota. Nascitur editis, planisque locis *Tepexicensibus*, quae videntur spectare ad temperiem.

CAPUT CX.

De MEMEYALOPATLI, seu Herba lacte manante Tilancensi.

Radicem fundit surculosam, unde profert pediculos longos, et in eis folia Ficui quadantenus similia, et florem, ut referunt, nullum. Radix est frigida, siccaque. Lac, quo abundat, medetur ulceribus oris, et retentum trahit se-

ıen applicata. Provenit *Tilanci* quibusque frigidis locis.

CAPUT CXI.

De MIXIUHCAPATLI *Tilancensi, seu enixarum medicina.*

Surculosas fundit radices, et ex his caules sex cubitos longos, et in eis folia Persici, serrata, floresque luteos, oblongos, vasculis contentos. Radix est frigida, siccaque, et nullius paene saporis, aut odoris. Menses ajunt sistere, ac praecipuè enixarum, quod curare Indos Medicos praeter omnem rationem saepius admonui. Nascitur in frigidis *Tilancensibus.*

CAPUT CXII.

De MIQUIZPATLI, *seu morientium medicina.*

E radice raphanina, et fibrata caules mittit tenues, et volubiles, ornatos raris, trifidisque foliis, capreolisque. Epilepticis, apoplecticisque, et syncopi affectis devorata confert.

CAPUT CXIII.

De MEMETZIN, *seu Metl parvo.*

Herbula est radicibus firmata Asphodeli similibus, sed minoribus, multis, translucidisque, unde proferuntur caulis ramosus, et folia longiuscula, et angusta, unde fortassis nomen; in summo verò foliola minora, ac velut in acervos parvos acervata. Radices ex aqua devoratae, nempe frigí-

dae, humentes, et nullius ferè saporis, febres, aut ardorem nimium exstinguunt. Nascitur humectis, umbrosisque locis, ac montium faucibus.

CAPUT CXIV.

De NEIZOTLALPATLI Tototepecensi.

Nomen habet haec Herba ab ea, quam excitat, vomitione. Firmatur verò surculosis radicibus, unde mittit caules volubiles, ornatos foliis Scamonii, per longa dissitis intervalla, oblongisque, sed circa exortum a pediculo latioribus, atque obrotundis, et flores candentes. Radix est calida, siccaque ordine secundo, et grave virus olens. Eadem unciae unius pondere devorata dicitur bilim, et pituitam per superna, atque inferna leviter purgare. Nascitur in calidis, ac planis locis.

CAPUT CXV.

De MAZAQUILITL, seu Olere cervino Tototepecensi.

Herba est radicibus adhaerens longis, et exilibus, unde fundit caules volubiles, tenues, teretesque, et in eis folia rara, peltae amazonicae figura, sed juxta alterutram alam cuspidem insignem praeseferentia. Radix est calida tertiò ferè ordine, odora, et subtilium partium; cujus pulvis duarum drachmarum pondere ex aqua devoratus urinam elicit

retentam. Idem dicuntur praestare folia. Provenit in planis, et campestribus locis juxta aquarum fluenta.

FINIS TOMI SECUNDI.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pág. 22	*Lin.* 11	Quercus . . . . *Lege.*	Quequexquic
30	15	*Temimiltznici*	*Temimiltzinci*
44	11	scipiores	scipiones
50, 56	5, 8	Ocortuci	Ocoituci
126	23	*Atollique*	*Attollique*
127	13	ob	ab
138	15	candicibus	caudicibus
165	1	palistris	palustris
175	21	ex	et
195	6	vitreis illitis	vitreis, illitis
254	7	Vis	Jus
302	16	*Tetzconbensibus*	*Tetzcoquensibus*
334	16	balineum	balneum
384	10	*Tenamaznanapalooe*	*Tenamaznanapaloae*
414	13	juxta caulem	caulium
419	4	Thermatis	temperatis
420	17	*Etzcoquensi*	*Tetzcoquensi*
425	8	pandere	pondere
431	4	Faenugraeci	Foenugraeci
455	19	consecuuntur	consequuntur
490	1	calore	calori
502	1	in papo	in pappos
517	8	prodeunt	profert
543	5	*Tenapulci*	*Tenanpulci*
545	10	occurrit, id	occurrit id

Yyauhtli, ó Itzitziqui. Sus maravillosas virtudes. 197.